6
11-b
52

6
10 E
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-11-E-52

22-a-5



CAROLI III

SERENISS. POTENTISS. DVC LOTHAR. MARCH. DVC. CALAB. BARRI. GVELD. &c

ΜΑΚΑΡΙΣΜΟΣ

SEV FELICITATIS, ET VIRTVTVM EGREGIO PRINCIPE DIGNARVM CORONÆ

Ex Sapientiæ hortis lectæ, congeſtæque in honorarium eius tumulum.

Ponte ad Montio. Apud Iac. Garnich Typ. 1609.

Bibl. Coll. Rom. Soc. Iesu

VITTORIO

Ex legato Ill.mo Coccini

HENRICO II.

SERENISS. POTENTISS.QVE DVCI CALAB. LOTHARINGIÆ, MARCHISIO, DVCI BARRI, GVELDRIÆ, MARQUIONI Pontis ad Montic. Comiti Vadem. Albimont. Zutphen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CORN. Tacitus eloquentiſſimus hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptor narrat, *vt ceſſiſſe vitâ Othonem certi authores in theatrum attulerunt, Populum cum lauru, ac floribus Galbæ imagines circum templa tuliſſe, congeſtis in modum tumuli coronis iuxtà lacum Curtij, quem locum Galba moriens ſanguine infecerat,* ſecutum ſcilicet priſcum, & nũquam ſatis laudatum morem roſas, violaſque, & flores id genus congerendi plenis manibus in demortuorum adhuc iacentium corpora, variiſque ſepulchra decorandi

2 hiſtor.

ex Anacr & Virg.

Seneca de breu. vit. | Coronis: quo more cùm ſuperſtites mortales mo-
nerentur præſentis huiuſce vitæ *tempus in curſu ſemper eſſe, fluere, & præcipitari, atq; ante deſinere eſſe, quàm venire, nec magis moram pati*; itaque bonum factum, *ſi eo non vtendo laxius quaſi gratuitò ſpem longam reſecarent, & ſpatium, quod naturâ currit, ratione dilatarent, deſtinarentq; bonæ menti*, quæ per virtutem æterna, & immortalis eſſet (vnde *ad huiuſmodi munera ſelecti purpurei, ſeu cruenti flores, quòd anima in ſanguine crederetur:*) tum vero hiſce honoribus ceu præmijs iuſtis virtuti vitâ functorū redditis, ceu præclaris ſignis eius victoriæ, quam ſibi magnanimi viri aduerſus fortunam, humanoſq; affectus ceu inteſtinos hoſtes glorioſam, & immortali cum laude coniunctam peperiſſent, optimus quiſque ad imitandam alienam virtutem incenderetur. Atqui ſi populus Romanus non mediocrem gratitudinis laudē ab eo meritus eſt honore, quem, vbi primùm reſpirauit à bellis ciuilibus, detulit Galbæ, *cui medium ingenium, magis extra vitia, quàm cum virtutibus, quiq; quod moderatè vnam; & alteram prouinciam cōtinuiſſet, maior priuato viſus dum priuatus fuit, & omnium conſenſu capax imperij, niſi imperaſſet*; qui denique vix annum, & parum feliciter imperauit: quis niſi iniquus rerum æſtimator meum accuſabit conſiliū in omni laudis, atq; honoris genere decorando CAROLO III. qui ſummâ ſapientia, parique iuſtitia ſupra ſexaginta annos hanc

Donat. in vi. vi. ſ.

Tacit. i. hiſt.

prouinciam

prouinciam rexit, quique eamdem moribus, inſtitutiſque probis excoluit, & liberalibus artibus expolitam perpetua pace, & felicitate cumulauit; Maximi denique, vt & Optimi Principis cognomen ſuis virtutibus amplis, magniſque rebus geſtis eſt conſecutus? Quis porro ſanæ mentis meum in extremo hoc munere, debitæ erga clementiſſimum, munificentiſſimumque Dominum obſeruantiæ, propenſioniſque grati animi mnemoſyno, pijs eius Manibus perſoluendo officium, ſeu conatũ improbabit?

ἑκόντι τοίνυν πρέπει
νόῳ τὸν εὐεργέταν
ὑπαντιάσαι Pind. Pyth. od. 6.

Gratâ mente decet pendere gratiam
In nos munificis, atq; merentibus.

Veſtra certè Celſitudo, ô Sereniſſime, Potentiſſ.me Princeps, pro ſuâ ſingulari humanitate, egregiâque in Parentem optimum pietate haudquaquam eſt reprehenſura. Enimuero ſupplex, gratuſque adfero ad honorarium ſemper-colendi Parẽtis tumulum Coronas; quas Muſæ, noſter amor, vbi primùm è luctu publico retulerunt animum ad firmitudinem, ſucciſiuis horis contextè nexuerunt, non ex arido infelicium arborum cortice, non è frondibus, quæ tangentis manûs tepore vietæ liueſcerent, Syrij ardore langueſcentes ſtatim deflueřẽt, aut primo Autumni frigore lapſæ, ac ventorum flabris caducæ volitarẽt, inutileſque terram conſternerent, ſed è ſuccoſo libro arborum, quæ eſſent virtutum incomparabili

rincipe dignarum hieroglyphica, atque illuſtrium virorum decorandis funeribus olim dicatæ, eædemque perpetuæ, & viuaciores vel Ruminali arbore, *quæ cum ſuper octingentos, & quadraginta ante annos Remi, Romuliq; infantiam texiſſet, mortuis ramalibus, & areſcente trunco deminuta in nouos fœtus reuiuiſcere* viſa; è libro, inquam, in quo tanti Herois virtutes fideliter, graphicèq; exaratæ æternũ viuant, ſuique nominis ceu ſalutaris, & bono publico nati principis gloria, amplaque fama *(ad quam vnà omnia Principis dicta, factaq; dirigenda)* inſculpta penitus, tranſmiſſaque ad poſteros

Tacit. Ann 13

Caneſcat ſeclis innumerabilibus.

tum vero è frondibus, quæ viuaces aliàs mirificum odorem, & nunquam tabeſcẽtem doctrinæ, & ſapientiæ veteris moderatoribus Reipub. perutilis manent ſuccum. Nimirum, clarorum virorum fortitudo immortalitatem à Poetarum verſibus accipit nulli temporum iniuriæ, nec caſuum varietati obnoxiam. ὀπιθόμβροτον αὔχημα δόξας, canit Lyræ Graiæ Princeps,

Pyth od. 1.

οἷον ἀποιχομένων ἀν-	*Cerne, vt ſuperſtes gloria fortium*
δρῶν δίαιταν μανύει	*Duret virorum, Muſaq; mortuos*
καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς.	*Decantet illos, & pedeſtres*
τὸ δὲ παθεῖν εὖ πρῶτον ἀέθλων.	*Hiſtoriæ decorent nepotum.*
εὖ δ' ἀκούειν, δευτέρα μοῖ	*Sors prima vita viuere, & altera*
ρ'· ἀμφοτέροισι δ' ἀνὴρ	*Hymnis merentem grandiloquis cani,*
ὃς ἂν ἐγκύρσῃ καὶ ἕλῃ	*Vtrumq; nactus tempora ingens*
στέφανον ὕψιστον δέδεκται.	*Sydereâ religat coronâ.*

&, vt Latinæ pariter Lyræ Princeps,

Hor l 4.

Non inciſa notis marmora publicis.
Per quæ ſpiritus, & vita reddit bonis.

Poſt

Poſt mortem ducibus,clarius indicant
Laudes,quam Calabræ Pierides.neq;
Si chartæ ſileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris.
Dignum laude virum Muſa vetat mori,
Cælo Muſa beat.

Quâ de caußâ Græci olim, Barbarique omnes ſeu Reges,ſeu populi, ſummopere ſtuduere ſemper, vt quæ famoſiſſima bella terrâ,marique geſſiſſent, magni viri,& Poetæ excellentes omnibus ingenii dotibus decorarent,& in æternam poſteritatis memoriam propagarent. Vetuſſimæ Græcorũ in Colchos expeditioni, & militiæ cum certatim omnes,qui tũ appellabantur Deorum filii, nomen dediſſent, illi ipſi ſuum in numerum Orpheum poetarum omnium principem, & parentem aggregandum, adſcribendumq; cenſuerunt,ſine quo labores omnes ſuos quamuis admirabiles,temporis tamen iniuriâ perituros,tandemque in obſcuro futuros exiſtimabant. Nec patribus ab Orpheo collaudatis,filiorum,à quibus bellum Troianum geſtum, gloriæ Phemius, & Demodocus Vates egregii defuere,quos Homerus diuinis carminibus id conſecutos ait, ne vnquam Achiuorum memorabiles victoriæ, vel ærumnæ obliuione delerentur. Quin etiam Homerum ipſum conſtat Jlienſis obſidionis,bellique & ſcriptorem,& ſpectatorem fuiſſe. Alexander Macedo arma inuicta toto orbe circumferens non centuriones tantũ,& tribunos, & legatos fortiſſimos in comitatu habuit,ſed philoſophos etiam complures,&

historicos

hiſtoricos nobiles, & poetas celeberrimos ſcriptores rerum ſuarum: quorum tamen ingeniis diuinius aliquid, & ſublimius deſiderãs eruditiſsimus Imperator Achillem hoc vno ſe ſe feliciorem, & fortunatiorem fuiſſe dixit, quod laudatiſsimo Homeri poemate celebratus vbique claruiſſet. Cuius æmulus Scipio Africanus Panætium, Enniumq; nunquam à ſe dimiſit, etiam cum ad res, & bella iret; imo etiam huius comitatum mortuus deſiderauit. Scripſit in Originibus Cato Romanos illos Heroas in epulis accubantes clarorum, & fortium virorum laudes verſibus mandatas, & compoſitas canere ad tibiam cõſueuiſſe. Iam verò quàm magnum momentum ad hominum vitam regendam, moreſque conformandos in rectè, ſapienter, & fortiter factorum cõmendatione luculentâ, & magnificâ ſit, ſatis indicant funebres illæ orationes olim in clarorum, & illuſtrium virorũ exequiis haberi ſolitæ; quæ & antiquiſsimis Græcorum Legibus, & Romanorum moribus ſolemniter vſurpatæ. Quò profectò magna me ſpes tenet hunc quantulumcunq; laborem meum, & conatum in laudando magno Principe optimo cuiq; non ingratũ futurum, quippe & iuſto nomine ſuſceptũ, & ſalutari doctrina haud vacuum: ſed inprimis Veſ[x] C[ni.] ô Clementiſſime Domine, tum quia, vt canit Poeta,

Pind. [illegible]

χάρμα δ' οὐκ ἀλλότριον νι- | *Clari Parentis palma domeſtica*
καφορία πατέρος. | *Iucunda natis;*

tum quia Virtutis commẽdatione nihil tibi gratius

eſſe poteſt & debet; quam quanti facias (vt non degenerẽ Filium decet) omnes ordines teſtes habeo: certè acerrimũ iuſtitiæ ſtudium in te omnes ſubditi exoſculantur; animi fortitudinẽ res feliciter geſtæ ſuperioribus bellis teſtantur; ſingularẽ prudentiam, & iudicii vim, atq; acumen in omnibus decernendis negotiis cum ego ſemper in priuatis colloquiis eſſem admiratus, tum vero omnes mirificè iam extollũt; clementiam autem incomparabilem nefarii etiã paricidæ ſunt experti; munificẽtia deniq;, & comitas iamdiu peruulgatæ omniũ animos in te conuerterũt: quibus virtutibus ſi Principes proximè accedunt ad Deũ, in quo nullis illæ cancellis circũſcribuntur, certè tu vnus inter eos palmarium obtines. Macte igitur Optime Princeps, & pro tuâ sũmâ humanitate paternarum *Celſarum virtutum, et* (vt loquitur Poeta) *coronarum florem ſuauem corde hilari accipe,*

ὑψηλᾶν ἀρετᾶν, καὶ
στεφάνων ἄωτον γλυκὺν
καρδίᾳ γελανεῖ. *Pind. Oly. od. 4*

à

Veſtræ Celſit.[ni]

æternùm addicto cliente,
humiliq́ ſeruo
C. P.

AVTHOR AD LIBRVM

Quem te memorem libelle, prima
Muſa cura mea, laborque primus,
Cui fiducia tanta ceſſit vltro,
Inſigniret vt inclyto modeſtam
Frontem nomine, paginas & ambas
Vnus CAROLVS *expleat, Camœnæ*
Dignus Pindaricæque dithyrambis,
Vatis Mœoniique dignus ore,
Facundâ Iſocratiſque panegyri?
Sed tu, quantulus es tamen, Sophorum
Securus modicas potes videre
Cellas, limina ſanctioris aulæ,
Et pallatia Principum ſuperba.
Illi nam placitiſque, reguliſque
Reſpondere ſuis nec illubenter
Vitam Principis *audient, legentque;*
Præclarumque legent nec illubenter
Exemplar patriæ Optimi Parentis
Magnum Heroa nepotibus fuiſſe.
Aſt hos tempora Principis benigni
Virtutum radiantibus Coronis
Exornata iuuabit intueri,
Geſtas reſque iuuabit æmulari.
Quin & cetera turba non maligno
Immortalia perlegens ocello
Facta, atque inclyta CAROLI *nepotes*

Rectores

Rectores ſimiles ſibi vouebit,
Ergo nec temerarius, nec audax
Securus volita omnium per ora.
Quod ſi quis tamen eſſe pernegabit
Tanti, qui vacuas tibi otioſus
Aures præbeat immoranti multùm
Depingendæ hominis beatitati,
Quam natale decusque, ſanitasque,
Et proles bona, tum pudica coniux,
Ac formæ ſpecies, bonusque amicus,
Complent, nominis atque claritudo;
Virtus denique multiplex iugata,
Quæ fons nobilis omnium bonorum
Eſt, & ſummus apex beatitatis,
(Quæ ſumma omnia Carolo *adſuere)*
Lectorem caueas, liber, morari
Moroſum, illepidum oppidò, inficetum,
Auerſumque choro nouem Sororum,
Naturæ genio, ſodalitati
Humanæ, imperioque prorſus æquo,
Virtutis quoque transfugam malignum.

Ad Auctorem Libri

LAVRI, myrti, oleæ, roſæ expreſſi
Exornans nitidum caput corolla
Chari Principis, atque amoris orbis
Æternùm viget, & vigebit uſque
Hanc nec tempus edax nec acer ignis,
Delere inuida nec potis vetuſtas,
Te ſcriptore: datum ore cui rotundo
Herois celebrare geſta tanti.

I. L. M

CAROLI III.

SERENISS. POTENTISS.QVE DVCIS CALABR. LOTHARINGIÆ,

MARCHISII, DVC. BARRI, GVELDRIÆ, MARQVIONIS PONTIS AD MONTIC. COMITIS VADEMONT. ALBIMONTIS, ZVTPHEN

ΜΑΚΑΡΙΣΜΟΣ;

SEV FELICITATIS, ET VIRTVTVM EGREGIO PRINCIPE DIGNARVM

CORONAE

EX SAPIENTIÆ HORTIS LECTÆ, CONGESTÆQVE IN HONORARIVM EIVS TVMVLVM.

CONCLAMATIO CAROLI III. OPT. MAX. PRINCIPIS, ET PARENTIS PATRIÆ.

QVOD graui, & repentino in mœrore iacentibus vſu venire ſolet, vt adiunctis rerum difficultatibus circumuenti quid conſilij captent, non ſatis videant, quoq; ſe vertant, neſciant; idem mihi hoc tempore per orbitatem CAROLI III. OPT. MAX. Principis, & clementiſſimi Domini non mediocriter perculſo contigit, vt in magnâ rerum omnium perturbatione, & luctu publico quid facerem, atq; vndè ſummi doloris peterem medicinam, diu multumq; agitarem, nec facilè certum apud me conſilium conſtituerem; verumq; eſſe illud Senecæ experirer, *Triſtitia inhabilis eſt ad diſpiciendas res, vtilia exogitanda, periculoſa vitanda, æqua æſtimanda.* Nam cum tritum illud carmen, 2. de Clement.

Curæ leues loquuntur, ingentes ſtupent; Senec.

tum ingenioſa Timanthis tabella, in quâ ſcilicet funus Iphigeniæ agnatis, & primoribus populi planctu ingenti, & querelis multis proſequentibus parens ipſe Agamemnon infelix, ac veluti ſidere percuſſus, triſte caput atro obnubens velo, ſui incredibilis mœroris ne vnum quidem ſuſpirium teſtem trahebat ex pectore; monebant ſeriò luctum, quem nobis vniuerſis Opt. Parentis Patriæ mors propriâ omnium bonorum morte reliquit acerbiorem, ſilentio potius quàm oratione exprimi poſſe, *nihilq; eſſe difficilius, quàm magno dolori paria verba reperire.* Et verò memor illius Muſonij, *ab admiratione magnam laudem non abeſſe, admirationem autem, quæ maxima eſt, non parere verba, ſed ſilentium;* proſpiciebam ſummas, ac diuinas magni Herois virtutes, quarum cômemorationem ex hoc tempore mos nunquam ſatis laudatus in funere virorum illuſtrium, atq; de Repub. benè me- Senec. de Conſol. ad Polyb.

ritorum non tantùm publicam,ſed ab vnoquoq; ingenuo priuatam ſuo iure depoſceret,tacitâ cordis admiratione, ac veneratione, vti cetera quæq; diuina,ſuſpici melius & coli,quàm cuiuſquam eloquẽtiſſimi oratoris facundiâ exornari atq; decorari pro dignitate poſſe, ac debere. Ex aduerſo autẽ illud occurrebat doloris animi præſentius nullum,ac gratius pharmacum eſſe, quàm libertatem ei quærere, internumq; animi mœrorem affatim flendo diffundere, *& quod ſolatÿ loco eſt,inter multos diuidere,qui quia diſpenſatur inter plura, exiguâ debet parte ſubſidere*;ſciebamq; priuatæ ægritudinis ex amici caſu peruulgatam quidem,ſed iucundiſſimam tamen medelam eſſe accuratam, & honorificam beatitatis demortui contemplationem : denique hæc cura obuerſabatur animo tot,& tantarum virtutum, quibus generoſus Princeps his in terris emicuiſſet, atque ornatus cœlum aſcendiſſet, ſilentium & obliuionem non poſſe non eſſe cum ſũmâ ingratitudinis notâ in nobis coniunctã,qui et publicis,& priuatis eius beneficiis ſingularibus felici benigniſſimi Principis memoriæ æternùm eſſemus obſtricti,cũ ex Socratis decreto *Thus dìis quidem,laudem vero bonis viris tribuere iuſtum ſit*, Τὸν λιβανωτὸν τοῖς θεοῖς, τὸν δὲ ἔπαινον τοῖς ἀγαθοῖς ἀπονέμειν δεῖ. quarum rationum per doloris inducias ſubductis,& collatis vltro citroq; momentis, eam tandem ſummam conſiliorum ineundam mihi putaui,me & dolori quidem,quem ex orbitate munificentiſſimi Dñi,& Mæcenatis pro meo eximio in charitatem illius erga me ſingularem affectu ,atq; obſeruantiâ concepi animo quàm maximum,remedium peridoneum allaturum eſſe, ſi rùm omnium conſpectu bonorum præ lacrymis & mœrore hodierno die tabeſcentium quaſi inuitatus haud inuitus ipſe paterer ægritudinẽ, quanta quanta animo infixa eſt, ex pectore, ex oculis multo cum gemitu, & lacrymarum imbre largiter diffluere, continuoq; fluxu tandem exareſcere; tum attentâ felicitatis eius immortalis conſideratione languentem,ac fractum animum recrearem:& vero officio meo ſatisfacturum,ſi heróum,atq; elogiũ aliquod illuſtrium eius virtutum, tametſi longè earum magnitudini impar,tanquam extremũ munus piæ magni Principis memoriæ, nec ingratũ ſuæ erga me prolixæ beneuolentiæ mnemoſynon perſoluerem. Diuinè enim Plato ſcripſit *mortuos reuera habere à nobis præmia ſibi ipſis conſentanéa quæ aſſecuti fatale iter peragerent, tam publicè à ciuitate,quàm priuatim à ſuis magnificè dimiſſi,reliqua autem ornamenta ipſis reddi diſerte legem iubere, & conſentaneum quidem ita eſſe. Etenim rebus bene geſtis ex præclarâ quadam oratione ſempiterna prorſus memoria & nominis ſplendor iis, qui hæc geſſerunt, perdurat apud ceteros mortales eâ autem oratione opus eſt,quæ mortuos qui-*

Senec Ibid.

Menex.

dem

dem ſatis commẽdet, & ſuperſtites blande moneat, & fratres, atq́; nepotes ad idem virtutis ſtudium capeſſendum impellat, patres, & matres, & auos (ſi ſuperſunt) conſoletur. Quod officium quanquam explere maturiùs ſperaueram, ſiquidem

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt;
Quæ fieri properat gratia grata magis;

tamen quia & per iuſta negotia, & parùm æquam valetudinem, animiq; firmitatem mihi id eſt hactenus denegatum, putaui certè ſat ei cito, ſi ſat benè, hoc eſt ampliter, & cumulatè à me iri reſponſum, à Phauorino Philoſopho edoctus *turpius eſſe exiguè, atq́; frigidè laudari, quã inſectãter, & grauiter vituperari quoniam*, inquit ille, *qui maledicit & vituperat, quantò id acerbius facit, tàm maxime pro iniquo, & inimico ducitur, & plerumq́; propterea fidem non capit, ſed qui infecundè, atq́; ieiunè laudat, deſtitui à cauſſa videtur, & amicus quidem creditur eius, quem laudare vult, ſed nihil poſſe reperire, quod iure laudet.* Atque illud cum pro viribus, & ex animo, vt debeo, diuino fretus auxilio

(Γλυκὺ δ' ἀνθρώ-
πων τέλος, ἀρχά τε δαίμο-
νος ὀρνύντος αὔξεται.
Dulce eſt Cynthie in vltimo
Rerum fine pedem figere proſperum,
Nec dextro ſine numine
Felix auſpicium eſt incipientibus) Pind.

præſtare meditor, eo certe confidentius, quòd ſine aſſentationis ſuſpicione & abſentem laudare, & præclara eius facinora, quorum ſpectator, & admirator tot per annos extiti, celebrare, & poſteritati ad imitandum proponere operæ pretium me non pœnitendum eſſe facturum in animum induxi meum, *Viros namq́;* vt rectè ſapiens Romanus, *interdũ fortuna ſæpe inuidia fatigat. vbi anima naturæ ceſſit demptis obtrectatoribus, ipſa ſe virtus magis, magisq́; extollit.* Enimverò ſi in ſalute Principis conſiſtit Reipublicæ ſalus, & in ſalute Reip. ſalus priuatorũ, magna profectò hoc tẽmpore nobis orbatis optimo poſt homines natos Principe iuxtà, atq; prudẽtiſſimo rectore lugẽdi, & grauiter dolẽdi occaſio eſt oblata. Nimirum cum homines ex ſe rerum omnium egeni, inertes, & præ ceteris animantibus maxime impotentes nullâ aliâ ratione egeſtati propriæ mederi, & saluti ſuæ melius potuerint conſulere, ſe ſeq; ab omnibus externis vindicare iniuriis, quàm ciuilis ſocietatis, mutuæque inter ſe operæ beneficio, ciuiliſq; ſocietas, quam eo fini optimus quiſq; à naturâ appetit, imperio maxime retineatur. *ſine quo,* vt præclarè Tullius, *nec domus vlla, nec ciuitas,*

Salluſt. ad Cæſ. de Rep. ordin.

3 de legib.

nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt, imperio certè ſeu fulcro rerum humanarum ſublato atque euerſo, ipſam quoq; ſocietatem peſſum ire neceſſe eſt. Atqui imperij cum triplex ſit omnino forma, primus certè, & diuiniſſimus eſt principatus, *πρώτη καὶ θειοτάτη βασιλεία, regnumq; res inter Deos, hominesq; pulcherrima*; viua quippe, & ſpirans imago gubernationis magni huiuſce mundi ſub auſpicijs ſummi, & ſapientiſſimi rectoris Dei,

Ariſtot in Polit. Liuius li. 26.

Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες.

Ex Ioue ſunt reges;

Heſiod. in Theog.

verum, minimèque adumbratum naturæ exemplar ſingulis rebus vnicum ſtatuentis principium; tùm verò ordini, cuius vis tota in relatione ad vnum quoddam primum eſt ſita, & rationi conſentanea apprimé, *vnū imperij corpus vnius animo regendū videtur*; deniq; dignitatis, & facultatis ſuæ omnis minimè prodiga in multos, ſed eâ in vno veluti capite vniuersâ iunctâ, & vnitâ gaudens; quò ſané potentior, ſplendidiorq;, ac liberior, & hominum generi gratior eſſe debet, qui quaſi edocti à naturâ *pauci libertatem, pars magna iuſtos dominos volunt*, & vni inter ceteros præcellenti, quaſi mortali Deo haud ingrati colla ſubmittunt, imperioque eius non inuiti parent; *ὁ βασιλεὺς ἐς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων* dicebat Plato, *rex Deus quiſpiā humanus eſt*. Quoniā igitur ſalus, formaque Reipub. in ordine, & hic in vnâ regiâ, ſeu principali poteſtate perinde, atq; vniuerſi ordo in vno Sole reliquorū ſiderum principe, & moderatore viget, vegetque, quid aliud ſperamus regio Principe extincto, & ordine publici imperij immutato, niſi sūmam rerum confuſionem, & perturbationem *pacis quidem intereſt omnem poteſtatem ad vnum conferri*, atq; à pluribus non niſi turbas exſpectare oportet, non aliter, ac ſi duo Soles velint eſſe, periculum ne incendio omnia perdantur. Fingite autem vobis Solem de mūdo ſublatū, aut canonicū præter curſum, vt aliâs regnantibus Pharaone, Tiberio, Vitellio, deliquiſſe integrum, atque ad tempus non exiguum; & confeſtim quoq; cælum ipſum ſperatote atrâ, denſiſſimâque obſcurari caligine, terram quaſi triſtitiâ quâdam contrahi, cetera elementa veluti gelu conſiſtere, mixta vniuerſa, plantaſque lapideſcere, animantes conſternari, atq; emori; faciem denique mundi pulcherrimam in antiquum chaos immutatam, fædâ perpetuâque hyeme rigere, contabeſcere. Similiter profectò quoties in Repub. iuſtū, ac prudentem Principem fatis euenit concedere, ſilere tùm leges, diuina humanaq; euerti iura, officiaque, & ordines perturbari omnes, inteſtinos agitari tumultus, arma concrepare, & ſuſque deque omnia neceſſe

Tac. in Ann.

Saluſt in Ep. Mithrid.

In politic.

Tacit. 1. hiſtor.

eſt

eſt miſceri. Reipub. bene prudenterq; inſtitutæ ſtatum humani corporis œconomiæ, quâ nihil in terris admirabilius, elegantius nihil poteſt reperiri, ſcitè, & cum magnâ imperij Rom. iam primum naſcentis vtilitate ſapiēs Romanus Menenius Agrippa, qui inter patres, ac plebem publicæ gratiæ ſequeſter fuit, comparauit. Viden', & admiraris tantulum hominis corpus tot, & tàm variis diſtinctū membris, in quorum ſingulo ſua, & diuerſa inter ſe elucent officia, ab vno fonte (animam, ſpiritumq; vitalem intelligo) deſfluxa, atq; ad vnam hominis incolumitatē miro cum ordine conſpirantia? & vide quoq; ac mirare rectè conſtitutam, ac fundatam Rempub. magiſtratibus inniti variis, qui modum, vimq; omnem ab vno Principe, veluti capite haurientes ſuas cogitationes omnes, ſuaq; conſilia, & labores ad ſalutem publicam, ceu communem finem referunt; *Illud namq;* vt ſapienter Seneca, *vinculū eſt per quod reſpub. cohæret, ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur.* 1 de Clem. Quod ſi quàmprimū anima ex hoc corporis ergaſtulo euolauit, & calor vitalis oſſa reliquit, extēplo videmus de ſenſu actum, oīaq; vitæ munia collabi, fœdā ſuccedere colluuiē, & corpus tabo confectum ſuperare inglorium, & ſine nomine truncum: quid nō pariter infauſti, infeſtiq; Reipub. ſuo fideli rectore, & ſapienti moderatore deſtitutæ metuere æquum eſt? ſcilicet pro labore deſidiam, pro continētiâ, & æquitate libidinem, atq; ſuperbiam inuadere, Deos negligi, omnia venalia haberi, fortunā ſimul cum moribus immutari, deniq; imperiū ex iuſtiſſimo, atq; optimo crudele, intolerādūq; fieri.

Rege incolumi mens omnibus vna eſt. V. P.
Amiſſo rupère fidem.

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἐστὶ κακὸν. Sophocl.
Αὕτη πόλιας ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
Οἴκους τίθησιν, ἥδε σὺν μάχῃ δορὸς
Τροπὰς καταῤῥήγνυσι· τῶν δ' ὀρθουμένων
Σώζει τὰ πολλὰ σώμαθ' ἡ πειθαρχία.

Confuſione tetrius nullum eſt malum,
Hæc perdit vrbes, iſta perdit & domos,
Vaſtasq; reddit; Mart... in certamine
Hæc terga vertit. ...te ſed parentium
Res ſeruat, atq... itam obedientia.

Enimuerò occidit pro... olor! occidit CAROLVS III. vnus ex fortiſſimis, & ſapient... nis, quos Sol vidit, Princeps, qui hanc Auſtraſiam, quam tenem..., in mediâ Europâ variis, ac ſæuis bellorum tempeſtatibus vndi... concuſſa ceu in Oceano nutantem, & fluctuantem

pari animi conſtantiâ ſexaginta continuos annos tanquam firmiſſimis anchoris retinuit, conſeruauit, atq; à cōmuni naufragio eripuit. O veré tùm fortunatam Auſtraſiam eo rectore!

Lucret.

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem;
Non quia vexari quemquam eſt iucunda voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuaue eſt;
Per campos inſtructa tui ſine parte pericli
Suaue etiam belli certamina magna tueri.

O terq; quaterq; infelicem Auſtraſiam ex eius orbitate! vixit, heu! vixit, & ô vtinam viueret CAROLVS III. Opt. Max. Princeps, qui ſapientiâ incredibili cum ſingulari æquitate coniunctâ ſanctiſſimis legibus conſtitutis, acerrimâ ſcelerum vindictâ, ampliſſimiſq; virtuti redditis honoribus Auſtraſiam tāquam Deus Tutelaris pacatiſſimo rexit imperio, omnes in officio continuit ordines, ac ſumma inter ſe beneuolētiâ cōiunxit, qui bonū publicum, & cuiuſq; priuatum pari atq; ſuum cura conſeruauit, amplificauit, qui eximia caritate in ſuos omnes, otio, & pace, *cuius & nomen dulce eſt, res verò ipſa tùm iucūda, qua non modo ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atq; agri videtur lætari*, pace inquam, atque inuidenda felicitate tanquā optimus Parēs patriæ nos mactauit. Abiit ſanctiſſimus, & religioſiſſimus Princeps, qui auitam religionem, *quæ vinculum eſt ſiue coagulum omnis ſocietatis, & iuſtitiæ firmamētum*, συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἐρεισμα, egregia cum fide, & pietate in Deum conſtantiſſime retinuit, atque tot & tam varios aduerſus hoſtes, quorum hoc æuum, eheu! fuit feraciſſimum, acerrime propugnauit. Reliquit nos inuictus ille Hercules Muſagetes, qui edomitis ignorantiæ, & barbariei monſtris anteà late dominantibus ſapientiam cum virtute è Latio, & Græciâ euocatam in hanc induxit Academiam, & matrimonio perpetuo, arctiſſimoq; copulauit. *O fata inexorabilia! nihil ergo prodeſt innocentia ad omnem legem exacta, nihil antiqua frugalitas, nihil felicitatis ſumma potentia, ſumma conſeruata abſtinentia, nihil ſincerus ex toto litterarum amor, nihil ab omni labe mens vacans*. Graues itaque & opinione aſperiores dolendi, & lugendi cauſſæ, quibus ſi quis non cōmoueatur vehementer, eum omni humanitati, ſenſu carere neceſſe eſt. Luge igitur, luge affatim tu mihi veneranda Auſtraſia, & tui honoratiſſimi parētis ſupremum comitare honorem paſſis capillis,

Cicero pro lege Agr.

Plutarch.

Seneca.

Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora.

Luge ô Nancæum ocelle vrbium, voſque incluta veteris proſapiæ, & iuſtitiæ columina Barrum, atque Diui Michaelis fanum lugete,

erumpite in planctus, qui ſuperatis præcelſis veſtris propugnaculis compleant longè latèque totã viciniam; colliqueſcite in lacrymas, quæ depreſſas iis altè foſſas magnâ aquæ vi exæquent. Quid enim per Deum im mortalem funeſtius, quid calamitoſius vobis contingere potuit, quàm vt is eriperetur communis parens, cuius tãquam Iouis Statoris nutu, & benignitate ſtetit, floruitq; tamdiu hoc imperium? Luge & tu, ô ſuperbe Pons, gratũ Muſarum domicilium, pone frõtis hilaritatem, ac natiuum eluc genarum purpuriſſum impenſo lacrymarum flumine, cuius & acceſſui ſubterlabens Moſella turbidus latè exundet, & murmure vicinus Monticulus, Parnaſſus alter, ruat ipſe arduus, ac vndiq; riuis fatiſcens liqueſcat, & largo imbre ſata læta, boſique labores diluat. I nunc Muſa, atrata incede, & lauris triumphalibus cypariſſos ſuſtitue inuiſas, atq; Cæis næniis, flebilibusque tuis elegis proxima perſonẽt nemora. Nam quid acerbius, quid triſtius tibi accideret, quàm vt fatis occũberet generoſus ille Bellerophon, qui primus munificentiâ ſuâ tanquam Pegaſi vngulâ ſalubrem doctrinæ, & ſapiẽtiæ omnis Hippocrenẽ aperuit, effudirq; viuos eius latices nõ ſolùm in vniuerſam Lotharingiam, ſed in ſemotas, & alio ſole calẽtes terras? Verumenimuerò intercà dum ſuum beneficum Mæcenatẽ charæ, doctæque ſorores mœſtæ, & crinem de more ſolutæ deflent multo cum gemitu, & lacrymis, atq; duræ mortis caſum, & Parcas inexorabiles multà incuſant, Ecce commodùm magiſtra vitæ humanæ aduenit Dia Philoſophia,

Cui frons læta parum, & deiecto lumina vultu,

& chorum nouem ſororum, vincendi, certè minuendi potiùs quàm fallendi communis earum doloris cauſsâ *(nam dolor, qui deluſus voluptatibus, aut occupationibus abductus eſt, reſurgit, & ipſa quiete impetum ad ſæuiendum colligit: at qui rationi ceſſit, in perpetuum componitur)* in amœnos, & florentes hortos, cultaque viridaria blãdè inuitat, ducit, atque animum à luctu recipiant, benignè hortatur, ſuauèque fragrãtes colligant flores humanæ ſortis monitores, & corollas contexant varias, tumuloque noſtri Bellerophontis certatim, atque plenâ manu coniiciant, tot & tantarum eius virtutum præmia. *Idem de Conſol. ad Helu.*

CORONA LAVREA,

ſeu de felicitate externâ?

AD

SERENISS. POTENTISS.QVE HENRICVM II. Ducem Cal. Loth. Barri, Gueld. &c.

PANDITE Pierides MVSAE, *quis cortice ſcabro*
Senſus medullis abditur *(hortis*
Ramorum, SAPIENTIA *quos decerpere in*
Germana vos iuſſit ſoror;
Ramorum, quibus hoc intexitur arte Magiſtrâ
Vernans CORONARVM *decus*
Sacratum charo capiti. Te namq; Deorum
Genus lubens exoſculor,
Et lætus veneror, nec vanam ludit imago
Auguſta mentem, ô CAROLE,
CAROLE, *felici qui rexti nuper habenâ*
Latè patentem Auſtraſiam,
Orbis deliciæ, deſideriumq; tuorum,
Flos & popli illibatior,
Edita qui primus doctrinæ templa Camænis,
Et grata feciſti otia:
CAROLE, *quem Diuûm Pater, atq; hominum Rex*

Terris

Terris & inuidens dedit
Felicem in cœlis æterna pace fruiſci,
Adſcripſit & ſuo ordini.
Tu vero ante omnes numero grauiore perita
Deos, Deûmque ſanguinem
CALLIOPE *celebrare, graues & dicere Regum*
Iras timendorum, armaque,
Aggredere eximios, quos ori adflauit honores
Natura magni Principis,
Ingenio genioque potens vt vixerit, æquè
Verendus, & carus ſuis.
Aggredere egregios, fortunæ munera, honores,
Sublime queis tulit caput
Mortales ſupra, & veluti ignes Luna minores
Inter, beatus fulſerit.
Æternùm ſic vos HENRICVS *ametque, colatque*
Humanitate pro ſua,
HENRICVS *columen noſtrum, ſpiranſque Parentis*
Imago, lumen, & decus.
Oceanas ſibi quàm ſimilis Sol aureus intrat,
Et pulcher exit Sol aquas;
Semideûm ſoboles tam reffert generoſa Parentem.
Virtute, factiſque inclyta,
Et regere imperio populos, & ſceptra tenere
Digna, atque honoris æmula.
CALLI. *Audebo, ſequar atq; volēs. Quæ cura Camœnis,*
Aut qui labos iucundior,
Seu leuior fuerit mihi, quàm qui iuſſa capeſſat

Semper-benigni Principis
HENRICI? *Namque ille mihi ſemper Deus, ille*
Caruſq; Mæcenas erit:
Illius & ſapiens pectus, doctaſq; vel aures
Nullus potentior ſiet
Verſus præclaro elogio mulcere paternæ
Virtutis, & potentiæ.
Ergo ROSÆ, VIOLÆQ;, *& candida* LILIA *mixtim,*
Pleniſq; palmis aureo
Sparſa thoro inſinuant terris HEROA *relictis*
Petiſſe ſublimem æthera.
Qualis defluit occiduo flos Sole, nitoremq;
Amittit, & decus recens,
Cui ſub mane vagæ riſerunt dulcè puellæ,
Grataq; iam ſpe legerant.
Talis vita hominum florens exſpirat in auras,
Breui & momento labitur.
Nam quid homo niſi hum⁹ madefacta, vel ocior aura?
Homo quid? vmbra ſomnij.
Iam CICER *exiguum, ferrugineuſq; Amaranthus*
Firmi, valentiſq; indices
Corporis, ingenii & felicis, prudentiſq;,
Papyrum adornant textiles,
Quæ genus antiquum, atq; auguſta notatur origo
Claræ domûs LOTHRINGICÆ.
Scilicet haud dubia Princeps formatus ab arte,
Sed fortis, & prudens fuit
Natura, quam non acris vulpecula mutat,

Nec vis leonis exuit;
Naturâ, neq; eâ ſegni, ſed prole beata
Pulchra, beata & coniuge
Regali, (prolem egregiam quam VITIS *adumbrat*
Feracitatis ſymbolum:)
Natura, Veneris donis, Charitumq; decorâ, et
Diuinitatis flammula,
Candida purpureis quam ſignant LILIA *formam*
Intexta molliter ROSIS*:*
Natura, comitem quam haud dedignata ſecunda
Ætatis ad metam vltimam
Fortuna, (aut mage amor Diuorum temporis exors,
Fauorq; flecti neſcius)
Hanc etenim LAVRVS *cõnexa, &* QVERCVS OLIVAE
Coma virente denotant.
LAVRVS *amat tua cingere tempora Maxime Cæſar,*
LAVRVS *triumphantis decus.*
Imperii faſces æterni QVERCVS; OLIVA
Pacis, bonorumq; omnium,
(Quæ tanti facitis, cupitiſq;, ô vos mortales?)
Demonſtrat adfluentiam.
Imperium quippe illi opulens, quà panditur inter
Germaniam, atq; Galliam
Terra Auſtraſiaca fœcundum, & farris abundans,
Et diues omnium ſolum,
Quorum vſus vita mortalia damna rependit,
Fluxum perennat & breuem.
Hoſpita gens autem factis aſſueta decoris,

Et fortis, & prudens ſimul.
Ergo magnanimus Princeps, & terq; quaterque,
Semperque felix CAROLVS
Vitæ, quem dederat curſum natura, peregit
Bonis fauentibus dijs.
CAROLVS *& vixit famâ ſuper æthera notus,*
Colendus & cunctis bonis.
Viuat & HENRICVS *felix meus imperii auiti, &*
Virtutis hæres patriæ.
Ad ſacram cuius ſupplex voueoque, precorque
Aram leuem hanc appendier
Elogio patris, meritaque & laude tabellam
Inſignem, & omnibus legi;
Cuius ad exemplum ſe ſe componat amicus
Tranquillitatis publicæ
Princeps, & iuxtà charus Diuiſque, ſuiſque,
Veruſque patriæ Parens:
HENRICVM *qualem veneratur ſubdita tellus,*
Miratur & gens extera.
Ardet namque animus generoſa extollere facta
Olim, tuas & inclytas
Laudes, HENRICE, *atque euerſa minantia cœlo*
Victrice caſtra prouidâ
Mente tua, & forti dextrâ, narrare ſuperba
Trophæa, lauros & tuas.
Quin & mentem, animoſq; olim celebrare iuuabit
Tenace iuſti cum fide,
Raramque imprimis, qua nulla ſuauior illex

Amoris

Amoris in te Ciuium,
Gratior aut Diuis virtus, ornare iuuabit
Mitem tuam clementiam.
Temperiem & vitæ rectam decorare, modumque, et
Benignitatem geſtio,
Quæ tua non parua eſt mortales vincere laus, et
Iungi Deo quàm proximè.
Hæc ſunt ſcilicet imperij fulcra, atque columnæ;
Hæ ſunt opes, nerui, armaque.
His gradibus ſolium HENRICVS *conſcendit auitum,*
His & regit regnum artibus;
His inſignis auûm titulis exæquat honores,
Jlluſtrat & laudes patris;
Et gradibus (fatis functus felicibus) iiſdem
Aſcendet arces igneas,
Purpureo æthereum nectar bibet ore recumbens
Beatus inter cœlites.

QVÆ cum Calliope fudiſſet identidem in roſas, violaſq; purpureas cum liliis ſuper tumulum congeſtas oculos conuertens ſolatur paucis luctũ publicum, & coronâ glorioſi Principis capiti impoſita huiuſcemodi oratione liberius excurrit in felicitatis externæ magni Herois ſingulas partes. Scilicet breuẽ eſſe florem huius vitæ: *Certis ire cuncta temporibus, naſci, creſcere, extingui. quidquid cœpit, & deſinere: tam hominum, quàm vrbium fata voluit: tota cum regibus regna, populoſq; cum gentibus tuliſſe fatum ſuum:* Senec ep. 71 ep 91. de conſol. ad helaid.

Stat ſua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus Virg 7. Aen
Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Senec. ibid. *Ita fato placuiſſe nullius rei eodem ſemper loco ſtare fortunam. Quid enim mutationis periculo exceptum? non cælum, non totus rerum omnium contextus, quamuis Deo agente ducatur, non ſemper tenebit hunc ordinem, ſed illum ex hoc curſu dies aliquis deijciet. Et ideò mihi videtur rerum natura quod grauiſſimum fecit, commune feciſſe, vt crudelitatem fati conſolaretur æqualitas.* Optimum ſcilicet Principem, ſed mortalem; magnum virum, ſed hominem tamen fatale debitum perſoluiſſe; (de conſol. ad polyb.)

Pind. Nem. od 7. ἀλλὰ τὸ μόρσιμον ἀπέδωκεν.

vixiſſe olim, ſed officia boni, iuſtiq; Principis magna cum fide, & curâ executum fuiſſe; ſed omni ſemper ex parte beatum; *Sed dum viueret tantam venerationem recepiſſe, vt quod rarò vlli contigit, felicitas eius effugeret inuidiam, itaq; egiſſe ipſum, vt meliore ſui parte duraret, & compoſitis præclaris operibus à mortalitate ſe vindicaret, & longiſſimum illi æuum virtutum fama promitteret.* quid dixi vixiſſe? immo etiamnum viuere nobis quidem in Opt. Max. filio & Principe imperii hærede, paternarum hærede virtutum; ſibi autem longè optabiliorem, & meliorem vitam in cælo cum Diis viuere æternùm. Quò magis temperemus à lacrymis muliebribus, & Philoſophiæ pareamus æquum eſt. Enimverò quæ res omnem ex amicorum orbitate ægritudinem, & lacrymas potentiſſime abſtergere ſolent, eæ nobis luculentiſſime diuino beneficio hoc tempore ſunt oblatæ, ſpes ſcilicet certa præſentis beatitatis defuncti Principis, & præſentia, incolumitaſq; illuſtris Filij paternæ bonitatis, & prudentiæ hæredis: quarum rerum altera caſum, ſeu abitum illius a nobis, ſi quis vitæ futuræ animis noſtris ſenſus, vt eſſe debet, ſupereſt, lugere nos deinceps vetat; altera cum tanti boni amiſſi damnum reparat, tum metus impendentium malorum, *quibus opportunæ imperiorum vices eſſe ſolent*, ſecuros animi nos eſſe iubet, adeò vt Steſichori illud vetus dictum meritò vſurpare hîc liceat, Ἀτελέστατα καὶ ἀμήχανα τοὺς θανόντας κλαίειν. (Senec. de conſ. ad Mart.; Tacit. 1. hiſto.)

Lugere mortuos res eſt carens affectu, & conſilij inops;

cur enim amabò, miramur, & criminamur mortis ſæuū in mortales imperiū, & fata iniqua cauſſamur, niſi quia illa & iniurioſe felicitatē eorū, in quos ſæuiūt, demetere, & affines ſuperſtites, quiq; ad capite minutos pertinēt, vidētur præſenti, maximeq; ſalutari bono priuare? quæ duæ criminis cauſſæ cum diuinâ prouidētiâ lōge abſint à nobis, eſt ſane quod ſolari nos lubentes patiamur, & luctui modum ponamus, ac diuina fatorum iuſſa potius taciti, pronique veneremur. Etenim ſi ſereniſſimus Princeps his in terris magnâ cum tranquillitate, & pari ſui nominis ſplendore, ſed non ſine impenſâ, aſſiduâque ſollicitudine; ſi magna cum felicitate, *cuius tamen tutela ſollicita eſt*, tot (Senec de conſ. ad. polyb.)

per

per annos regnauit, quot vel paucis è populo trahere vitam paſſim conceditur, iamq; ab ærumnis liber quieſcit tandem tutus, tandem æternus, *ac fruitur nunc aperto & libero cælo, ex humili atq; depreſſo in eũ emicuit locum, quiſquis eſt, qui ſolutas vinculis animas beato recipit ſinu,* atq; Deorum ordinibus adſcriptus æternâ pace, gloriâq; gaudet, tot & tantis hic relictis illuſtrium ſuarum virtutum monumentis, tot ac tantis ſuæ magnanimitatis, atq; ſapientiæ adhuc ſpirantibus imaginibus, quibus imperium retineri æternùm valeat; quid malum! inuidemus eius felicitati, & de beatitudine tantâ delibamus, illum è cælo, in quo cum Dijs agit æuum, has in terras toties votis vocantes, reuocantes? *beatũ deflere inuidia eſt* inquit Seneca. Quid porrò malignitate naturæ mortaliũ inſitâ, *cui nihil magis placet, quã quod amiſſum eſt, iniquiores ſumus aduerſus relicta ereptorũ deſiderio*; & bonitati, prouidẽtiæ, vigilantiæ Tutelariũ patriæ Geniorum diffidimus? quaſi non poſſit

Id.

Id. de conſ. ad Polyb.
id. de conſol. ad Mart.

Multa dies variuſque labor mutabilis æui Refferre in melius?

Virgilius

aut res humanæ non ferant à potioribus ſæpe, etſi inſperatis bonis luctum quamuis grauem opprimi? πένθος

δὲ πίτνει βαρὺ
κρεσσόνων πρὸς ἀγαθῶν.
Sed bonis rebus cadit omnis ægri
Pectoris angor.

Pind. olymp. od. 2.

Age verò vltro oblata à Sapientiâ remedia communi dolori feriò tandem admoueamus. Principiò *mihi pro vero conſtat* (cũ ſapiente Romano) *omnium mortaliũ vitam diuino numine inuiſi, neq; bonum, neq; malum facinus cuiuſquam pro nihilo haberi ſed ex natura diuerſa præmia bonos, maloſq; ſequi*: nimirum ſumus mundi architectator Deus hominẽ ad ſuæ diuinitatis imaginem effictum, ſuæq; ſapientiæ admiratorẽ cum creaſſet, atq; liberæ, & immortalis conditionis, nec non ceterarũ rerum dominũ, & imperatorẽ; congruebat ſanè ſũmæ eius bonitati, illum quoq; beatitudinis, diuinarũ ſcilicet mentiũ propriæ affectionis, atq; libertatis, & imperii aſſeclæ participẽ reddere: ex quo non ſolùm homini quoad viueret omnis generis bona ad benè beateq; viuendum neceſſaria benignè prouidit, ſed longè præſtantioribus, & ſinceris magis (nam *hic alternæ vices ſunt rerum,*

Salluſt. ad Cæſ.

Et ſubtexta malis bona ſunt lacrymæq; ſequuntur
Vota, nec in cunctis ſeruat fortuna tenorem)

Senec. 3 quæſt. natur.
Manil.

illum ex hoc corporis ergaſtulo iam liberatum pro ſuâ immenſâ bonitate, ac munificentiâ æternum beauit, mactauit. Atqui cum in oẽs mortales immenſa fuerit tanti Numinis propenſio, certè erga reges & principes, *qui ſunt educati a Ioue*, Διοτρεφέες βασιλῆες, lõgè ſemper

Homer.

eximia

eximia fuit benignitas, & caritas. Quæ ſi vera ſunt, vt ſunt veriſſima, & vtroq; genere felicitatis cumulatum abundé, ac beatum olim vixiſſe CAROLVM III. meminiſſe iuuat, & etiamnum in cœlo viuere ex preclaré feliciterq; anteactâ vitâ, & eius diſceſſu, & commutatione cum ſempiternâ illâ, & iucundiore credere par eſt, parum profectò ſapienter dolemus vicem eius, qui feliciſſimam, & omnibus optandam cum beatjs illis mentibus vitam agit. Ab illâ ergo, ſi placet felicitate, quæ nobis diuinâ liberalitate; quandiu his in terris moramur, obuenire poteſt, quæq; eſt via ceu callis nos recta ducens ad futuram illam immortalem, quam optimus quiſq; tanquàm metam, & præmium ſuorum laborum naturâ duce appetit, ordiamur.

Quanquam & nihil altius inſedit animis mortalium, quã felicitatis ceu extremi, ſummique in hac vitâ finis appetitus, omnes ſiquidem homines cuiuſque ſexus, ætatis, ordinis *nauibus, atque*

Horat.2.ſer. *Quadrigis petimus bene viuere*;

1.de finib.bon. et verò nihil æqué vtile atque eius cognitio. Nam vt monet M.Tulli9, *quid eſt in vitâ tantopere quærendum, quàm quis ſit finis, quod extremum, quod vltimum, quò ſint omnia benè viuendi, rectéq; faciendi conſilia referenda?* quoties nimirum, vt ait Seneca, *quid fugiendum ſit, aut quid*

Epiſt 7. *petendum voles ſcire, ad ſummum bonum totius vitæ reſpice. Illi enim conſentire debet, quicquid agimus: non diſponit ſingula, niſi cui iam vitæ ſuæ ſumma propoſita eſt. Nemo quamuis paratos habeat colores ſimilitudinem reddet, niſi iam conſtet quid velit pingere. Ideò peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de totâ nemo, ſcire debet quid petit ille, qui ſagittam vult mittere, & tùm dirigere, & moderari manu telum.* Quanquam hæc, inquam, ita ſe habeant, tamen in quo ſit conſtituta felicitas, aut quâ viâ vltimum appetendorum poteſt obtineri, nihil eſt profectò, de quo homines inter ſe minus conſentiant, vt verè dici poſſit quot capita, tot ferè opiniones de beatitudine hactenus extitiſſe.

Acad quæſtio. *Omnes quidem* à naturâ velut edocti, vt monet M. Tullius, *nullâ in re aliâ niſi in natura quærendum eſſe illud ſummum, quò omnia referantur, dicũt.* In ea autem naturæ conuenientia, quid ſit, erratur paſſim, *cum omnes bea-*

Epiſt.44. *tam vitam optent,* inquit Seneca, *quòd inſtrumẽta pro ipſa habent, & dum illam petunt, fugiunt. Nam cum ſumma beatæ vitæ ſit ſolida tranquillitas, & eius inconcuſſa fiducia, ſolicitudinis cauſſas colligunt, & per inſidioſum iter vitæ non tantùm ferunt ſarcinas ſed trahunt. Ita longius ab affectu eius quod petunt, ſemper abſcedunt, vt quo plus operæ impendunt, hoc ſe magis impediunt: quod euenit in labyrintho properantibus, ipſa illos velocitas implicat.* Quis enim neſcit politicos homines, martiales, & id genus in gloriâ, & honore; vulgus illiberale & auarum in auro, atque opibus;

molles

molles, & hermaphroditos in formæ elegantiâ, & corporis voluptate, ægros deniq; & inualidos in ſanitate cum robore; itaq; aliu atq; alium in aliquo ex eiuſmodi bonis pro ſuo queq; guſtu felicitatem collocaſſe? O quàm verè & breuiter Democritus, ἐυδαιμονίη ψυχῆς ὐκ ἐν βοσκήμασιν οἰκεῖ, ὐδ᾽ ἐν χρυσῷ πολλῷ. ψυχὴ, οἰκητήριον δαίμονος. *Felicitas non in armentis, vel auro multo habitat. Anima eſt domicilium dæmonis.* quàm magnificè Seneca, *ſummum bonum in animo conſtituamus; obſoleſcit ſi ab optimâ noſtri parte ad peſſimam tranſit; non eſt ſumma felicitatis in carne ponenda. Videſne vt reliqua omnia ſuo bono conſtant? vitem fertilitas commendat, ſapor vinum, velocitas ceruum. In homine quid optimum? ratio, hac antecedit animalia, deos ſequitur.* Sed enim cum quatuor maximè nobiles hâc de re ab ijs, qui ſapientiæ laude olim claruerunt, ad nos dimanarint ſententiæ, eæ ſanè ſingulæ ſeorſim partem aliquam felicitatis attingunt; coniunctæ autem, ſi verum verò conſonat, ipſam vniuerſam quanta, quanta eſt, complexæ videntur. Etenim ſic ſtatuere oportet, cum virtus ſeu ſtatus animi ad virtutem compoſitus ſit ſummi boni radix pro ſenſu Stoicorum, vita verò ipſa ſecundum virtutem ſit vſus, vltimaq; eius perfectio ex Peripateticorum decreto, his tamen omninò coniungi oportere voluptatem quamdam animi perpetuam eius vitæ virtuti conſentaneæ affectionem comitem, quæ Epicuri & Eudoxi aliâs opinione vltimum appetendorum cenſetur; tum bona externa ceu fortunæ, ceu naturæ ex Academicorum ſcito, tanquam adiumenta, & inſtrumenta ad illud comparandum neceſſaria; quibus ſi animi tranquillitatem atq; gloriam fructus ſcilicet, præmiaq; ceu ſigna adijciamus, habebimus profectò omnium complexu & conſpiratione perfectam, & quantam in terris ſperare, aut animis concipere poſſumus felicitatem. Enim verò priſci illi ſapientes ideam ſummi boni, & felicitatis his characteribus adumbrarunt, his depinxerunt coloribus. Nimirum illud bonum eſſe ſeipſo contentum, & ſibi ſufficiens, imò optimum, pulcherrimum, firmiſſimumque, ac ſui ſolum gratia, & maximè appetendum, quoq; cætera referuntur; ſtatum quippe bonorum omnium, quæ nata ſunt mortalibus competere, coniunctione abſolutum; quo potiti, nihil petimus vltra, vel egemus; idemq; eſſe ſummam hominis perfectionem, ſanitatem animæ, & mirificam partium eius conſenſionem, tranquillitatis ac iucunditatis parentem, *conuenientiam quamdam vitæ in ſtabilitate, & eodem tenore poſitam, & naturæ conſentaneam, eamdem ſcilicet ſemper in ſenſu, & niſi impeditur, actu, ipſam inter ſe vitam vnius ſine omnium actionum diſſenſione, coloris.*

Epiſt. 71.

Epiſt. 77.

Senec in epiſt. Epiſt. 20

Hæc duri immota Catonis

Lucanus.

Secta fuit ſeruare modum, finemq́; tenere,
Naturamq́; ſequi.

lib. de beata vita l. 3.

Beata eſt vita, inquit Seneca, *conueniens naturæ ſuæ, quæ non aliter contingere poteſt, quàm ſi primùm ſana mens eſt, & in perpetuâ poſſeſſione ſanitatis ſuæ, deinde ſi fortis ac vehemens, tùm pulcherrima & patiens, apta temporibus, corporis ſui, pertinentiumq; ad id curioſa; non anxie tamen rerum, quæ vitam inſtruunt, diligens; ſine admiratione cuiuſquam vſura fortunæ muneribus, non ſeruitura. Intelligis, etiamſi non adyciam, ſequi perpetuam tranquillitatem, libertatem, depulſis his, quæ aut irritant nos aut territant: nam pro voluptatibus & pro illis quæ parua ac fragilia ſunt, & in ipſis flagitÿs noxia, ingens gaudium ſubit, inconcuſſum & æquabile; tum pax & concordia animi, & magnitudo cum manſuetudine.* quæ certè conuenientia cum naturâ non ſolum cum particulari naturâ, ſed cum vniuerſâ audienda eſt, *quâ duce errari nullo pacto poteſt, quamq; tanquam Deum ſequi, eiq; parere debemus.* ita enim Pythagoras *finem dixit eſſe Deo aſſimilationem* τέλος εἶναι ὁμοίωσιν θεῷ. & cũ Platone & Iãblico Epictetus, καὶ αὐτὸς μὲν ὁ προηγούμενος λόγος τῶν φιλοσόφων λίαν ἐστὶν ὀλίγος. τί δὲ ἔχει μακρὸν εἰπεῖν, ὅτι τέλος ἐστὶ τὸ ἕπεσθαι θεοῖς. *Atquin ipſe præcipuus Philoſophorum, & velut anteſignanus ſermo breuis admodum eſt. Quid enim longum dicere? finis eſt ſequi Deum.* hoc eſt mentem ſuam ſubmittere gubernanti omnia menti, ſicut boni ciues legi ciuitatis. Natura autem particularis nulla alia eſt quàm particula communis naturæ, *ceu diuini ſpiritus in humanum corpus merſi*, hoc eſt ratio diuinæ illi conformis. *quæ perfecta proprium hominis bonum eſt, quæ recta & conſummata felicitatem hominis implebit.* Socrates olim interrogatus *qui felices?* reſpondit, *quibus animus præſtans & ratio adeſt.* οἷς καὶ φρένες ἀγαθαὶ καὶ λόγος πρόσεστιν. Quæ ſanè vita Deo rationi conſentanea nihil aliud eſt quàm vita ex virtute Cicerone interprete. *Stoicis finis eſt*, ait ille, *conſentire naturæ, quod eſſe volunt è virtute viuere, id eſt honeſtè viuere; ſummum bonũ*, inquit Seneca, *homini ratio eſt, hanc ſi perfecit laudabilis eſt, & finem naturæ ſuæ attigit. Hæc ratio perfecta virtus vocatur.* Etenim quod per Deum immortalem homini diuinitùs bonum contingere poteſt maius, ſibiq; ſufficientius, aut capacius virtute? *ſummum bonum eſt quod honeſtum eſt, & quod magis admirere, ſolum bonum eſt, quod honeſtum eſt. hæc nihil vacare patitur loci, totum animum tenet. deſiderium omnium tollit: ſola ſatis eſt. Omnium enim bonorum vis & origo in ipſâ eſt. Animus dux atq; imperator vitæ mortalium, qui vbi virtutis viâ ad gloriam graſſatur abundè pollens, potenſq; eſt, neq; fortunæ eget.*

Cic. 1 de legib.
1. lib. de Senec.
In Ench. lib. 3. diſſer. 20.
Sen. ep. 67.
Id. Ep. 27.
2 de finib. bon.
Sen. Epiſt. 77.
epiſt. 74.
Salu. ?.
Eurip.

ἀρετὴ μέγιστον τῶν ἐν ἀνθρώποις καλόν
Virtus ſupremum humana inter bona.

Virtus omnia in ſe habet.

Omnia adſunt bona quem penes eſt virtus.

Quæ homines arant, nauigant, ædificant, virtuti omnia parent. Quod præſentius bonum, aut communius virtute? *illa non aliena à nobis vltrò ſe ingerit & in omnium animos lumen ſuum immittit, etiam qui non ſequuntur eam uident: obuiaq; eadem & facilis. virtus in medio poſita eſt, neminem dedignatur, qui modo ſe dignum illa iudicat. Nulli præcluſa eſt virtus, omnes admittit, nec ſenſum, nec ſexum eligit.* Quod bonum virtute magis noſtrum? *Omnia mecum porto,* dicebat ſapiens; *Nihil ſtultius quàm aliquem eò ſibi placere quod non fecit. Virtutem nulla vis excutere, caſus, aut fraus ſubducere à nobis poteſt.* Quod bonum liberũ, ac naturæ & dignitati hominis virtute magis congruum & decorum? πᾶσα ἀρετὴ, ὗ ἂν ἡ ἀρετὴ, εὖ τό τι εὖ ἔχον ἀποτελεῖ, καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ εὖ ἀποδίδωσιν. *Virtus id cuius eſt, virtus bene affectum reddit, & opus eius ornat ac perficit. Virtus eſt perfectio eius cuius eſt virtus. Qui omne bonum honeſto circumſcripſit, intra ſe felix eſt; nã qui alia bona iudicat, venit in fortunæ poteſtatẽ, alieni arbitrij fit.* Quod bonũ magis ſibi ſimile, & conſtãs? *virtus cõuenientiâ cõſtat. omnia opera eius cum ipſâ concordant, & cõgruunt. Accedat vt perfecta virtus ſit æqualitas ac tenor vitæ per omnia conſonans: quod non poteſt fieri, niſi rerum ſcientia contingat, & ars per quã diuina & humana noſcantur. Niſi ſapienti ſua non placent: omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui:* Quod magis ſecurum ac tranquillum bonum?

ὅπλον μέγιστον ἐστ᾽ ἡ ἀρετὴ βροτοῖς.

Excelſa virtus tutum homini ſcutum & potens.

Meâ virtute me innoluo.

Cuius ſemel animũ virtus indurauit, vndiq; inuulnerabilẽ præſtat. ſola virtus præſtat gaudium perpetuum etiam ſi quid obſtat, nubiũ modo interuenit quæ infra feruntur, nec unquam diem vincũt. Quod præſtabilius ac firmius?

ἀρετῆς βέβαιαι δ᾽ εἰσὶν αἱ κτήσεις μόναι

Virtutis vnius firma eſt poſſeſſio.

Pythagoræ aurea ſunt hæc verba ὅτι χρὴ βίον αἱρεῖσθαι τὸν ἄριστον· ἡδὺν γὰρ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει. πλοῦτος ἀσθενὴς ἄγκυρα, δόξα ἔτι ἀσθενεστέρα. τὸ σῶμα ὁμοίως. αἱ ἀρχαὶ αἱ τιμαὶ πάντα ταῦτα ἀσθενῆ καὶ ἀδύνατα. τίνες δ᾽ οὖν ἄγκυραι δυναταί. φρόνησις, μεγαλοψυχία, ἀνδρεία. ταύτας οὐδεὶς χειμὼν σαλεύει. οὗτος θεοῦ νόμος, ἀρετὴν εἶναι τὸ ἰσχῦον μόνον, τὰ δ᾽ ἄλλα λῆρον. *Optimam nobis vitam eſſe deligendam quam ſuauem mox ipſa conſuetudo ſit effectura. diuitiæ anchora ſunt infirmæ gloria etiam infirmior corpus itidem magiſtratus, honores omnia hæc imbecilla & viribus deſtituta. Quæ ergo ſunt anchoræ firmæ? prudentia, magnanimitas, fortitudo: eas nulla tempeſtas agitat. hæc Dei lex eſt ſolam virtutem eſſe, quæ potens ſolidaq; ſit, cætera omnia eſſe nugas &*

Plaut. amphi.
Salluſt Catil.
Sen 4. de ben.
I lib de conſo. ad Polib.
id ep. 8
Idem. ep 14.
Arist. in Eth.
Seneca ep 75.
Ibidem.
Id. epiſt. 9.
Eurip.
Horat.
Senec. de conſ. heluid.
Idem ep 2.
Sopho.
apud. Stob.

Idem ineptias. *Diuitiarum & formæ gloria fluxa & fragilis eſt; uirtus clara, æternaq; habetur. corporis & fortunæ bonorum vti initium, ita & finis eſt: omnia orta occidunt, & cuncta ſeneſcunt: animus incorruptus, æternus, rector humani generis agit atq; habet cuncta neq; ipſe habetur.* Sen epiſt 99. *Mortale eſt omne mortalium bonum, ex his inquam bonis, ad quæ concurritur. Nam illud verum bonum non moritur, certum eſt ſempiternumq; ſapientia & virtus. Hoc vnum contigit immortale mortalibus.*

Horat.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ in-
contaminatis fulget honoribus;
Nec ponit, aut ſumit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Quod deniq; bonum nos ſimiliores Deo, præter virtutem reddit atq; ad ſupera attollit? Magnifice Plato, In Philab. τὴν δὲ θνητὴν φύσιν, καὶ τόνδε τὸν τόπον τὸ κακὸν περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης. διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δ' ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γένεσθαι *Mortalem hanc naturam & hunc inferum locum malum circūſtat neceſſario & adhæret, ideo conandum quam celerrimè hinc illuc fugere, fuga autem Dei aſſimilatio quatenus poteſt. Aſſimilatio porrò iuſtum & ſanctum cum prudentia eſſe.* Senec. Ep. 31. *Quærendum quod non fiet in dies deterius, cui non poſſit obſtari, quo non melius poſſit optari. Quid hoc eſt: animus, ſed hic rectus, bonus magnus. Quid aliud uoles hūc. quàm Deum in humano corpore hoſpitantem.* Quæ ſi veræ ſunt & non fictæ virtutis laudis, eſt quod laudemus Cynicos, qui *ſufficere uirtutem ad beatam uitam nullo indigentem, niſi Socratico robore,* Strab lib. 15 αὐτάρκη τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, μηδενὸς προσδεομένην, ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος; & Senecæ ſtatuēti Sen. epiſt. 74. *vnam hanc eſſe uiam ad tuta vadenti & externa deſpicere, & honeſto contentum eſſe.* Atqui ſi naturæ tùm vniuerſæ, tum homini propriæ beatitudo eſt conſentanea, diuini autem numinis ſumma erga nos benignitate natura cuiuſq; propria externis ijs bonis ſatis ſuperq; eſt inſtructa, quæ ſunt vſui virtutis aut neceſſaria, aut commoda, quid cauſſæ eſt cur, cum Academicis non teneamus, accurateq; defendamus, Cic. Accade. quæſt. *In vnâ quidē virtute poſitam beatam vitam non tamen beatiſſimam, niſi adiungerentur & corporis bona, & cætera ad virtutis vſum idonea*; & cum Xenocrate & Speuſippo, Senec ep 85. *beatum vel ſola virtute fieri poſſe, non tamen vnum bonum eſſe quod honeſtum eſt.* Nimirum cum humanum genus ſocietate, mutuiſq; inter ſe officijs conſeruetur, beatitudo noſtra haud quaquam in vitâ otioſâ, aut virtute quâdam fœmineâ, & malè feriatâ, ſed in præclaro vitæ ipſius vſu, & honeſtis actionibus, atq; virtute maſculâ & vigilante, pariter atq; beatarum mentium in ſempiternâ contēplatione atq; actione, viget

vegetq;

vegetq;. *ὥσπερ δὲ ὀλυμπιάσιν*, ait Philoſophus, *οὐχ οἱ κάλλιστοι καὶ ἰσχυρότατοι στεφανοῦνται. ἀλλ' οἱ ἀγωνιζόμενοι. τούτων γάρ τινες νικῶσιν. οὕτω καὶ τῶν ἐν τῷ βίῳ καλῶν κἀγαθῶν οἱ πράττοντες ὀρθῶς ἐπήβολοι γίγνονται. Quemadmodum in ludis Olympicis non formoſiſſimi coronantur, ſed qui ſtrenuè dimicant quorumq; fortitudine & labore victoria eſt parta ita in hâc mũdi arenâ ſummi boni adoreâ cohoneſtantur non ſolo virtutum habitu excelſi ſed qui præclara virtutum munera explent*. Atq; cum bonum, quo ad plures peruenit, eò præſtantius iure perhibeatur, ea demum vera, ſplendidaq; virtus eſt, quæ non in dolij, aut cellulæ auguſtijs, & Stoâ porticu ipſa ſuum cor edit, ſuperciliosa calcat faſtum humanum; aut quæ ſi placet in arenâ ſolem aduerſus die noctuq; inconniuentes oculos defixa, ignem è cælo quaſi ſubducere videtur, ſed quæ hilari vultu, ingenuè & liberaliter educata, in vrbe mediâ, in aulâ atq; in ampliſſimo mũdi theatro ſplendeſcit, omnibus adeſt conſilio, operâ, Remq; publicam curâ impenſâ iuuat, & omnes, ſeù naturæ dotes, ſeù fortunæ opes ad boni communis conſeruationem vltrò confert. Rectè Seneca, *imperfectum & languidum bonum eſt in otium ſine actu proiecta virtus, nunquam id quod didicit oſtendens. Quod ſi perindè omnes res laudantur, atq; appetuntur*, inquit Salluſtius, *vt earum rerum vſus eſt*, pleræq; autem virtutes abſq; ijs bonis in tenebris iacent, contra per ea vigent, atq; ad communem redundant vtilitatem, cur nón meritò bonis ea acceſeantur? fremant enim licet, & ſupercilium contrahant Stoici, nunquam tamen efficient, vt ea non bona æſtimemus, quæ ab vno ſummo bono, vt à fonte v berrimo fluxerunt, & in illud vt finem referuntur tandem, quibuſq; ceu inſtrumentis, ceu adiumentis omnis vis animi & virtus continetur. Quin potius, quandoquidem *homines ſumus, nec ſolùm nobis nati ſed partem patria partem parentes, partem amici ſibi vendicant*, grati erga munificentiſſimum omnium bonorum largitorem Deum, atq; naturæ benignitatem, ijs bonis freti alacri animo virtutis ardua capeſſere enitamur, rectoq; & virtuti conſentaneo vſu, *quo omnia metiri par eſſe monuit* Philoſophus, ea reddamus, efficiamuſq; verè ac nobis bona Quod ſi pertinaciùs boni nomen ijs derogant, *ſaltem per illos commoda vocare liceat & cum Zenone, Res aptas habiles, & ad naturam accommodatas: omninòq; fateamur ſapienti commodius eſſe, ſi ea quoq; habeat* (namq;

Liuor
Luctificis melior querelis
κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος.)

Et ipſa recto vſu, probâq; electione, ac virtutis, quæ perfectũ bonum eſt contactu bona fieri. Præclare enim Zeno à virtute aut vitio, vſu,

Arist. in Eth. lib. 1.

lib. de beata vita.

M. Tull. offic.

Arist. 2. de anim. 38.

Cicer. 4. de finib. bon. & mal.

Pind. Pyth. od. 2.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

vel abuſu dec⁹ aut dedecus ijs ait aduenire. *Omnis enim res*, ait Seneca, *quod non habuit decus, additâ virtute ſumit. Cubiculum lucidum dicimus, quod idem obſcuriſſimum eſt nocte; dies illi lucem infundit, nox eripit: ſic iſtis quæ a nobis indifferentia dicuntur, diuitijs, viribus, honoribus; & contra, morti, exilio, malæ valetudini, dolori, malitia aut virtus dat boni vel mali nomen.* Deniq; vt non abeam à te, ó magnū Stoæ columen, quî amabò tua immenſa liberalitas cum ſingulari frugalitate coniuncta tàm latè peruagari, & Poëtarum verſibus decantari meruiſſet, niſi eam ampliſſimus cenſus ſuſtentaſſet? (*Epi 85.*)

Nemo petit modicis quæ mittebantur amicis (*Iuuen.*)
A Senecâ.
Piſones, Senecaſq;, Memmioſq;. (*Marti.*)

Magnificè Pindarus, (*Olymp od. 2.*)

ὅμαν πλοῦτος ἀρεταῖς
δεδαιδαλμένος
φέρει τῶν τε καὶ τῶν
καιρὸν, βαθεῖαν ὑπέχων
μεριμνὰν ἀγροτέραν
Ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἀλαθινὸν
Ἀνδρὶ φέγγος. (:)

Et virum virtus opulenta bino
Munere donat.
Namq; fortunam ſimul & decentes
Ingeni dotes, animiq; iungit,
Eſtq; vt illuſtrans hominem benigno (:)
Lumine ſidus
Affluens auro probitas:

et Stoicus Poëta, (*Horat.*)

Magnum pauperies opprobrium iubet
Quidvis & facere & pati
Virtutiſq; viam deſerit arduæ.

Quò ſanè rectè Philoſophorum Principes ſtatuerunt *virtutem perinde atq; opificem felicitatis, vt quemuis alium fabrum ſibi nunquam eſſe ſatis, ſed naturæ fortunæq; muneribus indigere, alias ijs deſtitutam non ſecus atq; oculum lumine caſſum otiò marceſſere.* (*Alex. in 2. de anim.*) Ἀδύνατον, Inquit Princeps Philoſophorum, ἢ οὐ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. πολλὰ γὰρ ἂν πράττεται καθάπερ δι᾽ ὀργάνων ἢ διὰ φίλων καὶ πλούτου καὶ πολιτικῆς δυνάμεως. Ἐνίων δὲ τητώμενοι ῥυπαίνουσι τὸ μακάριον, οἷον εὐγενείας, εὐτεκνίας, κάλλους. οὐ πάνυ γὰρ εὐδαιμονικὸς ὁ τὴν ἰδέαν παναίσχης, ἢ δυσγενὴς, ἢ μονώτης, ἢ ἄτεκνος. (*Ariſt Eth. 1. C 8.*) *Fieri non poteſt, certè ægrè, vt bona aliquis faciat ſine inſtructo, & apparatu*

Multa enim velut per organa facienda ſunt, amicos, opes, ciuilem gratiam, aut potentiã. Qui autem aliquibus carẽt, maculant & ſedant beatitudinem vt qui nobilitate, qui prolium copia, aut bonitate, qui forma: Non enim planè felix eſt facie turpis, ignobilis aut ſolitarius & improlis. Coryphæus autem Stoæ Romanæ, *nec enim*, ait, *ſe ſapiens indignum vllis muneribus fortuitis putat, non amat diuitias ſed mauult: non in animũ illas, ſed in domũ recipit. Nec reſpuit poſſeſſas, ſed cõtinet, & maiorem virtutis ſuæ materiam ſubminiſtrari vult. Quid autem dubij eſt quin maior materia ſapiẽti viro ſit animũ explicandi ſuum in diuitijs quàm in paupertate: cum in hac vnum genus virtutis ſit; non inclinari, non deprimi: in diuitijs & tẽperãtia, & liberalitas, & diligẽtia, & diſpoſitio, & magnificentia cãpum habeat patentem: non contẽnet ſe ſapiens etiamſi fuerit minimæ ſtaturæ, eſſe tamen ſe procerum volet. Et exilis corpore, ac amiſſo oculo valebit, mallet tamen ſibi eſſe corporis robur. ſic ſapientẽ afficiunt diuitiæ, & exhilarant, vt nauigantẽ ſecundus & ferens vẽtus, vt dies bonus, vt in brumâ ac frigore apricus locus.* Quid cum noſtra omnis vis in animo & corpore ſit ſita, atq; animi imperio, corporis ſeruitio vtamur, an non ſapiẽter Theages *non ſolũ meliorẽ hominis partem, quâ eſt homo, ſed totũ ipſum hominẽ ſummi boni ſtatuit participem eſſe oportere.* Quid ꝙ *cõmuni quadã conſenſione, quæ vox naturæ eſt*, homines felicitatẽ eſſe virtutis vſũ cum vitæ proſperitate cõſtituũt, & virtutis inſtrumẽta veluti à naturâ edocti prima ducunt & maximè appetũt.

Sen. lib. de beat. vita. — Cic. Tuſcul.

Μακάριος, ὅςις ὀσίαν κ̓ νοῦν ἔχει.
Ille eſt beatus, mentis & diues opum
quiſquis. Τὸ πλου-
τεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου
σοφίας, ἄριςον. (:)
Qui bonam iuſtis opibus paratis
Copulat mentem catus atq; diues
Ille vir felix, Hieron, & aſtris
Natus amicis.
πλοῦτος ἄνευ ἀρετῆς, οὐκ ἀσινὴς πάροικος.
ἡ δ᾽ ἐξ ἀμφοτέρων κρᾶσις εὐδαιμονίας ἔχει τὸ ἄκρον.
Virtutis exortes diuitiæ inferunt
Noxam hoſpitantes: temperies cluet
Ambarum apex felicitatis.

Pind. In Thre. — Idem Pyth. od. 2. — Sappho apud Schol. Pind.

Concludam⁹ igitur verbis Peripatetici nõ incelebris Romæ. *ad cõplẽdos omnes vitæ beatæ numeros virtutẽ ſolã nequaquã ſatis eſſe exiſtimari debere, quia & corporis integritas, ſanitasq; & honeſt⁹ mod forma, & pecunia familiaris, & bona æſtimatio, cæteraq; oia corporis & fortunæ bona neceſſaria videtur perficiũda beatæ vitæ.* atq; hæc ſatis de felicitatis humanæ naturæ

apud Agell. lib. xviij. c. x.

ceu neceſſario totius argumenti, quod explicandum recepi, fundamento. Etenim ampliſſimus mihi, & virtutum, bonorumq; omnis generis, quæ mortalibus contingere poſſunt, fecundiſſimus campus ſeſe aperit, in quo exultare deinceps poſſit noſtra de felicitate CAROLI III. oratio, atq; eò ſanè liberius, quod & tantorum bonorum multitudo non mediocrem ſplendorem à dignitate vtentis, magni ſcilicet, & omni virtutum genere cumulati Principis, nec non à rectitudine vsûs accipit (*ὁποῖοι γὰρ ἄν τινες ὦσιν οἱ χρώμενοι, τοιαῦτα καὶ πράγματα αὐτοῖς ἀνάγκη εἶναι*, rectè Plato de diuitijs & pecunijs concludit, *nam quales fuerunt ipſi vtentes, tales etiam res euadere neceſſum eſt*:) & iucũdiſſima alioqui non poſſit non eſſe eorum cõmemoratio nobis omnibus, qui æternùm beneficijs eius in nos ſummis ſumus obſtricti; & poſteritati deniq; eorumdem commendatio ob imitationis fructum maxime ſalutaris. ſic enim ſtatuere omninò oportet, dum felicem magni herois memoriã gratâ recordatione colimus, nos vnà quoq; perfecti, & omni ex parte beati Principis viuam imaginem & ideam, ad quam optimus quiſq; & bono publico natus Princeps ſe componere debeat, exprimere. Age ergò vt apertũ nobis campum non temere ingrediamur, cum eorum bonorum, coitione quorum, & aggeſtione præſentis huiuſce vitæ felicitas continetur, partem natura & fortuna, partem induſtria & labos noſter ſibi vindicent, ab illis quidem, quæ ſunt à nobis aliena, & communiora, ideóq; minus noſtra, & minus laude digna auſpicari, & in ijs duntaxat curſim, & leuiter pedẽ figere operæ pretium eſt, vt ab ijs deinceps progreſſi, ad ea quæ magis hominis propria dici debent, ſimul ordine omnem totius eius vitæ feliciter anteactæ hiſtoriam luculentius pertextam ob oculos tanquam in tabulã exhibeamus.

Principiò igitur tametſi diſſimili naturâ inter ſe diſſident ea, quæ fortunæ aut naturæ benignitate nobis, quãdiu his in terris degimus, eueniunt bona, & non æquali apud mortales pretio, atq; loco habentur; ea tamen vniuerſa in ſex omninò claſſes diſtribui hoc ordine ſapientum conſenſu conſtat, vt inter ea familiam ducat ſanitas, eiq; aſſideat claritudo generis, ceu nobilitas; tum ſuccedant honor, gloria, & fama amicis ſtipata; quæ mox bona proles ſequatur; dein forma, gratia, & pulchritudo; poſtremò choream hanc diuitiæ claudant. nimirum genus hominum corpore & animo conſtat, quorũ vtrũq; alterum alterius auxilio veget, tamq; artâ inter ſe cognatione iuncta ſunt, vt paſſim mores animi ſequantur corporis temperamentum, adeò, vt quanquam dux atq; imperator vitæ mortalium animus eſt, is tamen non tàm regere corpus, quàm ab ipſo ſæpè regi videatur,

niſi Philoſophia magiſtra morum, rectaq; educatio obnoxiũ corpus animo reddiderit. Quo non magni refert corpus à naturâ eſſe ad honeſtatem & modeſtiam compoſitum. Incredibile enim quantũ momentum habeant ad animos noſtros huc illuc flectendos, deducendos inſitæ nobis à naturâ inclinationes;lõgèq;feliciùs ac faciliùs nos agendo quoduis conſequi experimur, ad quod conſpirantem habeamus naturam,& quaſi ducem.*eò inclinandũ*, monet ſapiẽs,*quò te vis ingenij defert:malè enim reſpondent coacta ingeni a:reluctante naturâ irritus labor eſt.*Atq;cum à ſanitate corporis eæ propenſiones fluant, pariter atq;robur in tolerandis laboribus,ſenſuũ in nobis omnis vigor, cæterarumq; animi facultatũ vis & alacritas,*oportet profectò hominem,* vt optimus morum præfectus Ariſtoteles monet, *honeſta facturum, ita à natura eſſe formatum, vt quaſi aciem habeat, qua & rectè iudicare, & id quod verè bonum eſt, ſumere atque optare poſſit.* quam rectam hominis conſtitutionem ſingulare naturæ beneficium ille appellat, memor ſcilicet illius Simonidei, *ὅτι ἄνδρα ἀγαθὸν μὲν ἀληθέως γενέσθαι χαλεπὸν, χερσίτε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον ἄνευ ψόγου τετυγμένον difficile eſſe virum verè bonũ fieri manibus pedibuſq; & mente non adamuſſim quadratis* Itaq; diuinus Plato iure optimũ in rebus dixit eſſe *ὑγιαίνειν bene valere.* Quod ſi à quôquam ſanitas expetenda eſt,maximè certè Principibus, quorum humeris vniuerſa Reſpub.ſuſtinetur,& in quibus magnam commendationem habet, vel eo nomine quod valetudo imbecillior & ætas grauior ſæpè irriſui,& faſtidio ſunt,ideòq;contemptûs cauſſa *apud vulgum fortuita aut externa ad culpam trahentem.* Age igitur quoniam *vt ad curſum equus,ad arandum bos,ad indagandum canis, ſic homo ad duas res, ad intelligendum & agendum eſt natus, quaſi mortalis Deus,* profectò in ſanitatis ampliſſimâ latitudine (varietas enim in omnibus rebus naturæ eſt lætabilis & glorioſa)ea ſanitas meâ quidem ſententià eſt maximè optabilis,non quæ virium pollentiâ,ſed quæ temperie ad bonum hominis,hoc eſt,ad prudentiam ciuilem accommodata præcellit ;

Vis conſilj expers mole ruit ſua:
Vim temperatam dij quoq; prouehunt
In maius.

Neq; enim felicem & probum hominem,neq; primarium in Repub. virum ad palæſtram & luctam deſtinamus, ſed ad publicam rerum adminiſtrationem.Quó ſané nimium & immodicũ corporis robur procliue ad impotentiam animi & laſciuiem haud quaquam in eo deſideramus,ſed fortitudinem tantam corporis,quantam congruus virtutum vſus expoſcit.Ita verò in animorũ coniunctione, & con-

Seneca lib. de tranquil. vit.

3.Ethic.5.

Tacit.

Cic 2.de finib. bon.& mal.

Horat.

ſenſione cum corporibus rem ſe habere certo compertum eſt experimento (teſtes vos appello diligentes naturæ indagatores) vt quibus in ipsâ primâ corporis & humorum concretione ex magnis illis mundi elementis, ignis quidem cum terrâ dominium in cætera elementa habuerit, in ijs ſcilicet cùm animoſitas, & ad ardua quæq; ac præclara facinora alacritas eximia cũ ingenij perſpicacitate excellere ſoleat, tùm verò magna ad iracundiam, & ingratam morum quamdam acerbitatem inſit inclinatio, iſq; in corpore apparatus, qui ſit ad æſtuoſos & graues affectus procliuis, qui ab igne facilè paruo ex flatu emicante ſuſcitantur · quô eorum vita non poteſt non eſſe illis ipſis ingrata, faſtidijq; plena, & cæteris, quibuſcunq; ſocietas ciuilis eos deuincit, acerba & importuna; eoq́; maxime quod vix ingentes illi animi, & feroces poſſunt manſueſcere. Socrates dicere ſolebat, *ὔτ' ὁ αὐςηρὸς οἶνος εἰς πόσιν εὔθετος, ὔτε ὁ ἄγροικος τρόπος εἰς ὁμιλιαν. neq́, vinum auſterum aptum eſt potioni, neq́, mores agreſtes conuerſationi. Quidam,* inquit Seneca, *non habent iram in poteſtate, & eos ad temeraria verba quælibet indignatio effert.* Quibus autem contrà aqueum elementum in primo ortu cætera deuicit, ijs placidi quidem mores, ingeniumq́; quies, tamen ad metum prona natura, *corpus graue, hebes & ignauum ingenium, atq́, anima veluti iners eſt, vt eorum vita atq́, mors iuxtà æſtimanda ſit, quoniam de vtraq́, ſiletur.* At verò quibus exæquatâ pugnâ ad æquilibrium, ad iuſtam quandam mediocritatem ſeſe prima mundi ſemina in ipſa generatione deduxerunt, aut certe in cætera victoriam aër obtinuit; cuius vitali calore vita conſeruatur, cuius perſpicuitate & puritate ſenſus omnis perficitur; eorum medius fidius peroptanda maximè indoles & temperatura, quâ ad conſtantiam virium, ſenſuum integritatem, fœcunditatem ingenii, & æquabilitatem, ac diuturnitatem vitæ nulla præſentior, nulla exiſtit felicior. Enim verò hæc fuit temperies, quæ ſummâ naturæ benignitate generoſi Principis primam ætatem ad omnem honeſtatẽ ceream & flexilem reddit, gratiamq́; ei adflauit mirificam; hæc fuit, quæ virum iam factum ad res præclare gerendas excitauit, atq; ad ardua quæq́; ſuſcipienda inflammauit, ac prudentiâ admirabili decorauit; hæc, quæ ſenectutem conſtantia atq; ſapientia firmauit, & venerationem ſummã apud omnes illi conciliauit: hæc, quæ omnẽ eius vitam inculpata ſanitate cæteriſq; rariſſimis dotibus beauit. Quæ enim exquiſitiſſimæ temperaturæ tecmiria & characteres Phyſici perhibẽt, ea vniuerſa illuſtria admodum in eo tùm fuiſſe haud quaquam dubitabam, quorum adhuc veluti veſtigia tàm clara iam affectâ ætate intueri liceret. Etenim venuſtas oris, oculorum gratia, dignitas capitis, externaq́; omnis

lib. 1 de tranq. vita.

Salluſt. catil

corporis.

corporis compoſitura ad decorem & pulchritudinem efficta, atque bonus corporis habitus ſeu euexia, nec non firmitudo virium, ſenſuũ vigor incredibilis, ac ſingularis prudentia cum incomparabili in omni vitâ æquabilitate coniuncta; luculentiſſima ſeſe offerebant perfectæ omnibus numeris ſanitatis argumenta. Percurramus, ſi lubet, ſigillatim & ordine principes ex ijs functionibus, quarum integritate ſanitatem definiunt. Ac quod ad naturales attinet, quæ circà alimentum, ſiuè in indiuidui frugem, & conſeruationem, ſiuè ad ſpeciei bonum & propagationem verſantur, eæ ſanè tantam in Principe beneuolente Genio nato toto vitæ eius curriculo bonitatem & ſtabilitatem obtinuerunt, vt nullam vnquam vel leuiſſimam de earum noxia querelam ediderit ex ſenſu tantulæ moleſtiæ in ſe, aut damni alicuius reſcire ipſe vnquam potuerit. Tanta autẽ ſenſuum omnium in bene nato Principe vis, & acrimonia viguit vſq; ad extremum vitæ ſpiritum, vt neq; vllæ ex ijs qualitatibus, quibus inter ſe res diſcriminantur omnes, quarum vſu vita carere nequit, quantumuis obſcuræ fallere eum potuerint, aut ipſe externis eguerit præſidijs ad ſenſuũ aciem & tutelam. Tanta porrò corporis firmitudine & robore pollebat fortiſſimus Pancratiaſta, vt nullum corporis laborem, ſiuè in equitando, ſiuè in venando, ſiuè in paleſtrâ, ſiuè in bello refugeret, ſed diurnũ ad noctem multam producere, nec niſi paucularũ horarum quiete interpoſitâ redintegrare ſinè vllo laſſitudinis ſenſu, eſſet illi familiare & conſuetũ. Ac tantâ duritiâ in labore æquiter ferendo fuit, vt nullũ non diem, ſaltẽ mediũ ſtans rectuſq; & niſu immotus eodem (qui tonicus labor corporis eſt vehemẽtiſſimus) ſuis ſubditis daret, & omnes ſe ſe adeũtes, etiamq; ſibi alternis ſuccedentes fatigaret tantâ cũ conſtantiâ & corporis immobilitate, vt diceres M. Papyrium in atrio ſedentẽ à Gallo deprehenſum: quæ firmitas corporis ad annum climactericum, & fatalem illum vſq; durauit, ita vt ingens in eo corporis proceritas decorẽ ſuum conſtãter retinuerit, quod ei ætati inſolẽs eſſe aduertit magnus Hippocrates. Quis verò Achille noſtro è ſuis coætaneis audaciùs venabulo ferire aprum, veloces iaculo ceruos, curſuq; fatigare, & vel in ipſo curſu capita alta, humeroſq; trũco tenus amputare? (verè non oratoriè dico); quis telũ acriùs intendere, vibrare, certiuſq; limare? aut haſtã validiùs quatere, dirigere, iacere? aut rigidiùs tragulam contorquere, aut gladio in ſtataria pugna fortiùs hoſtem ferire! quis curſu cum paribus melius contendere; aut equum indomitumq; frenare, domare, ac in gyro retinere; aut curſus inire alios, alioſq; recurſus, & equeſtris meliùs pugnæ potuit ciere ſimulachra ſub armis?

Virg.

Non illi quiſquam ſe impunè tuliſſet
Obuius armato, ſeu cum pedes iret in hoſtem,
Seu ſpumantis equi foderet calcaribus armos:

Quæ quanquam in fortiſſimo Pentathlo fuere artis & magiſterij præclari ſub inuictiſſimo Rege Galliarum ſocero ſuo ſemper-colendo primâ pueritiâ feliciter initi documenta, tamen ipſa pet ſe ſunt & potentis viribus corporis, & multó maximé ingentis animi, validiq; ingenij certiſſima argumenta. De cuius ingenij felicitate(nimis enim forté plura, quàm par eſſet, properanti ad maiora dicta ſunt de vi corporis, & ſenſuum nobis cum ſtirpibus, cæteriſq; animantibus communium; quibus cum ab illis homo longo interuallo feré ſupetetur, haud quaquam ab ijs magnam laudem ſibi polliceri debet) de ingenii, inquam, eius felicitate, quâ & cætera antiſtat animalia, & homo ab homine diſtat, dicturis ex Philoſophia repetendum quod, cum ingenii vis omnis inſita nobis à naturâ ad cognoſcentem ſeu rationalem animæ partem, ſi vim nominis, communemq; eius vſum ſpectemus, pertineat, cognitioq; ipſa cum ratione iuncta duabus omninò rebus perficiatur, inuentione & doctrina; ex illis quidem inuentio dexteritatem & acumen quoddam; doctrina docilitatem, ſeu facilem rerum apprehenſionem; vtraq; autem ad rectam inuentæ ſeu apprehenſæ rei approbationem iudicium firmum deſiderat cum fideli memoria coniunctum: ex quo efficitur profectò ad ingenii bonitatem, & laudem confluere oportere memoriam inprimis firmam tanquam ſubſtratam materiam, & iudicium ceù formam & entelechiam, acumen autem, & perſpicacitatem quamdam ceu ſpiritus, quibus ingenium effloreſcat; ijſq; omnibus comitem non ingratam docilitatem vltrò debere adiungi. Quæ vniuerſa in optimé à naturâ conformato Principe amicè conſpiraſſe hæc non dubia ſunt documenta, quòd plerarum ille toto orbe celebrium linguarum non ignarus, hiſtoriarum vtriuſq; æui callens, rituum atq; morum gentium multarum ſciens, deniq; naturæ rerum omnium haud imperitus erat, quarum rerum notitia, aut bono patrifamilias vtibilis eſſet, aut Principi, ſiuè bello, ſiue pace apprimè neceſſaria. Tot enim & tantarum rerum, quî potuit eſſe capax, mireq; tenax ingenium, niſi ſumma docilitate, & firmiſſimâ illud memoriâ excelleret? Equidem mihi ſæpé non ſiné magnâ animi voluptate audire adhuc videor, quos ille facundus ſenex ſermones priuatis colloquijs cum primoribus viris, vel etiam pro ſua affabilitate mecum vnà cum cæteris domeſticis habebat quotidie, ſiué de familijs totâ Europâ claris, ſiué de generoſis dictis, factiſue virorũ toto orbe, pace vel bello ſuo æuo

illuſtrium.

illuſtrium,ſiuè de publicâ rerum ciuilium adminiſtratione, aut ratione militaris ſcientiæ Graijs, aut Romanis vſitatâ, ſiuè de ingenio temporum,& anni tempeſtatum,ſiue etiam de naturâ, & vſu rerum ruſticarum, & ad vitam communem pertinentium; ita enim graphicé,quos viros vel anté quinquaginta annos,& poſtea nunquam, in ampliſſimo illo Galliarum theatro regiæ aulæ viderat, eorum ora, habitumq; omnem & præclara facinora referebat,vt præſentes eſſe illos putares;ita fideliter genealogiam plurium familiarum,& hiſtoriam bellorum ciuilium ordine enarrabat,vt actutum redire illum poſtliminiò é bello crederes: de hiſtoriâ Romanâ tam doctè loquebatur,vt vel ipſiſſima latina vocabula machinarum bellicarum antecaperet ſæpé oggerere nobis niſi vernaculo ſermone de ijs rebus non auſis cum illo loqui; de omni deniq; vitæ genere ſic exerté diſſerebat,vt Philoſophum aut declamatorem diceres. Ita porrò proprietates, vſumq; linguum & earum, quæ in menſas regias venire ſolent, & medicamentorum plurimorum,metallorum,mineralium, meteororum, cæterarumq; rerum naturalium callebat,vt non imperitum Phyſicum cenſeres. Quæ quanquam longo ſtudio,& moroſo minime didicerat, ſed familiari colloquio,à non indoctis viris ſibi aſſidentibus, quaſi aliud agens ille acceperat, tamen ita rité, & ordine de ſingulis pronuntiabat, vt non niſi diu,multumq; de ijs meditatum,aut à magiſtris peritiſq; artificibus ſeriò inſtructum accedere autumares, omninòq; de illo illud Euripideum vſurpares,.

Σοφὸς τύραννος τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.
Princeps ſapiens ſapientium commercio;.

aut potius ſimpliciter ſapientem dicere poſſes, & veré; ſiquidem vt canit Pindarus, Σοφὸς ὁ πολ-

λα εἰδὼς φυᾷ; Olymp. od. 2.
μαθόντες δὲ λάβροι
παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὥς,
ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.
Ille, qui per ſe reperit ſagaci
Multa naturâ, ſapiens; ſed arte
Redditus vates ſtrepit, vt loquaci
Gutture coruus;
Et Iouis fruſtrà rapidum laceſſit
Alitem ſacri tonitrus miniſtrum:

Ex quibus quanta docilitatis memoriæq; vis in illo extiterit ſatis ſuperq; perſpici poteſt. Ad quam ſane laudem,ſi incredibilē iudicij

vim, & perſpicacitatem, quibus ſingulari naturæ beneficio ingenio genioque potens Princeps plurimùm valuit, adiungamus vnà cum vſu diuturno longaque rerum experientiâ; nemo profectò mirabitur immortalem ſibi illum prudentiæ gloriam apud omnes peperiſſe, qui Mineruam ſapientiæ deam è Iouis cerebro enatam meminerit. Enim verò quis illo, quod in quoque negotio verum rectumue eſſet, aut quod in omni officio decorum & honeſtum, melius intellexit? quis rationem temporis, locorum, perſonarum potiorem habuit? quis in conſultatione, rebuſque dubijs quod facto opus, certiùs illo anteuidere, aut euenta rerum cogitatione potuit præuertere? quis mentem, animique ſenſa, quamuis callidi & vafri diſſimulatoris, vel è ſola fronte, aut oculis (quamuis perſæpé mentiuntur) ſagacius valuit præſentire? ſed longius prouehor quàm par eſt, & dum naturales animi, corporiſq; vires in tanto Principe contemplor, ſenſim abripuit me ſermo ad virtutes eius, & prudentiam quæ ab acerrimo viri iudicio fluxit; de quibus, vt de mirifica in omni eius vita æquabilitate pacatioris mentis, & ijs perturbationibus, quibus homines agitari ſolent, vacuæ fideli comite, opportunior deinceps dicendi locus. Magna profectò vt concludam, & eximia vis corporis in generoſo Principe fuit, ſed longe maior & præſtantior animi; ſic enim apud animum meúm ſtatuo, ſi verum eſt, quod cecinit diuinus Poëta, vt certé eſt veriſſimum,

Pindar. Olymp. od. 9.

Ἐκ θεοῦ δ' ἀνὴρ σοφαῖς ἀνθεῖ ἐσαεὶ πραπίδεσσιν.

Diuino felix prudentia nobis
Adflante floret numine;

ſingulari Dei Opt: Max: benignitate contigiſſe, vt cum Lotharingia Franciſco, ſapientiſſimo & fortiſſimo ſuo duce orbata eſſet immaturiùs, cum tum hæredem magni Imperij acciperet, qui cum fatorum ordine adhuc infans, & ea ætate, quæ alieno regi ſolet imperio ad gubernacula Reipublicæ vocatus, nullum pro ſua dignitate agnoſcere poſſet, aut pati ſuperiorem, cuius nutu, conſilioque gubernaretur, is è cælo quaſi diuinitus miſſus, tantis ingenij donis ornatus, & quaſi à natura liberaliter edoctus, ijs virtutis & prudentiæ ſeminibus fæcundus accederet ad Rempublicam capeſſendam, quæ ſponte ſua adoleſcere, atque mirificos & ſalutares fructus ad ſalutem publicam poſſent producere; vt meritò illud eiuſdem Poëtæ liceat vſurpare,

ἀρχαὶ δὲ βέβλωνται θεῶν
κείνῳ σὺν ἀνδρὸς δαιμονίαις ἀρεταῖς,
Iecere Diui principium illius
Felicioris dotibus ingenI,
Virtuti & almæ:

Pind. Nem. od. 1.

Quorum virtutis ſeminum ſi quis cauſſas, fonteſq; à me exquirat, eæ certè cauſſæ minimè à nobis ſunt longius repetendæ, ſed eas ipſa nobilitas, & claritudo familiæ Lotharenæ omnibus toto orbe familijs illuſtribus ſuo ſplendore prælucentis luculentas oppidò nobis aperit, et minimè dubias; nam, vt claudam de ſanitate eius exquiſitiſſimâ ſermonem, eàdemque operâ ad ſecundum caput bonorum externorum, quæ mortales tanti æſtimant, nobilitatem ſcilicet deſcendam, magnificè dictum eſt à Lyricorum Principe illud,

φυᾷ τὸ γενναῖον
ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παι-
σὶν λῆμα
Dat celſos animos egregium genus,
Et ſtirps bellipotens, a patre martio
Prolis magnanimæ robora prodeunt.

Pind. Pyth. od. 8.

Nobilitas namq; cum optimâ corporis conſtitutione, quam à natura accipimus, neceſſitudinem arctiſſimam habet; quippe quæ reapſe nil aliud eſt, quàm virtus generis, iis ipſis, quibus ad decus, & honeſtatem animi accenduntur, igniculis iiſdemq; virtutum ſeminibus prægnans, quibus progenitores ipſi floruere ad poſteros vnà cum temperie, & ſimilitudine tum in ideâ & caractere corporis vniuerſi, tum & maxime in moribus, cæteriſq; animorum propenſionibus transfuſa. ſic enim à Philoſopho definitur *δῆλον ἄρ᾽ ὅτι ἡ εὐγένεια ἀρετὴ γένος Virtus generis, seu facultas quadam alicuius familiæ è temperamento plurium & ad minus trium ſucceſſione confirmato defluxa, potenſq; & procreare viros ingenuos, & ad magna queq; & honeſta faciles ac propenſos.* De cuius vi, ſi quiſquam eſt, qui ambigat, meminerit ille amabò, quanta in plantarum genere ſurculorum, ac ſeminum; quanta in animalibus ſit genituræ vis, quantaq; in metallis! quibus hominum animos Plato aſſerebat eſſe quàm ſimiles, & in hoc genere hæc defecata, illa impura eſſe conſideret, deſinet ſaxo mirari, in humanâ naturâ tantū eſſe diſcrimen facultatū in vtriuſque parētis ſeminibus ad prolis procreationē potioris, vel deterioris, cū igniculi illi & inclinationes ad virtutē aut vitium mortalibus cōnatæ temperiem è principijs, ſeminibuſq; parentum in liberis impreſſam, & eluceſcentem conſequantur. *Non*

Arist. in lib. de nobil. & Rhet. l. 2. c. 15.

fruſtra creditum eſt (monebat Phauorinus) *ſicuti valeat ad fingendas animi atq; corporis ſimilitudines vis & natura ſeminis, non ſecùs ad eãdem rem lactis quoque ingenia, & proprietates valere.* Eæ ſunt nimirum naturæ leges, æternaq; fœdera, vt cum illa omnium æqua ſit parens, ac nemini ad virtutem viam claudat, nullumq; beatitudinis exortem eſſe velit, tamen quia varietate officiorum, mutuiſq; operis ſocietas hominum conſeruatur, illas quidem familias ad gloriam & honeſtatem, has autem ad vtilitatem & commoda; illas ad imperandum, ad parendum has, & ſeruiendum finxit proniores. Apage ergò tu mihi Chryſippe, & deſpue hæc verborum ramenta, *nobilitatem rem fictam, ramentaq; eſſe, et nihil aliud, niſi ciuium præpotentum commentum*; recãta

apud Plutarch & agnoſce vel inuitus *in humanorum cenſu bonorum eam eſſe ſuo iure numerandam.* Verius vt cætera magni ſapientiæ Myſtæ, *magnam gloriam filiorum patres eorum.* Πότερον εἰκὸς ἀμείνους γίγνεσθαι φύσεις ἐν γενναίοις γένεσιν. Εἰκὸς βελτίους εἶναι τοὺς ἐκ βελτιόνων dicebat Plato. Vnde diſcipulus eius concludit Ariſtoteles, ἡ δ᾽ εὐγένεια παρ᾽ ἑκάστοις οἴκοι τίμιος. ἔτι διότι βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων. εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους. *Nobilitas autem apud ſingulas nationes eſt domi honorata præterea quia veriſimile eſt eos, qui ex melioribus nati ſunt eſſe meliores; nobilitas enim generis virtus eſt,* & Plato *iterum* εἶναι μὲν γὰρ ἡμᾶς γονέων ἐκγόνοις καλὸς θησαυρὸς καὶ μεγαλοπρεπής, *Gloriam parentum magnum theſaurum eſſe*: quibus Poëta græcus eleganter, ac ſcitè accinit,

Salom prou. 17.
In Alc.
3. de Rep c. 13.
In Menon.

Euripid. in Hecuba.

Δεινὸς χαρακτὴρ κἀπί-
σημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι, κἀπὶ
μεῖζον ἔρχεται
Εὐγενείας τοὔνομα τοῖσιν
ἀξίοις.

Virtute partum nomen & generoſa ſtirps,
Ac clara mores ob probos ſi contigit;
Ne maius in terris decus quiſquam petat:
Vireſcit vſq; atq; vſq; ſplendor nominis
Auitus, illi degener ſi non fuat.

Horat. *Et,* *Dos eſt magna parentium*
Virtus.

in Ariſt. lib. de Nobilit. Neq; enim nos hic eam nobilitatem fucatam æſtimamus, quam Simonides in iis agnoſcebat ſolum τοῖς ἐκ πάλαι πλουσίων, *qui ex maioribus longo tempore locupletibus orti eſſent.* Quæ, ſi quid rectè ſentio, ſub nube diuitiarum vulgo miris illudens modis imago eſt & vmbra duntaxat veræ illius nobilitatis, quæ vitiorum domitrix, parenſq;

virtu-

virtutum cluet, & ad decus, bonaſq; artes ſuos clientes propenſos reddit, eorumq; poſteros quàm ſimillimos, hoc eſt, generoſos facit. Ex quo ſapientes Græci, præeunte diuino illo Sene, qui ſapientiam è cælo primus euocaſſe has in terras dicitur, *nobilitatem animæ & corporis temperiem*, εὐκρασίαν ψυχῆς καὶ σώματος. *congruam morum compoſitionem virtutum multiplici habitu confirmatam definierunt*: adeò, vt cum virtute quidẽ nobilitas ſola poſſit conſiſtere, abſq; eâ autem nequaquam. *vt pecudum nobilitas in bono, validoq; corporis habitu, ſic hominum in bonitate morum ſita eſt*, dicebat Democritus, Κτηνέων μὲν εὐγένεια ἡ τοῦ σκήνεος εὐσθένεια, ἀνθρώπων δ' ἡ τοῦ ἤθεος εὐτροπίη. Socrat.

ὃς ἂν εὖ γεγονὼς ᾖ τῇ φύσει πρὸς τ' ἀγαθὰ
κἂν Αἰθίοψ ᾖ μητρός ἐστιν εὐγενής. Eur. in
Ὁ δ' οὐ δίκαιος κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.
Quicunq; iuſtus viuit, is mihi nobilis,
Obſcura quamuis Ætiops genuit parens:
At quiſquis iniuſtus, cui liceat virum
Æquiparandum ſanctitate, vel Ioue
Patrem ciere, is, ritè ſi quid ſentio,
Ignobilis.

quibus ſanè Romanus imperator aſſentiens *Naturam vnam & communem omnium exiſtimabat ſed fortiſſimum quemq; generoſiſſimum eſſe*; & alter, *optimum quemq; eſſe nobiliſſimum, & in cuiuſcunq; animo virtus inſit, ei plurimum eſſe tribuendum: & neminem altero nobiliorem, niſi cuius ingenium eſſet præſtantius, & bonis artibus aptius*. eleganter oratorum lumen ὅτι σῖτον ἄριστον ἐκ τοῦ καλλίστου πεδίου κρίνομεν, ἀλλὰ τὸν εὔθετον πρὸς τὴν τροφήν. ὅτι ἄνδρα σπουδαῖον, ἢ φίλον εὔνουν τὸν ἐξ ἐπιφανοῦς ὄντα γένους, ἀλλὰ τὸν ὑπάρχοντα τῶν τρόπων κρείττονα. *Optimum frumentum non ex pulchritudine agri æſtimandum, ſed ex eo quod cibum optimum præbeat: nec virum bonum, aut amicum beneuolum, qui ex nobili ſit prognatus genere, ſed qui ſit optimus præditus moribus.* deniq; grauiter Seneca, *bona mens omnibus patet, omnes ad hoc ſumus nobiles, quis ergò generoſus? ad virtutem bene à natura compoſitus. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus: animus facit nobilem, cui ex quacunq; conditione ſupra fortunam licet ſurgere. Nam qui imagines in atrio exponerent, ac nomina familiæ ſuæ longo ordine, multiſq; ſtemmatum alligata flexuris in parte primâ ædium collocarent, notos magis quàm nobiles eſſe putandum eſt*; & qui ex ijs acceptam nobilitatem per ignauiam corrumpunt (ſiquidem

ἀρχαῖαι ἀρεταὶ
ἀμφέρονται ἀλλασσόμεναι γενεαῖς ἀνδρῶν σθένος

Marius apud Saluſt. in Iug.
Vell. Paterc. lib. 2.
Demoſt.
Epiſt. 44.
Pind. Nem. od. xj.

Ἐν χερσῷ δ᾽οὔτ᾽ ὦν μέλαιναι κάρπων ἔδωκαν ἄρουραι
δένδρεα δ᾽οὐκ ἐπέλει. πάσαις ἐτέων περιόδοις
ἄνθος εὐῶδες φέρειν, πλούτῳ ἴσον
ἀλλ᾽ ἐν ἀμείβοντι. καὶ
θνατὸν οὕτω σθένος ἄγει
μοῖρα.
Virtutes veteres auûm
Mutantur ſobolis deterioribus
Actus: vim nec egentium
Luce omnes referunt ordine poſteri.
Sic non continua nigri
Vbertate ſoli culta ſuperbiunt,
Non cunctis redeuntibus
Annis floribus & fructibus arbores
Nutant, ſed uarias vices
Pomona atq; Ceres æmula diligit.

Qui, inquam, acceptã nobilitatem per ignauiam corrũpunt, & velut per tenebras æuũ ignobile emetiũtur, vitãq; non agunt, ſed præterue huntur, fruſtra eos maiorũ fortia facta memorando clariores ſe ſe eſſe credere, (Senec.) *qui, licet nomẽ marmori inſcribas, mortẽ ſuã ante ceſſerũt*, quorũq; tantò ſocordia flagitioſior, quãtò maiorũ vita præclarior; quorũ (Tacit.) *maiorũ ſcilicet gloria poſteris lumen eſt, neq; bona, neq; mala eorũ in occulto patitur.*

(Iuuen.) *Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe*
Crimen habet, quantò qui peccat maior habetur.

Quæ quanquam ita ſunt, et

(Idem) *Nobilitas ſola eſt, atq; vnica virtus;*

Tamen ſi à parentibus ea relicta impreſſa fuerit, quippè conſtantior, ac firmior, ea demum vera ſolidaq; nobilitas eſt iudicio nobiliſſimi, & ſæpius à me laudati Poëtæ,

(Pind. Nem. od. 3.) *Συγγενεῖ δέ τις εὐδοξίᾳ μέγα βρίθει.*
Ὃς δὲ διδάκτ᾽ ἔχει, ψεφηνὸς ἀνὴρ
ἄλλοτ᾽ ἄλλα πνέων οὔποτ᾽ ἀτρεκεῖ
Κατέβα ποδί. μυριᾶν
δ᾽ ἀρετᾶν ἀτελεῖ νόῳ γεύεται.
Natiua iactant robora nobiles,
Lucentq; auitæ ſydere gloriæ:
Qui verò quæſitum labore
Nomen habet, miſera vel arte,
Is ſæpè peccans ambiguo gradu
Vacillat anceps, magnaq; deſerit

Incæpta, ſelicem petitis
Neſcius impoſuiſſe finem.

Atq; cùm trium ſaltem virorum proborum ſerie confirmari nobilitatem debere Philoſophus iudicarit, quod hoc numero, alioqui perfectionem quamdã præſeferente, principium, mediũ & finis nobilitatis contineãtur, ſatis tamen ille clarè inſinuare videtur, quò ſeries illa fuerit numeroſior, cò ſolidiorẽ, & magis radicatã nobilitatem, ac proindè illuſtriorem eſſe & cõmendatiorem. Quemadmodũ enim vinũ antiquitas cõmendat, ſic nobilitati eadem magnum adfert ſplendorem; & ſi quid rectè ſentio, ſola nobilitas, quamuis tẽpore reuerà poſterior ſit, antiquitatem ſola ſibi vindicat. Nam quoniã vita hominis non perindè ac pecorum, quæ natura prona, atq; ventri obedientia finxit, in paſtu ſolùm, multaq; corporis ſaginatione, ſed in conſtanti virtutis cultu, & in reb⁹ honeſtè, fortiterq; geſtis collocari debet, hæc demùm vera vita eſt, quæ a virtute ſplendorem & dignitatem accipit acceptãq; retinet & conſeruat, cuius vmbram in ignobilibus, & inertiſſimis, qui ex numero viuotum exeũt, antequàm moriãtur, in quibus *ſicut in ſtatuâ præter nomen nihil eſt additamenti*, tantũ ſupereſſe putandum eſt. Nimirũ *qui inter mortales dediti ventri, atq; ſomno, indocti, incultiq; vitam ignobilem & obſcuram ſicuti peregrinantes tranſiere, eorũ ego vitam mortẽq; iuxtâ æſtimo*, cũ ſapiente Romano, *quoniã de vtraq; ſiletur & is demum mihi viuere videtur, qui aliquo negotio intentus preclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit*. Atq; cũ *in magnâ copiâ rerum aliud alij natura iter oſtendat, pulchrũ eſt benefacere: etiam contẽplari, variâq; animũ doctrinâ exornare præclarũ eſt*: ſed ea ſtudia inprimis virũ nobilẽ decent quæ ad publicum bonũ, & ſalutem ciuiũ pertinent. Quamobrẽ communi quodam veluti hominum conſenſu, ſeu inſtinctu, quos nobiles generoſos, & rerũ plæclarè geſtarũ gloria magnos conſtãti fama accepiſsẽt, haud grauatè eorũ Imperio cæteros mortales ſeſe ſubmiſiſſe ſemper; & Romulum, Cyrũ alioſq; innumerabiles ob nobilitatis ſolam opinionem ad regiam dignitatem prouexiſſe litterarum monumentis proditum eſt, & lyræ Princeps cecinit,

Salluſt. in Catil.

Ε᾽ν δ᾽ ἐ ἀγαθοῖσι θεῖνται
Πατρῶαι κεδναὶ πολι-
ων κυβερνάσιες.
Recte Principibus bonis
Magnarum alma ſalus creditur vrbium.

Pindar. Pyth. od. 10.

Naturæ lex inqt Seneca, *potioribus deteriora ſubmittere, inter homines pro sũmo eſt optimus. ideoq; sũma felicitas erat gentiũ, in quib⁹ non poterat potentior non eſſe melior*. Atqui cum ab altero parente nobilitatẽ fluere idem

Philoſophus ſenſerit, in cuius quippe geniturâ & vegeat natura ſeu anima nobis cum ſtirpibus communis, & calor maximé ille vitalis, cuius miniſterio effingit illa, efformatq; multiplici coctione, & delineatione generoſam prolem mari, ex quo defluxit, ſimilem; non diffitebitur tamen nobilitatis partem ab ipsâ matre deriuari, *qui cum genus de patre, & matre dici, tum filios ab vtroq; originis ſuæ primordia repetere ſcriptum reliquerit.* Quod ſi pro ſuo more parum æquus illi ſexui principium generationis noſtræ materiatum duntaxat à mare repetit, ecce Hippocratem, & Aſclepiadas omnes ei opponere licet, qui experientiâ rerum magiſtrâ duce, & à fæminâ ſemen decidere prolificum, & conceptum ipſum potius regi, & viuere animæ maternæ præſentia, quàm ipſius propriâ conſtanter affirmant, atq; etiã ipſum Platonem magiſtrum diſcipuli authoritatem ſalubri hac monitione eneruantem audire iuuat, *in eligendâ ſcilicet uxore non mediocrem adhibendam eſſe ſollicitudinem, & eam potius nobilem & benè moratam, quàm diuitem quærendam, ne degeneres ſcilicet aliquâ ex parte liberi, ſeu monſtra paupertate ipſâ longè deteriora ex coniunctione illâ inæquali ſuboleſcant.* Enimuerò ſi fæminas ſimilitudinem cum parentibus ſuis habere fatendum eſt, quis niſi iniquus rerum æſtimator nobilitatem in ijs ſuperſtitibus vigere, & ad poſteritatem promanare, quamuis temporis diuturnitate ac rerum viciſſitudine familia ex caſu marium vniuerſa intercidere, & interrumpi videatur, inficiari poteſt? Quæ ſi de nobilitatis & indole, & amplitudine é Philoſophorum fontibus hauſta tàm clara ſunt, quàm quæ clariſſima, magna profectò nobis lætandi, & gratandi de claritudine generis ſereniſſimi, ſummiq; Principis diuino munere occaſio eſt oblata. nam quæ nobilitati dignitatem, & ſplendorem conciliare non ſolùm vulgi opinione, ſed ſapientium decreto valent, ea, ita me Deus amet, vniuerſa ad decus & ſupremam nobilitatem (liceat populari nomine Serenitatem, ac Claritudinem & Maieſtatẽ ſupremi Principis appellare) tantâ cũ conſpiratione cõfluxere, vt illuſtrium fere toto orbe familiarum ſuo illo fulgore perſtringere lumen, & obſcurare videatur. Enimuerò ſi originis Herois noſtri amplitudinẽ, atq; altitudinem, & gloriam nobis ob oculos ponimus, alto illum à ſanguine Chriſtianiſſimorum & totâ Europâ potentiſſimorum Regum Galliæ, Hiſpaniæ, atq; Daniæ originis ſuæ primordia repetere comperiemus. Nam patrem habuit ſapientiæ laude clariſſimum iuuenem Franciſcum primum Lotharingiæ ducem, matrem verò magnanimam Chriſtinam Regis Daniæ filiam, & hæredẽ, ac neptem maximi Imperatoris Caroli. V. paternum autem auum Antonium, optimũ poſt homines natos Principem, & auiam

Renatam

Ariſt. 8. Meth. c. 33.

6. de Repub.

Renaram Borboniam filiam Gilberti comitis Mompenſieri; abauum demùm habit inuictiſſimum & prudentiſſimum Renatum II. & abauiam Philippam Gueldriæ ex eàdem familia Borbonia oriundam. Ac ne longior ſim in enumerandis glorioſis ſtemmatis, cum illa partim à Carolo Magno, & Diuo Ludouico, partim ab Auſtriacâ, & Danicâ gente repetere liceat, quid de ſplẽdore, amplitudine, & maieſtate originis generoſi Principis plura dicere eſt? aut cuius familiæ auguſtiora ſtẽmata, ceras & imagines clariores, ac fulgentiora inſignia toto orbe terrarum exquirere, quæ cum Lilijs atq; ſignis ſalutaribus Crucis Hieroſolomitanæ, vel cum Aquilis & Leonibus corona aurea ſuperbis iuſto ſacramento contendere poſſint? Earum equidem familiarum ſplendorem qui verbis exprimere volet, is meâ ſententiâ Solis lucem inacceſſam, cuius fulgorem oculis ferre non poteſt, dicẽdo explicare vnà poterit, cuius vtriuſq; tàm longè patent termini, tàm latè fulgor emicat eximius. Quod ſi eiuſdem ſtirpis longitudinẽ, ceù generis vetuſtatem contemplari animus eſt, quæ oratio ei par eſſe poſſit, cum paterna quidem gens ad Carolum Magnum, vel etiam ad Pharamondum longâ ſerie tandem deuoluatur; Danicum autem Imperium antiquitate ſeculorum Romanum etiam exſuperet? Nam quid de latitudine ſtirpis Lotharenæ dicam? Equidem ſi aut affinitates illuſtriorum vniuerſæ Europæ familiarum, quæ ſuperioribus temporibus interceſſerũt cum illâ arctiſſimæ, ex annalibus patrum repetere; aut quas vidimus noſtro æuo cum Chriſtianiſſimis Regibus Galliæ, Angliæ, Scotiæ, & cũ florẽtiſſimis Magniſq; ducibus Sabaudiæ, Florentiæ, Bauariæ, Cliuiæ, Mantuæ, atq; ceteris clariſſimis familijs coaluiſſe, oratione perſequi vellem, longa profectò mihi ad maiora properanti retexenda eſſet hiſtoria. Iam verò ſi vel Arnolphos, Pipinos, Carolos, Lotharios, Godofredos, Stephanos, Renatos, reliquoſq; noſtri herois auos paternos (vt omittam generoſa & alta Danicæ ſtirpis capita) Principes ſanctimoniâ & pietate eximios, ſtreñuos viros, & fortiſſimos Imperatores, atq; acerrimos Reipub. Chriſtianæ vindices, vel Guiſiadas, alioſq; Lotharenæ gentis generoſos ſurculos Eccleſiæ, Galliæq; columina, atq; fulmina belli recenſere libido eſt; aut verò alta inclytæ familiæ decora, tot fortiter ab ea ſuſcepta, feliciterq; geſta bella, tot labores exhantlatos, quà Europa vniuerſa imò quà orbis ipſe terrarum patet, ſiuè pro Romanæ Eccleſiæ propugnatione, & propagatione, hoſtiumq; eiuſdem expugnatione, & pro Apoſtolicæ ſedis defenſione, ſiuè pro Imperio Romano, atq; Regum affinium maieſtate vindicãda, ſiuè demùm pro iuſtitia, pace, & ſalute publica commemorare & oratione perſtringere tentarem,

tanto oneri profectò impar, aleam & diſcrimen exiſtimationis meæ nuſquam poſſem effugere. Ardet potius animus (quoniam, vt canit

Eur. in. Arch. Poëta,

Ἐν τοῖς τέκνοις γὰρ ἡ ἀρετὴ εὐγενῶν
Ἐνέλαβε;
Virtus parentum clara excipitur, vigetq́,
Ipſis nepotibus, & ſuis in liberis)

ſanctitatis & pietatis eximiæ à ſanctiſſimis Regibus Arnolpho, Ludouico, Canuto, Philippâ Gueldria, & infinitis propè alijs; tùm ſapientiæ & æquanimitatis ab Auſtriacæ familiæ tot proceribus, atq; incredibilis animi fortitudinis à Danicâ gente, omnium deniq; heroicarũ virtutum ſimul connexarũ à Carolo Magno, Gotofredo, & reliquorum Lotharingiæ ducum veteri proſapiâ fœcunda tot ſemina ad vnũ CAROL. III. transfuſa generoſæ eius indoli alté inſita à primo ipſo ortu, tamq; fœcundo diuinæ gratiæ rore, ac lumine illuſtrata fuiſſe oſtendere, vt procliue admodum fuerit, ijs naturæ dotibus excelſum virum ad ſupremum in omni genere virtutum culmen, & gloriam ſponte aſſurgere, ſuiſq; inclytis maioribus, ſi non prælucere, certé adlucere,

Idem in hel.

παιδὶ γὰρ κλέος τόδε
κάλλιστον, ὅστις ἐκ πατρὸς
χρηστοῦ γεγὼς
εἰς ταὐτὸν ἦλθε τοῖς τεκοῦσι
τοὺς τρόπους.
Hoc namq́, liberis decus
Pulcherrimum, parente cum ſati probo
Maioribus quoq́, congruos mores ferunt.

Caſſiodor. Ea enim demùm vera nobilitas eſt, quæ virtute maiorũ parta, proprijs adoleſcit fulgetq; virtutibus; verũq; eſt illud Sapientiæ decretũ, *ſine cauſsá parentũ titulis nitimur, niſi proprijs adiuuemur.* Atqui, antequã in late patentem virtutũ tanti Herois campum deſcendamus, emetiri cum priùs, quę de felicitate eius in extremis bonis ſita ſemel ingreſſi ſumus, ratio, fideſq; me non recuſantem iubent, & imprimis illud genus boni contemplandum proponunt, quod ad bonã felicemq; prolem pertinet, & cum nobilitate aliàs neceſſarió coniunctum eſſe videtur. Duobus namq; bonorum generibus, quibus mortales in hàc vitâ naturæ, aut fortunæ munere fruuntur, decurſis hactenus, etſi me ad ſe honor, gloria, fama, & amici ſuo iure prima vocant, ſiquidem *dignitatis nomen*, monente Philoſopho, *externis bonis accenſere oportet, in*

Ariſt. in Ethic.

ijsq́, maximum meritò perhibetur quod & Dij immortales ſibi vindicant, &

optimus

optimus quiſq; acerrimé expetit, tanquam vnicum rerum pulcherrimé geſtarum præmium; illud autem eſt honos, bonorum externorum ſummum, & maximé optandum. Quoniam autem honos, iudicio non ſolùm litteratorum hominum, ſed etiam Philoſophorum in earum rerum cenſu reponi debet, quæ ancipitem naturam habent, & vt grauis author ait, *gloriam, honorem, imperium bonus, ignauus æqué ſibi exoptant, ſed ille verâ viâ nititur; huic quia bonæ artes deſunt, dolis atq; fallacijs contendit:* opportuné hunc demùm de honore, & gloriâ, quam ſibi ſuâ virtute peperit glorioſiſſimus Princeps immortalem, præuertet ſequens de eius virtutibus oratio, à quarum præſtantia honoris ſempiterni immortalitati eius debiti gradum & dignitatem par eſt definire. Ad quartum igitur bonorum externorum genus tempeſtiuum eſt, vt accedamus, quod in bonâ prole, cui neceſſariò & bona Cōiux adhærere debet, non temere ſapientes ſitum eſſe perhibent. Nam *quoniam vita ipſa, quâ fruimur, breuis eſt, memoriam noſtri quàm maximé longam efficere optimus quiſq; expetit;* viuimus autem, & vbi ſemel fatis conceſſimus, reuiuiſcimus in liberis, Sallust. Catil. / Ibid.

Et natis natorum, & qui naſcuntur ab illis

tanquam in viuis & ſpirantibus noſtri imaginibus, ceù potius in nobis ipſis renatis, & quaſi repueraſcentibus. (Quid enim ſunt per Deum immortalem liberi, niſi partes quædam meliores noſtri ſpōte adoleſcentes, denuoq; nouâ quâdam fæcunditate in eos, è quibus deciſæ ſunt, aſſurgentes! Quod parentum amor in natos natorum excreſcens vſq; & vſq; ſatis arguit, Ζηλωτὸς ὅστις εὐτύχησεν ἐν τέκνοις, dicebar Diogenes, *beatus ille qui felix prole fuit.* et Plato, τούτῳ τῷ τρόπῳ πᾶν τὸ θνητὸν σώζεται· οὐ τῷ παντάπασιν τὸ αὐτὸ ἀεὶ, ὥσπερ τὸ θεῖον, ἀλλὰ τῷ τὸ ἀπιὸν καὶ παλαιούμενον ἕτερον νέον ἐγκαταλείπειν οἷον αὐτὸ ἦν. μὴ οὖν θαύμαζε, εἰ τὸ αὑτοῦ ἀποβλάστημα φύσει ἅπαν τιμᾷ. ἀθανασίας γὰρ ἅμα καὶ εὐδαιμονίας εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον παντὶ αὕτη ἡ σπουδὴ, καὶ ὁ ἔρως ἕπεται. *hoc modo omne mortalium genus ſeruatur, non quod planè ſemper vnum & idem ſit, quale diuinum eſt genus, ſed quia id, quod abit ſeneſcitque, aliud nouum ſibi ſimile relinquit; ne mireris igitur ſi vnumquodq; animal fœtum, ſeu germen ſuum natura colit: hoc enim ſtudium, hic amor cunctis inhæret genus ſuum æternum efficiendi gratia*) reuiuiſcimus, inquam, in liberis; iure profectò nos beatos, pulchroſq; putamus, ſi nobis fortunæ benignitate bonam prolem, in quâ ipſi refloreſcamus, ad Reipub. conſeruationem relinquere hæredem non ſolum fortunarum contingat

(ἐπεὶ πλοῦτος ὁ λα-
χὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον
θνάσκοντι στυγερώτατος Pindar. Olymp. od. x.

Etenim

Etenim flebile diuitem
Externis dominis parta relinquere,
Et natorum inopem mori.)

ſed etiam nominis & gloriæ domeſticæ;

Euripid. in Iph.13.2.

Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες.
Nam ſunt columnæ liberi mares domûs.

Atqui cum omnibus ſummam liberorum curam, & deſiderium ineſſe natura, ſocietasq; humana; Principibus certè maximè incolumitas cuiuſq; propria, atq; imperij ſalus dictant, iubentq;. Nam & Princeps ipſe viuens tùm ſecurior, quia pluribus veluti munimentis inſiſtit;

Τύραννοι παῖδες ἔρυμα δώμασι.
Munimen aulæ regiŋ ſunt liberi:

Tac.1 hiſt.

Curt lib.6. Tac.1 hi. Idiſ Ann. 3 Ann. 2.hiſt.

Cum non claſſes, non legiones perindè firma imperij munimenta, quàm numerus liberorum; tùm ſuæ authoritatis retinentior; quod non neſciuit Alexander ille magnus, dum ita quereretur, *orbitas mea, quod ſinè liberis ſum, ſpernitur.* & verò defuncto Principe ſtatus rerū firmior, quia cum *ob inſitam mortalibus potentiæ cupidinem, eamq; cunctis affectibus flagrantiorem; magnis conatibus opportuni ſint tranſitus rerum; cum prauæ aliorum ſpes cohibentur, ſi ſucceſſor non in incerto; tùm minori diſcrimine ſumitur Princeps, quàm quæritur.* Quoniam verò eam ſecuritatem non niſi contubernio maris & fæminæ conſequi poſſumus, & vterq; per ſe indigens, alter alterius auxilio veget, partem huiuſce felicitatis profectò attingit bona vxor. *Mulieris bonæ beatus vir.* Quò iure parendū conſilio ſapientum;

Salom.

Menand.

ζήτει γυναῖκα σύμμαχον τῶν πραγμάτων.
Admitte thalamo coniugem rebus tuis
Sociamq; fidelem probamq; tibi adſtitem.

Si ſine vxore poſſemus, Quirites eſſe, (Metellus Numidicus Cēſor ſic populum Romanum affabatur) *omnes eâ moleſtiâ careremus; ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis cōmodè, nec ſinè illis vllo modo viui poſſit, ſaluti perpetuæ potiùs, quàm breui voluptati conſulēdū.* Quàm igitur hâc in parte generoſus Princeps felix fortunatuſq; fuerit, etſi me tacente res ipſa ſatis loquitur, tamen non poſſum ſine ingratitudinis notâ non & Deo Opt. Max. grates quàm maximas animus concipere poteſt, agere pro hoc ampliſſimo in eum collato beneficio (cuius etiam fructus in nos redundauit vberrimus) & vota nuncupare pro ſalute Sereniſſimorum eius liberorū; ei enim obtigit ſorte quâdam diuinâ, & iure quaſi ſuo, vxor lectiſſima Sereniſſima Claudia Valeſia Chriſtianiſſimi & inuictiſſimi HENRICI II. Galliarum, Regis

pruden-

prudentiſſimæ, inclytæq; Catharinæ Mediceæ filia charisſima, & tot regum ſoror dilectiſſima, quæ ſingulari gratiâ, & morum ſuauitate Charites; quæ pudore & modeſtiâ ſummâ Veſtales; quæ charitate eximiâ hoſpitales Moniales longo dum viueret interuallo anteceſſit; quibus claris virtutibus tantam exiſtimationem ſibi apud omnes commeruit, vt totius Galliæ decus & gloria haberetur, & à nobis tanquam Euthychia dea coleretur. Nam quid attinet dicere de incomparabili fidelitate, & mutuo, qui eſt ſuauiſſimus, inter ſe amore? O terq; quaterq; beatum tali coniuge Principem! ô fortunatam Lotharingiam tam raro amantium pari! ô fortunata felicis cõnubij pignora; & chariſſima parentibus capita! Ii namq; ex eo prodierunt liberi, qui & numero cum Imperij paterni magnitudinem haudquaquam minuerent, tùm ampliſſimis affinitatibus illud potius conſeruare, & augere poſſent; & eâ omnes indole, & magnitudine animi, qui ſummum in omni genere virtutum patrem referrent, & laudes exæquarent. Equidem ſic apud animum meũ ſtatuo pulcherrimam mihi hîc occaſionem oblatam eſſe compendij magni faciendi, & facili negotio liberandæ vltrò datæ fidei, de ſummis virtutibus magni Principis defuncti dicendi; Nam ſi ad viuas & ſpirantes hodie in illuſtriſſimis Liberis eius virtutes intuendas vnumquemq; ſaltẽ prouoco, & inuito, haud ſanè dubito, quin & ijs, quibus familiaritas cum tanto Principe interceſſit, earum memoria ex intuitu imaginum earumdem in filijs extemplò reuiuiſcat, & quibus illum, dum viueret agnoſcere minime eſt conceſſum, ex tàm magnificis ſimulachris illi ex ſe coniectent ad quantum lumen in ipſo prototypo, & parente ex peruenerint; atq; ita abundè meo à me ſatisfactum eſſe officio vnuſquiſq; fateatur. Optanda mihi autem hîc foret imprimis par facundia veſtræ eximiæ in Deum pietati, & ſanctimoniæ, (ô ſacri & veneratione æternâ digni CAROLI Præſulis manes) quam vel ſummâ cum ſapientia coniunctam in iuuenilis ætatis ardore, & ſemper ſtudioſe coluiſtis, atq; in omni vita ſed præcipuè æternùm prædicandâ illâ Eccleſiæ Dei ſanctâ reformatione, luculenter adeò eſtis teſtificati, vt tanti beneficij magnitudinem nulla ætas delere poſſit, ſed omnes boni memoria grati animi ſint proſecuturi ſempiterna; Ecce, ecce Dei Eccleſia propè effœta, te, ô Beate Antiſtes, vinitorem, & cultorem vigilantem nacta, nouis virtutum plantis reuireſcit, & lætatur, atq; priſtinum integritatis & puritatis florem induit: te autem magnum Myſtem & correctorem ſuſpicit, ac obnixo veneratur animo, atq; vota tuæ beatitati nuncupat, vouetq; ſupplex. Cuius in meriti partem cum venerit religioſiſſimus ac reuerẽdus admodùm

Pater Fr. Nicol. de la Ferté, iniuriam ei profectô facerem, ſi quam ille fortem & ſtrenuam hâc in parte illuſtri Antiſtiti nauauit operã, prætermitterem; dici equidem non poteſt, quantâ cum prudentiâ, & quanta charitate atq; etiam facilitate demandatum ſibi munus ille perfecerit. Macte ergò virtute & charitate, ó acerrime Anthoniani ordinis vindex, & decus, & viue æternùm. Optãda mihi pariter Iulliana dicendi facultas, ó ſereniſſimi Principes clementiſſimiq; Domini, quâ paternas, hoc eſt, diuinas in vobis virtutes pro dignitate exornare liceret. Verùm quoniã id facere ſine aſſentationis ſuſpicione non poſſum, hoc certé ſupplex à vobis peto, tuq; imprimis ô Clementiſſime HENRICE, da hanc veniam vt quâ magnificentiâ, prudentiâ, & Eutychiâ ſuper omnes huius æui Principes refulges, eas in optimo parente, tanquam in ſuo cælo, vnde fluxere tot & tanta in te bona, liceat mihi deinceps admirari. Da generoſiſſime FRANCISCE fortitudinem animi cum ſapientiâ rarâ in te coniunctam, in fortiſſimo parente, tanquam in perenni radice, ſuâ laude exornare. Date Sereniſſimæ Principes eximiam veſtram ſanctitatem, gratiam, & ſuauitatem morum in optimo & ſemper-honorato parente, ceu in limpidiſſimo fonte, ex quo in vos dimanarunt, memoriâ recolere iucundiſſimâ, & congratulari mihi pijs eius Manibus de vobis vniuerſis, quibus, vt cum Homero loquar, tantâ cum vbertate inſtillatæ, ἐνέστακται μένος ἠΰ; virtutes paternæ, & tanta ſtipatæ felicitate. Ad te enim iam ó generoſiſſime Princeps, o Charitũ ocelle, redeo et lubens me trahi patior à Gratiarũ choro, & pulchritudine eximiâ, quæ te & venerabilem, & gratiſſimum meritò omnibus fecere: quæ pulchritudo cum bonis externis ſuo iure accenſeri debeat, à me certè nõ ſine iniuriæ etſi leuiculæ erga te ſuſpicione negligi aut omitti potuit. Quod enim eſt per Deũ immortalẽ potentius ad animos conciliãdos pharmacũ pulchritudine? quæ blandior pellex, aut dulcior voluntatum illecebra ſpecie, & venuſtate corporis? Steſichorus grauis author litterarũ monimentis conſignatũ reliquit, cũ ſcelerati homines ad Helenam lapidibus obruendã fuiſſent miſſi, eos diuinam oris eius gratiã ferre non potuiſſe, atq; lapidibus ex eorum manibus ſponte demiſſis intactã reliquiſſe, & illibatã illam Venerẽ, cuius ſcilicet formæ fulgore vniuerſa exarſiſſet Aſia. Quid enim aliud eſt pulchritudo quàm particula quædam, ceu radius diuinitatis in homine, eiuſq; perfectio & ſplendor admirationem ſui in animis excitare potens, & ad amorem generoſas quaſque mentes allicere, dulciq; nectere compede? pulchrè illud à Platone dictum νῦν δὲ κάλλος μόνον αὐτην
In Phædro. ἔσχε μοῖραν ὥστε ἐκφανέστατον εἶναι ϗ ἐρασμιώτατον. *Nunc verò pulchri-*

tudo

tudo hanc veluti dignitatem ſortita eſt, vt & omnium rerum illuſtriſſima & amabilis maximé exiſteret, & iterum ὁ δὲ ἀρτιτελὴς ὁ τῶν τότε πολυθεάμων ὅταν θεοειδὲς πρόσωπον ἴδῃ, κάλλος εὖ μεμιμημένον, ἤ τινα ἀσώματον ἰδέαν, πρῶτον μὲν ἔφριξε, καί τι τῶν τότε ὑπῆλθεν αὐτὸν δειμάτων. εἶτα προσορῶν ὡς θεὸν σέβεται, καὶ εἰ μὴ ἐδεδίει τὴν σφόδρα μανίας δόξαν, θύοι ἂν ὡς ἀγάλματι καὶ θεῷ τοῖς παιδικοῖς *Sed is qui perfectè initiatus eſt ſacris, & qui aliquando plurima eſt contemplatus, quando vultum aliquem diuinâ quadam formâ illuſtrem, vel aliquam corpoream formam illam imitantem, primùm quidem fremit, vetusq́; quidam metus incrudeſcit, deinde inſpiciens tanquam Deum colit, ac niſi vereretur vehementis inſaniæ crimen, amaſio ſuo non aliter, quàm auguſta cuidam Dei imagini ſacra faceret.* Nimirum *quemadmodum ſuauitas & pulchritudo florum nobis fructuum vbertatem promittit, ſic corporis vernantis egregia ſpecies tandem aliquando in homine virtutes maturas affore pollicetur; atque vt diem aurora, ſic animi ingenijq́; lumen formæ ſplendor aliquis, nitorq́; antecedit.* Tyrius Maxi. Plat. Quò ſané non mirum & eius incredibile deſiderium eſſe à natura hominibus inſitum, quæ ſcilicet tanquam diuini ſolis radius quidam index eſt præſentis in nobis diuinæ gratiæ tantò clarior, quò maior; & verò eandem pulchritudinem impensa cura & ſtudio ab omni ſexu & ætate coli, diuitijs & gaza haberi potiorem: atq; certamen inter mortales ſæpénumero cerni de pulchritudine, ceu cæterarum rerum omnium maximè honeſta & laudabili: quod ſapiens orator percipi ait *ex tacitis hominum ſenſibus & cogitationibus, ſcilicet cum cæterarũ rerum cupiditas quædam in nobis oriatur, earũ tamen minime amore corripi & incẽdi dicimur, quippe qui ſummus & vehemẽtiſſimus animi affectus eorũ eſt proprius hominũ, qui ſolam pulchritudinẽ admirãtur. adde quod ijs, qui cæteris excellũt, neſcio quò naturæ impetu inuidemus; cum formoſis mulieribus amici illico, & beneuoli reddamur; nulloq́; tempore in earum cultu ſatigemur; denique formoſis libentiorem ſeruimus ſeruitutem, quam reliquis imperamus, a quâ ſeruitute liberales, ingenui, atque elegantes meritò perhibemur.* Iſocrates in Helen Enco. Ac ſi in omnibus commendari iure debet pulchritudo, certè in primarijs viris maximé, tum quia licet *nullo virtus honeſtamento eget, & magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat*; tamen Senec. ep. 67.

Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus:

tum quia *authoritatem & ingenitam gentibus erga Reges ſuos venerationem ſeruat & auget, præſertim apud vulgum Imperatores formâ & decore comparantẽ.* Tacit. l. hiſtor. Quanquã igitur poetæ Gratiarũ cõſertis manibus in ſe redeuntiũ choru ita eſſe formatũ, vt vna ſemper ſit nobis aduerſa, ſenſerint, ſignificãtes ſcilicet neminem è nobis ex omni parte eſſe be-

atũ,tamen glorioſiſſimus noſter C A R O L. cum in cæteris bonis fortunam,& naturam æquè propitiam, & fauentem præ cæteris mortalibus fuerit expertus,tùm in hoc genere lõgè fortunatiſſimus fuit. *Ariſt 13. meta Phyſ & in eth* Enimuerò cum *pulchritudo ſit perfectio quædam corporis ex ordine partium inter ſe certâ commenſuratione & congruis terminis emicans*; eaq; cõmenſuratio pro varietate conditionis,ſexûs,ætatis,officijq; & partiũ naturâ,quâdã gratâ alternatione variet;ſua enim pueritiæ, ſua virilitati pulchritudo, ſuuſq; ſenectuti decor; ſua fœminæ venuſtas, ſua mari forma;& ſua ori dignitas, ſua etiam oculis ſpecies: ea demùm felicitatis pars habenda,non quæ mollitiem, delitiaſq; præſefert, & *Senec. ep. 67.* fœminam decet, ſed quæ virum exornat, & quanquam *poteſt ingenium fortiſſimum & beatiſſimum ſub quâlibet cute latere, poteſtq́. ex deformi,humiliq́. corpuſculo exire formoſus animus & magnus*, tamen animi altioris præclara ſoboles,& veluti lumen eſt, quæq; ſuum poſſeſſorem reddit & cæteris gratiſſimum, & ad virtutum cultum maximè idoneum;cui ſcilicet elogium illud conueniat, *facies digna Imperio*; ea autem cum ex infinitarum propè rerum conſenſione efflorescat, rara eſt mediusfidius,& in nullis ferè ſuis omnibus numeris cernitur abſoluta;tamen ita illuſtris fuit in generoſo Principe, vt natura videatur voluiſſe eius ideam,& exemplar adumbraſſe in hoc, & effinxiſſe quàm perfectiſſimum,atq; eas res omnes, quæ ad pulchritudinis dignitatem deſiderari poſſunt,in eo vno coegiſſe non aliter, atq; Zeuxim olim factitaſſe hiſtoriæ memorant, qui excellentem muliebris *Cic. in lib. de inuent.* formæ pulchritudinem ſub Iunonis ſimulachro, tanquã muta imagine, alioqui muliebri in corpore pingendo alijs præſtans Crotoniatis relicturus,ex virginibus apud eos (qui tùm omnibus corporis viribus & dignitatibus anteſtabant) formoſiſſimas quinq; delegit,vt excerptâ ab vnâquâq; & expreſſa ei⁹ partis dignitate & formâ,in qua quæq; excelleret,mutum in ſimulachrum ex animali exemplo veritatem transferret.non putabat ſcilicet ille, omnia quæ quæreret ad venuſtatem vno ſe in corpore reperire poſſe,ideò, quod nihil ſimplici in genere omni ex parte perfectum naturam expolire crederet, itaq; tanquam cæteris non ſit habitura quod largiatur, ſi vni cuncta conceſſerit,aliud alij commodi, aliquo adiuncto incommodo munerari. Quaſi verò natura ab arte hâc ſe laude ſuperari patiatur, in vno ſcilicet exprimendi ſimul omnes, quæ cuiuis rerum ſpeciei naturales ſunt & inſitæ dotes, ſed per ſingula indiuidua ſparſæ; atque perfectum aliquod in quouis genere ſuarum virium ſpecimen edere præſertim ſi illud ad cæterorum incolumitatem, aut vtilitatem deſtinarit;ac non potius id ſingulo quoque ſeculo tentet, feliciterque

perficiat

perficiat? teſtes Alexandri, Cæſares, Scipiones, Catones, Hippocrates, Platones, Ariſtoteles, Senecæ, quibus nihil eorum, quæ ad animi magnitudinem, & prudentiam, ſiuè militarem, ſiuè togatam pertinerẽt, defuiſſe tàm certum eſt, quàm quod certiſſimum. Quò de naturæ munificentiâ erga generoſum Principem haud quaquam diffidere nullus niſi iniquus rerum æſtimator poteſt. Ponite enim vobis ante oculos, ſi placet tàm alti animi comitem corporis dignitatem: in eo certè tanta frontis ſerenitas cum oculorum maieſtate, & oris totius venuſtate; tanta capitis dignitas cum totius corporis proceritate & compoſiturâ externa, atq; ſymmetria ad decorem & gratiam conſpirabant, vt in quemcunq; etiam à natura miſanthropum, ſeu adoleſcens, ſeu vir incidiſſet, ad amorem eius illum ſtatim inflammarẽt, & huiuſmodi extorquerẽt acclamationes: ô pulchrum! ô decorum! ô formoſum Principẽ! affecta autẽ ætate, & præcipiti ad tantã venerationem excitarent, vt cum in Gallias iam ſexagenarius profectus eſſet, multi ex vniuersa Gallia, vnius ſenis venerandi viſundi, & adorandi ergò ad regiam aulam confluerent, Quod factum, tametſi magna ex parte præclaræ de ſapientia eius famæ tribuendum exiſtimo, tamen & pulchritudo cum ſingulari gratia in eo coniuncta, partem ſibi eius vindicauit

ἦν δ' ἐσορᾶν καλὸς, ἔργῳ Olymp. od. 8.
τ' οὐ κατ' εἶδος ἐλέγχων.
Qui pulcher haud turpi decorans
Segnitie faciem feſellit.

Qualem deſcribit Pindarus Alcimedontem & Aeacum.

βασιλεὺς χειρὶ καὶ βουλαῖς ἄριστος Nem. od. 8.
πολλά νιν πολλοὶ λιτάνευον ἰδεῖν.
Conſultis bonus, & videntum
Gratus ocellis

Incredibile enim dictu, quanta Gratijs, quæ in motibus, geſtibus humanis, omnibuſq; munerum functionibus ſplendeſcunt ceu externa quædam rectæ compoſitionis animi ac corporis lumina, virtutis ſpeciem præſeferentia, & quaſi ipſius pulchritudinis anima & ſpiritus, quanta, inquam, gratijs vis ineſt ἑλκυστικὴ ad animos hominum nobis conciliandos; hæ ſunt quippe ſagittæ, quibus Venus ſauciat blandè, & ſopit mortalium corda; hæc ſunt vincula, quibus ligat, & tàm dulci nodo ſtringit mentes, vt arctius vſq; & vſq; deuinciri ſe ſẽ gaudeant, cupiantq; nedum ſolui vnquam; hæ ſunt ardentes faces, quibus animi inflammantur, & inflammati dulciter liquuntur, nam vt ait idem Poëta,

Pind. *σὺν γὰρ ὑμῖν τὰ τερπνὰ καὶ τὰ γλυκέα*
γίνεται πάντα βροτοῖς,
εἰ σοφὸς, εἰ καλὸς, εἴτις ἀγλαὸς
ἀνήρ.

Si quid enim placet,
Si quid dulce hominum ſenſibus affluit,
Si quisquam aut ſapiens, aut facie nitens
Inſigni, aut meritis clarus honoribus,
Debentur lepidis omnia Gratijs:

Quæ profectò illuſtres & adeò ſpecioſæ in longè gratiſſimo Principe fuere, vt nulla vitæ eius pars lepore careret; nihil ille diceret, nihil innueret, aut faceret, quod non mirificâ conditum ſuauitate omnibus adluberet, arrideret. Vel obſecro quis vnquam tàm bardus, & ſtipes, qui eum incedentem, aut pro more ſtantem, aut ludentem, aut menſæ accumbentem, nedum equitantem, vel in ſenatu ſedentem intuitus, gratiæ eius venuſtate non ſenſit illicò ſeſe permoueri, & neſcio qua iucundâ animi titillatione demulceri, atque ad eius amorem & cultum allici? Nimirum ingenuus Principis generoſi animus ad omnem honeſtatem, & elegantiam natus, in regia illa aula Galliæ, in qua veneres, & lepores ſedes ſuas fixerant, altus facilem ſe præbuit Gratijs ipſis alumnum, vixitque ita deinceps ore compoſitus, *vt appareret grauis, non tamen acerbus, ſed auguſtus*; qualem deſcribit Philoſophus, *vt qui obuij fierent non metuerent, ſed magis vererentur*, *ὥς φαίνεσθαι μὴ χαλεπὸς, ἀλλὰ σεμνός. ὥστε* V. Polit. c. 10 *μὴ φοβεῖσθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας, ἀλλὰ μᾶλλον αἰδεῖσθαι.* & verè illi conueniret illud Principis apud Xenophontem elogium, *ἔμοιγε δοκεῖ καὶ ἐκ θεῶν τιμῆς καὶ χάρις συμπαρέπεσθαι ἀνδρὶ ἄρχοντι. mihi à Deo & cælo videtur Venus quapiam & gratia comitari & ſubſequi virũ Principem* ſed fortaſſe nimis multa de naturæ dotibus, quibus ita eximijs emicuit generoſus Princeps ſummâ naturæ benignitate, vt reliquos ferè coætaneos Principes longè ſuperaſſe videatur, & de eo illud Triſmegiſti vſurpari liceat. *ὦ ἄνθρωπε μέγα τέχνασμα φύσεως πλημμεροστάτης?* *Homo magnum naturæ audacis operæ pretium*! Quid porrò fortunæ nonne parem quoque erga ſe expertus eſt munificentiam? supereſt enim hoc extremum bonorum, quæ mortales tanti æſtimant, à nobis minimé hoc tempore negligendum, cuius cùm ad omnem vitam humanam vſus ſit ampliſſimus, *δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄ-* Demoſth, ol. 1. *νευ τούτων οὐδὲν ἐστὶ γενέσθαι τῶν δεόντων*, dicebat orator Græcus, *opus ſunt opes, & ſinè eis nihil fiet, quod opus*: tum Principibus iuxta decorus & maximé neceſſarius. Qui enim magnificentia, munificentia,

liberalitas, & cæteræ regiæ virtutes fulgebunt, niſi ab amplis ſuſtententur opibus? Magnificé hoc Pindarus

ἀεὶ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι Olymp od 5.
πόνος δαπάνα τε
μάρναται πρὸς
ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον
Pugnat labori magna opulentia
Coniuncta pro te, O celſa virtus,
Periculoſæ plenum opus aleæ.

Quî autem Principum *maieſtas, quæ eſt fulchrum Imperiorum, & ſalutis tutela,* ſi Liuium audimus, *tuta ſinè viribus eſſe poteſt?* Cæſar dictitabat *δύο τὰ εἶναι τὰ τὰς δυναστείας σκευάζοντα, καὶ φυλάσσοντα, καὶ ἐπαύξοντα, στρατιώτας καὶ χρήματα; duo eſſe, quæ Principatus comparent, ſeruent, augeant, milites ſcilicet & pecuniam* Curt l 8. lib 11 apud Dio. lib 42.

Diuina ſiquidem *humanaq; pulchris* Horat 2 ſerm.
Diuitijs parent.

Quarum profectò quanta copiâ potentiſſimus Princeps diuino munere abundarit, hæ: ſunt luculentiſſima documenta, quod per hæc calamitoſa tempora vicinis regionibus miſere afflictis & attritis non ſolùm relictum à maioribus imperium iuſtitiâ, & opibus ſuis fretus tutatus eſt; ſed etiam fines eius longé lateque amplificauit, & quod, ſi legitimum annuumque tritici, vini, argenti, pecoris, & cæterarum rerum, quarum vſu carere non poſſumus, cenſum à maioribus ſibi relictum ſpectemus (vectigalium & tributorum nullâ ratione habitâ) is ſane domanium opulentiſſimorum Regum, ſi non ſuperat, certè propé exæquat, & quod in ſuâ ditione numeroſæ iacent vrbes, atque arces, cùm amœnæ & ſalubres, tùm à naturâ munitæ, atque omni armorum genere inſtructæ, in quibus ſalubriter, iucundé, commodè, tutoque degere illi liceat. Mitto alta, amplaq;, & magnifica Palatia, atq; in ijs Attalicas veſtes, conopea, periſtromata, aulæa babylonica, quibus vniuerſa Europa non videt ſuperbiora & illuſtriora, nec non reliquã omnem aliã ſtragulam veſtẽ ſplendidam. Taceo vasa omnis generis argento ſolido, auroque conflata, gemmas, monilia, atque multam & lautam & magnificam ſuppellectilem, regiæ gazæ per bella attritæ ſubſidiariam. Ad quæ ſi ſuorum ſubditorum opulentiam, & ſoli vbertatem, propriæ eius felicitatis tanquam partem adiiciamus, habere certè illum firmiſſima apud ſe præſidia fatendũ eſt, quibus ſaluti ſuæ, ſuorũ q; cõſulere poſſit, nec alienæ tutelæ egere, in hoc vno ſi dijs placet, infortunatus, quod tã proſpera fortuna & inuidiâ,

quæ ſicuti pleraq́, mortalium habentur, ex opulentia oriri ſolet) non poteſt vacare, & non paucorum malorum contagione domi laborare, ſiquidem, vt ferrum facilè ad rixas, aut pugnam irritat, ſic ad vitia opes. *ſecundæ res ſapientium animos fatigant, nedum vulgarium. Poſtquam enim diuitiæ honori eſſe cæperunt, & eas gloria, imperium, potentia ſequi, hebeſcere tùm virtus, pauperies probro, innocentia pro maleuolentia ſimul haberi cæpit.* Quanta autem ſoli huiuſce ſit fœcunditas, & oppidorum atque vicorum innumerabilis & populoſa multitudo ſatis teſtatur, cui ſuſtentandæ non niſi vber ſolum poteſt ſufficere; & vos ô vicini teſtes appello, qui ſingulis annis hanc terram tanquam alumnam veſtram magnifacitis, & colitis vt debetis; ipſi raro aut nunquam leuandæ eius annonæ caritati vicarium beneficium rependere fatigati. Vt iuuat videre late patentes Lotharingiæ campos flauæ Cereris donis lætos, & onuſtos? vt iuuat adlambere colles purpureo varios colore, & gratiorem ſpirantes cælo pretioſi ſucci Bacchicj odorem? Vt iuuat in latis paſcuis videre errantes boues? vt iuuat aſpera collium ſerpillo, thymoq; gratiſſimo lanigeræ pecudi pabulo virentia percurrere? vt iuuat denſa ſyluarum glandiferarum, & ardua picearum atq; abietum, laquearibus præſtantis materiæ, luſtrare? vt iuuat celebrem vatum carminibus Moſellam, Moſam, cæteraq; fluenta, & ſupra viginti quatuor circumſpaciari, aut Lyndriæ, cæterorumq; lacuum ripas perambulare, atq; piſcium omnis generis greges in tuas, ô Germania finitima, menſas venturos venarier? Mare omnium mundi partium fœcundiſſimũ eſſe admirabilis rerum, quæ in eo generãtur, varietas arguit: at profectò hâc fœcunditatis laude nequaquam Lyndria, piſculentiſſimus toto orbe lacus, ceſſerit. Triennio quidem piſcatus ibi celebratur, ſed is cum à ſeptembri ad Aprilem perduret, ſingulis diebus totius ſeptimeſtris bis terue, immenſum rete iacitur, capturaq; iactùs cuiuſq; tam nobilium piſcium, Luciorum, Percarũ, Cyprinorum (qui ſpeciatim ſquamis raris latiſq;, & ſpeculi ad inſtar ſplendentibus ac collucentibus nitent) & aliorum id genus; quam viliorum tanta eſt, quantam triginta homines quanquam robuſti è medio Lacu ad ripam trahere valeant, & trecenti equi vehere. Videre eſt illic piſcium greges eo numero confertos, vt non maiore halecces in mari conglobentur, aut remoræ, quæ olim occultâ quâdam vi naues ſiſtere creditæ ſunt: ſed obſeruatione recentiorum agmine potius conferto, denſiſſimoq; cuneo perexiguum alias piſciculum id præſtare, & ſe ſe nauium curſui obijcere, eumq, retardare compertum eſt. Videre eſt ad hoc forum piſcarium celeberrimum vniuerſam Alſatiam, & magnum Germaniæ tractũ vel quadraginta

Salluſt.

leucis

leucis germanicis diſiunctum quotidie confluere, & coemptos piſces ſale condire, conditoſq; domum reportare,& in annum recondere, ſeu gratum vitæ ſubſidium. Nam quid inexhauſtos ſalis fontes non ſolùm noſtras, ſed externas menſas à nobis etiam longo interuallo diſſitas conditurosꝫaut ſalubres balneas Plumbarias Galliæ, Germaniæq; notiſſimas celebrem? Quid latomias quadrato lapide aut ſciſſili, eóq; perpetuo refertas,aut marmoris varij, alabaſtritæ et iaſpidis venas, aut onyches,achatas,carbũculos carchedonios, & baccas ceu vniones in fluentis Volonæ, & Nuni abũdantes propè ad lumen Orientalium accedentes referam?Quid auri,argenti, ferri, cæterorumq; metallorum fodinas,aut azurri, ceu laſuli, aliarumq; minerarum ſtagnantes in uiſceribus terræ venas enumerem?Quid culta viridaria, amænos hortos,feliciaq; arboreta deſcribam?Deniq; quid copiam papyri,telæ omnis generis, vitri varij,atq; ſpeculorum connexorũ, quæ omnia à Lotharingia vniuerſa mutuatur Europa, memorem? Equidem cum feracitatem ſoli cum amœnitate certantem attendo, videtur mihi natura omnes opportunitates in eo tanquam in epitome mundi congeſſiſſe liberaliter. Affatim quippè omnium rerum, quas aut natura ipſa ſeu ad victum, ſeu ad veſtitũ aut ad tegumẽtum, ſeu etiam ad delicias deſiderat,&ita affatim, vt opulentia negligentiam incolarum plerùmq; tolerare poſſit,& vicinorum annonæ gratificari. Nulla quamuis exigua toto ſolo vel gleba infructuoſa & arida, nulla ſaltibus importuna, nulla arenis ſquallida,nulla ſtagnantibus aquis limoſa mihi ſæpè per vniuerſam terram peragranti,& intẽto, non ſine admiratione occurrit;ac quod fidem omnem ſuperare videtur,cum

Non omnis ferat omnia tellus,

vel in quouis eius angulo, & diſtricto omnigena rerum varietas eſt obſeruata.Teſtis tu mihi polydædalum Pontis confine ſolum,in quo intra tertium ferè ab vrbe lapidem tot plantarum, & ſtirpium, quibus ſingulis aliàs ſua eſt,& familiaris ſoli indoles,genera perlegere licet,quot à Dodonæis & Cluſiis totâ Europâ videri contigit. Ex qua profectò vbertate agri quanta commerciorum cum finitimis commoditas emanet,quantaq; argenti vis aliundè hûc importetur, non eſt neceſſe dicere;quæ tamen opes ſunt ipſius potentiæ ad propriam cuiuſq; Principis tutelam, & externarum iniuriarum depulſionem neceſſariæ fulcra & columnæ,ſiquidem verè magni viri Νεῦρα τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα εἶναι, *neruos Imperij pecuniam eſſe* ſcripſerun: *Et nihil tàm munitum quod non expugnari pecuniâ poſſit, & nihil tàm infirmum, quod non eâdem propugnari* ex oraculo, Cicer. In Ver.

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα νικήσεις,
Haſtis pugna argentatis, atq. omnia vinces.

Et ſanè ſi & exercitus externi magnâ ex parte hîc per tot annorum & bellorum ſeries alti & ſuſtentati argentum inſuper noſtrum hinc ad ſuos non deportaſſent, & poſt acquiſitâ pace, rerum exoticarum, & alioqui ludicrarum, ac minimè ad bene viuendum neceſſariarum, coēptioni quotidianæ noſtra luxuria peperciſſet, atq; modeſtiæ hactenus aliquem poſuiſſet modum, aedium, ita me Deus amet, noſtrarum poſtes, atriaque argento & auro tota collùcerent. Sed quid immoror in re minimè dubiâ, ac felicioris & inuidendæ fortunæ parùm neceſſaria laude; cuius fama adeò apud nationes exteras crebra, & conſtans, vt non ſolùm operas & artifices varijs, & ante incognitis artibus præcellen es, ſed iam olim, & hodie plures, claro & nobili genere ex Italiâ, Germaniâ, & Galliâ maximè Ciſalpinâ ad migrandum hûc, ſuarumque fortunarum domicilium conſtituendum pellexerit, & patriæ, atque indigenæ nobilitati, inſeuerit? Hîc mihi quiſquam auguſtos Imperij fines, & cancellos obtrudit? quaſi verò *fortunam veluti tunicam magis concinnā probare, quam longā; & laudare quidem ingentia rura, exiguū autem c. lere* non moneant prudentes œconomi. *magna ſeruitus eſt magna fortuna.*

Appule In ape · *Virg in georg.* · *Senec lib. de conſ ad polib* · *Pind Pyth od 11.*

θεόθεν ἐραίμαν καλῶν
δυνατὰ μαιόμενος ἐν ἁλικίᾳ.
τῶν γὰρ ἀνὰ πόλιν εὑρίσκων
τὰ μέσα μακροτέρῳ σὺν
ὄλβῳ τεθαλότα, μέμ-
φομ' αἶσαν τυραννίδων (:)
ξυναῖσι δ' ἀμφ' ἀρεταῖς
τέταμαι.

Negata tantùm ſceptra merentibus
Sed pulchra quæ ſunt nec nimis ardua,
Optare tutum: cùmq. magnis
In populis moderata ducat,
Sola & bonorum temperies data (:)
Parcente fato munera porrigat
Longos in annos non ſuperbis
Inuidro diadema regnis
Contentus æquâ ſorte potentia
Ciuilis:

Tacit lib de mor gen.

Hîc mihi etiam quiſquam *naturam mortalium auidam Imperij, & inter impotentes ac validos falsò quieſci poſſe, obtendit, atque vbi ma-*

nu agitur, modeſtiam ac probitatem nomina ſuperioris eſſe nullo æuo deeſſe *Velleius in pat lib xi*
raptores alienæ libertatis lupos, deniq; *non ignauia magna Imperia contineri,* *Tac 15. annal*
ſed virorum armorumq́; faciendum certamen contendit: Quæ enim metus
externæ iniuriæ cauſſæ magnanimum Principem percellere poterãt,
cui, & domi non mediocres vires, & foris tàm firma præſidia in ami-
corum & fœderatorum potentiâ, & ſemper fortunâ, *quæ in omni re* *Salluſt.*
dominatur, fauens extiterat & propitia, nam Inquilina inprimis gens
populoſa ſuprà fidem, & in eâ cum nobilitas pollẽs viribus animi, &
corporis, ſtudijſq; aſperrima belli, tùm plebs reliqua naturâ ferox,
patiens laboris, non luxu aut inertiâ corrupta, neq; inſolẽs & inexper- *ampr lib. 3.*
ta belli. *Quis autem prouocare audeat, aut facere iniuriam ei regno, aut po*
pulo, quem intelligit expeditum, atq́; promptum ad vindicandum? Terra
autem ipſa firmiſſimis, tùm à natura, tùm ab arte munimentis vndiq;
circunſepta; præter namq; aſperos montes, & ad acceſſum importu-
nos, vndequàq; arces, vrbeſq; munitiſſimæ, & omni armorũ genere
inſtructiſſimæ circumuallant, aditumque omnem intercludunt. In
meditullio autem ſtat inexpugnabile Nancæum, quod omnes poten
tiores monet fortis Pyrrhi illius Burgũdi ingentis animi Principis,
nouâ ſiti ad alia, aliaq; properantis, *qui cautis quam acrioribus conſilijs* *Tac ij. Ann.*
potentiam tutiùs haberi ignarus, cum inferre alijs pericula vellet, non cauit
ſibi. Tàm arctæ autem familiæ Lotharenæ cum potentiſſimis totâ Eu
ropâ Regibus, & maximis Italiæ, Germaniæq; Principibus, atq; Helu
etiorum fortiſſima gẽte neceſſitudines fœderaq; interceſſerunt, vt à
quo metuendum illi fuerit, haud facile eſſet reperire; vel ſi forte ex
illi affinibus cuiquam in mentem veniſſet, tàm dira regnandi cupido,
vt ius cognationis, amicitiæue, aut confœderationis regni cauſſa vio
lare tentaſſet (apage autem, vt aliquid tale de humaniſſimis, pruden
tiſſimisq; Principibus ſuſpicemur) quidaliud tàm nefario auſu ſpera-
mus Pyrrhum illum fuiſſe conſecuturũ, quàm quòd in tantâ animorũ
ergà optimum Principẽ egregiâ conſtanriq; cõiunctione, vniuerſam
in ſe, ſuamq; perniciẽ Europã armauiſſet. Poſtremò cum *maxima quæq́;* *Senec. de bre.*
bona ſollicita ſint, & aliâ felicitate ad tuẽdam felicitatem opus ſit, neq; for- *vit. 17.*
tuna ipſa authoritatis haud vana cõciliatrix, ſiquidẽ & Poëtæ monito

Vt quisq́; fortunâ vtitur, ita præcellere, *Plaut.*
Atq́; exinde ſapere eum omnes dicimus.

Fortuna, inquam, non defuit fortunatiſſimo Principi, ſed ei ad ampli-
tudinem & gloriam, & ad res magnas benè gerendas diuinitus ad-
iuncta ſemper viſa eſt. Cuius fauoris ſingularis quæ clariora argu-
menta eſſe poſſunt, quàm vindicata à totius Europæ conflagratione
patria? tot vi & armis receptæ ab hoſtibus vrbes, arceſq; conſtanti

fama inexpugnabiles tùm ipſo Imperatore, tùm auſpicijs generoſiſſimi Filij, & tantâ cum celeritate & fauentia fortunæ, vt hoc Cæſarianum ſibi non iniuriâ tribuere poſſet, *Veni, vidi vici.* Ac quanquam

Senec. de breu. vit. Velleı. lib. II. Curt. lib. 4. Senec. de breui vit.

nulli fortunæ minus bené quam optimæ creditur, eaq; inter ipſa beneficia metuenda pro ſua natiuâ inconſtantiâ, quos diu proſecuta eſt, repenté veluti fatigata deſtitucre ſoleat, quibuſq; aſpirare viſa eſt, ad vltimum temeritati raró ſufficiat, & quod altius ſurexit, opportunum eſt in occaſum, nihilo minus tamen ad vltimum vſq; vitæ ſpiritum rebus in omnibus fauentem, & propitiam fortunam felix Princeps eſt expertus, *eádemque comite, ſed duce virtute* ſuum regnum florentiſſimum & opulentiſſimum retinuit vſq; ad annum Clymactericum (*pericula enim vitæ, fortunarumq; hominum, Clymacteras Chaldæi appellant, grauiſſima quæq; fieri, ſeptenarijs affirmat* Varro togatorum doctiſſimus. Atq; hanc Eutychiam Principis haud equidem temere interpretor gratiam præſentis Diuini Numinis, meritaq; tot & tantorum auorum ſanctimoniâ vitæ, & pietate clarorum veluti Deorum Tutelarium, quos auxilio, conſilioq; præſentes ſemper Pio Nepoti adfuiſſe, certò, vt debemus, credimus.

Pind. Nem. od. 8.

σὺν θεῷ γάρ τοι φυτευθεὶς
ὄλβος ἀνθρώποισι παρμονώτερος,
Diuûm ſatu conceſſa beatitas
Aſſurgit æternùm ſpecioſior.

Atq; hæc ſatis ſuperq; multa de potentiâ, omniq; externâ aliâ felicitate, quæ ſiuè naturæ, ſiué fortunæ benignitate feliciſſimo Principi obtigit. Reſtat igitur vt ad ſolidiorem illam, & præſtantiorem, cuius ipſe ſibi faber extitit, tranſeamus. Ego enim vnà cum ſapiente illo

Xenoph. de Cyr. exped. lib. 7.

nullas opes viro ac præſertim Principi pulchriores, honeſtioreſq; ſentio, quam virtutem & iuſtitiam. Ἐγὼ δ᾽ οὐδὲν νομίζω γε ἀνδρὶ, ἄλλως τε καὶ ἄρχοντι κάλλιον εἶναι κτῆμα οὐδὲ λαμπρότερον ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης.

CORONA QVERNA,

ſeu de ſeminibus virtutum.

A D

MARGARETAM GONZAGAM SERENISSIMAM LOTHARING. DVCEM.

O GRATA Diuis, grataq; Regibus
Aſſume dilectam, ô Erato, Lyram.
Hymniſq; diuinis ſororum
Et fidibus ſocia canoris (:)
Clari lepores eloquij, melos
Et dulce laudum Principis inclyti,
Qui ſtirpis altæ, nobiliſq;
Magnanimûm Lotharûm propago
Illuſtris, altæ vi ſapientiæ
Nupèr beatæ arua Lothringiæ (:)
Vmbrâq; iuſti, virgulâq;
Imperij recreauit, auxit.
Nam quæ dolorem vox queat aſperum
Lenire, vel deſiderium ſui,
Cœlum petendo quod reliquit (:)
Nobilibus, populoq; Princeps
Mollire, quàm quæ fulget honoribus
Intaminatis, ac meritis parem

(Obſtrinxit olim queis benigné,
Vita quoad ſuperauit, omnes)
Laudem rependens, rara nepotibus
Exempla virtutum exprimit omnium
(Commune freti queîs iuuare
Vſq; bonum valeant, & vſq;?
Qualem viator feſſus itinere
Longo ſoporem membra ſub arbuto
Stratus capeſſit, vel virenti in
Gramine, nec meminit laborum:
Tantum doloris ſenſerit anxij,
Chari Parentis quem dedit orbitas,
Lenimen, vnà & mentis ægræ
Dulcè ſoporiferam medelam
Auguſta proles, ô, tua, CAROLE,
Illecta grato murmure carminum
Hymnos recentes, & decora
Facta, pereximiasq; dotes;
Et mentis altæ, & corporis egregi,
Felicitatem & rité canentium
Raram, potentiſq; inuidendam
Faſcibus Imperij atq; ſceptris
Regum ſuperbis; ſcilicet & tuis
Curis ſopitis carmine Narcio
Frontis reſumes & nitorem
Atq; decus, lachrymæ & faceſſent,
(O *Regiarum, ô, vnio lacteùm*
Fulgens puellarum: ô maris vnio

Dilecte

Dilecte Thuſci, Mintijq́,
Vnio candidus & Moſellæ)
Hymnum tuis quando accinet auribus
Doctis, Amores Muſa potens nouos
Spirare, ſemper-colendi
Elogium ſoceri celebre.
Ergò CORONÆ, *quam dea Principi*
Vis dedicatam Muſa perinclyto,
Euolue textas inuolucro
Perpetuas, ſolidasq́ laudes.
ERATO. Quid læta maius, quid celebrem prius
Factis decoris Principis egregi,
Qui templa diuinis Camænis
Conſtituit Lotharis in oris?
Cuinam obſequendi quam tibi promptiùs
Maior voluptas, ſeu ratio iubet
O rara Princeps MARGARETA,
Præſidiumq́, decuſq́ noſtrum?
Qualem miniſtrum fulminis alitem, *Horat.*
Cui Rex Deorum regnum in aues vagas
Permiſit, expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flauo,
Olim iuuentus, & patrius vigor
Nido laborum perpulit inſcium,
Verniq́, iam nimbis remotis
Inſolidos docuere niſus
Venti pauentem; non in ouilia
Demiſit hoſtem viuidus impetus,

Nunc

Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atq; pugnæ:
Qualemuè lætis caprea paſcuis
Intenta fuluæ matris ab vbere
Iam lacte depulſum leonem
Dente nouo peritura vidit:
Videre luxus fœnebris, aleæ
Ludus nocens, laſciuia & aulica;
Vidit meretrix, inſtitorq;
Dedecorum pretioſus, atq;
Turba obſoletûm, lenoq; perfidus;
Omnisq; vidit ſtulta proteruitas.
Te, ô CARLE, *luctantem pudore*
Ingenuo, vel amore recti,
Virtutis & deſiderio arduæ,
Summi timore & numinis, aulicas
Vix vix ephebum diſſipantem
Quisquilias, & inane vulgi.
Te vidit error, bellua centiceps,
Et vidit olim multiuaga hæreſis
Fidum clientem, vindicemq́;
Relligionis amantem auitæ.
Diræq; peſtes, ſæuum Erebi genus,
Paſſimq; graſſantes furiæ, & diu
Lateq; victrices cateruæ
Conſilijs iuuenis reuictæ
Senſere quid mens, ritè quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus

Poſſet

Poſſet, quid & natiua virtus
In puero generoſa poſſet.
Nimirum honeſti mentibus inſita
Et fuſa Patrum è ſemine ſemina
Ætate primâ ſuauè florent,
Mirificos pariuntq; fructus,
Doctrina ſi vim promouet inſitam,
Rectiq; cultus pectora roborant:
Vtcunq; defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Miratur his te ſeminibus grauem
*Plenamq́; magnus (*MARGARIS *inclyta)*
HENRICVS, *ardet, ſuſpicitq;*
Dimidium, te, animæ, decusq́;.
Prudens, futuri & præſcia mens tibi
Adhuc puellæ, grandiloqua, & cata,
Tantùm loquelæ nec paternæ
Lingua perita tibi, ſed eius
Seu priſca quem gens Romula nouerat,
Seu quem loquutur, qui Rhodanũ bibunt,
Rheniue potis, Danubīue
Ora rigant ſitientia vndis.
Quin tu ſagacis, quas dedit ingenī.
Natura dotes, excolis artibus
Claris, & vſu temperato
Imperÿ ſatagens negoti-
a, Ex parte curas, quas tibi diuidit
Tanquam peracris gymnaſium ingenī,

HENRICVS, & committit vltrò
Judicio, fideiq́ nota,
Aſſumis. Indulgere laboribus,
Gratum & puellis effugere otium,
Ludum, & ſoporem, totq́ praua
Poſt habuiſſe iuuat venena, (:)
Illiberalis forma quibus ſolet
Fucarier. Fas, ô, ſi homini foret
Intaminati fas decoris
Ferre oculis radios micantes
Virtutis almæ, gratiam & vnicam, (:)
Quis non in amplexus rueret ſuos,
Et virgini iret dedicatum
Sponte lubenſq́ ſuos amores?
Clara ergò Princeps, dum meditor ſuis
Iuſtis deinceps pingere lineis
Virtutis illuſtrem, decoris (:)
Laudibus & ſpeciem beare;
Alteq́ menti Principis ingenu-
i Infixa in annis vel iuuenilibus (:)
Virtutis immaturioris
Semina dum decorare tento
QVERNA hac coronâ, quam tibi nunc fero
Sacroq́, ades læta, auribus & faue
MVSÆ benignis, admoueri (:)
Vſq́ nouas patiens, & vſq́
Ardentibus deſiderijs faces
Virtutis; hanc & ſenſim adoleſcere,

Fructusq; dignos Mantuano
Nomine ferre, tuis ſalubres.

HOmini in ampliſſimo earum rerum omnium, quarum vſu atq; fructu corpus eius caducum, & perenni ſubſtantiæ effluuio obnoxium continenter reparatur & conſeruatur, veluti emporio & mercatu degenti, atq; dominium in caſdem ſingulari Summi Creatoris beneficio obtinenti ſapienter à naturâ inditæ ſunt facultates, quibus ſalutares à noxijs diſcerneret; & ad illarum amplexum, harumq; fugam moueretur, Quæ facultates cum arcto neceſſitudinis vinculo ſunt inter ſe colligatæ, ab eodem quippe deriuatæ principio vitali, animam vnuſquiſq; (credo) intelligit, & in vnum finem, ſalutem ſcilicet hominis conſpirantes, non niſi mutuâ vigere, & vegere operâ poſſunt; appetitricem namq; ac motricem per ſe cæcas à cognoſcente, & iudicatrice regi, atq; duci neceſſe eſt; & viciſſim vana futura eſt hæc niſi illis, quæ bonum præuiſum & approbatum comprehendere, aut malum auerſari valeant, ſit accincta: tum verò admirabili illæ cum ordine & modo ſui muneris functionem ſingulæ abſoluunt. Nam vt de ſenſu loquar, non ſolum ex omnibus ijs rebus ſenſibilibus, quibus vtimur fruimurq;, ſenſui modò, vti decet, obuerſis, ſpecies quædam earum ſeu ſimulacrum, quà quà medium exporrigitur, accommodatum effluit, & veluti ſine ſenſu momento in ſenſum illabitur: quâ ſpecie anima tincta & imbuta penitus, non ſolum rei ipſi, à quâ illa ſpecies defluxit, aſſimilatur, cognitioneq; eius illuſtratur atq; perficitur; ſed pro conſenſione & ſympatheia, aut contrarietate, ſeu diſpatheiâ, quæ animæ cum obiecto à naturâ intercedit, hæc ipſa vel iucundo ſenſu voluptatis perfunditur, vel acri dolore pungitur; ex quibus amor non mediocris erga res nobis amicas & ſalutares in animis noſtris excitatur, vel contrà odium in aduerſas & infeſtas: quibus tanquam ſtimulis quibuſdam ad illas impellitur, ab his retrahitur. Hæ ſunt veluti flammæ, à quibus ardens animus ruit medios in amplexus earum, aut refugit quantum in ſe eſt. Hi ſunt fontes à quibus, vt præcipiunt duo philoſophiæ ocelli Plato & Ariſtoteles, *qui haurit vnde, quando, quantumq; decet, beatus & eſt, & dicitur; qui autem contrà non niſi imprudenter, & importunè haurit, is om-*

nino infelix viuit. Hi deniq; ſunt comites, imò duces vitæ noſtræ: etenim ad obiectum ſalutare, atq; naturæ noſtræ amicum anima conuerſa non ſine voluptate quâdam illud conſiderat, & partim in eo amplexu imaginario gaudet in ſe, partim de eius abſentiâ & priuatitione dolet atq; angitur; vnaq; eius in ipſo eſſe naturali & corporeo potiundi deſiderio inflammatur, inflammataq; ſemel & eiuſdem voluptatis ſpe vberiori lactata, & metu reciprocante ſollicitata vſque & vſq; ad illud reſpirat, adnititur, omnemq; mouet lapidem, nec quieſcit vnquã quoad fuerit cupiti potita: quâ poſſeſſione tum demùm voluptatem veram, ſolidamq; percipit: deluſa autem fruſtrataq; eiuſdem fructu, inſanùm profectò angitur, & dolet acerrimè. Eadẽ verò animâ obiectum intuitâ infeſtum & inimicum non ſine aliquo doloris ſenſu, dici certè non poteſt quantum in eâ odium, quantaque conſequatur auerſatio, quæ ſpe omni faceſſente, & metu maioris doloris vrgente, ſubinde magis magiſq; excreſcit, & nullas inducias, aut quietem impartitur. Quid enim aliud ſunt formido illa, & libido ſeu ſpes, ſanguiſugæ humanæ, quàm doloris prope inſtantis, vel voluptatis conſecuturæ anticipata iudicia, & opiniones? Quid autem mirum ſi eæ preiudicatæ vt futuræ parem vim, atq; præſentes iam, in animis inclinandis & commouendis huc illuc habeant? Ex quibus euidens eſt voluptatem & dolorem eſſe illices, fomites, & aſſeclas earum animæ motionum, quæ perturbationes, & pathemata dicuntur, quæ ex voluptatis & doloris ſenſu in appetente facultate ſucceſcentes in rerum ipſarum (non imaginum duntaxat) ad nos pertinentium amore, odióue, ſeu inclinatione & auerſatione conſiſtunt, & vnico verſu à ſapiente Poëtâ comprehenduntur,

Virg 6 Aen.

Hinc metuunt, cupiuntq́, dolent, gaudentq́.

10. de legib.

Quò ſanè rectè Plato dixit, *voluptatem & dolorem eſſe duos conſiliarios contrarios & amentes vnicuiq́ noſtrûm datos, quibus adiungeretur futurorum timor, & confidentia.* Atqui quanquam ſumma capita ſeu initia earum animi motionum (in quouis enim motu principiũ, medium, finemq; notare eſt) ſint amor & odium; & finis, quo præſente motus ceſſat, nullus eſt præter voluptatem, & dolorem, quæ poſſeſſionem ſeu fruſtrationem obiecti conſequuntur, tamen progreſſio in ijs duplex reſpondet duplici generi bonorum: ſcilicet cum duæ res ſint inter ſe diuerſæ, anima & corpus, alia vtrumq; delectant afficiuntq; bona, eaq́; ſæpe inter ſe contraria; hinc duplex appetendi in nobis ingenita eſt facultas, quarum vna ἐπιθυμία, ſeu ἐπιθυμητικὸν dicta, prona eſt in bona corporis, cuiuſmodi ſunt quæcunq; ſiué tactus guſtuſue, aut reliquorum ſenſuum ſunt illecebræ, quæ ſunt prope innumera-

biles

biles;ſiuè inſtrumenta,quibus illæ parantur: eoq; appetitus voluptarius,aut quæſtuarius,ſeu auarus apud Platonem audit; altera θυμὸς ſeu θυμιτκὸν propendet in bona, quæ magis ad animum pertinent, cuius ſenſus ſunt honos,gloria,imperium,victoria;& quæ ad honorem,ſui cuſtodiam,iniuriæ depulſionem,aut bonorum compenſationem pertinent,nec non ipſum ſummum & æternum bonum, quo beatæ illæ mentes iu cœlo fruuntur; quæ ſcilicet ſiuè præterita, ſiuè futura,nec tam ſenſu, quàm iudicio,& ratione à nobis apprehendūtur. Nimirum,vt eſt diuinitus ſcriptum à ſapiente Romano, *homines etſi multis alijs tamen hoc vno à beſtijs plurimum differunt, quòd rationem habeant à naturâ mentemq; datam,& acrē,& vigentem,celerrimeq; multa ſimul agitantem,&,vt ita dicam ſagacem, quæ & cauſas rerum & conſecutiones videat,& ſimilitudinem transferat,& diſiuncta coniungat, & cum præſentibus futura copulet, omnemq; complectatur vitæ conſequentis ſtatum; eâdemq; ratione facit hominem hominum appetentem cumq; his naturâ & ſermone,& vſu congruentem,vt profectus a charitate domeſticorum ac ſuorum currat longius,& ſe implicet primùm ciuium,deinde omnium mortalium ſocietati,atq; vt ad Architam ſcripſit Plato,non ſibi ſe ſoli natum meminerit,ſed & ſuis,vt perexigua pars ei relinquatur. Eadem ratio habet in ſe quiddam amplum & magnificum ad imperandū magis quam ad parendum accommodum,omnia humana non tolerabilia ſolum,ſed & leuia ducens, altum quiddam,excelſum,nihil timens,nemini cedens,ſemper inuictum.* Cic. de finib. 2. Perturbationes igitur in nobis ſummæ ſunt θυμὸς,animoſitas, ſeu animi vigor;& ἐπιθυμία cupiditas. Quæ profectò quantùm in vniuerſâ humanæ vitæ moderatione momentum habeant ex eo eſt intelligere, quòd in incolumitatem noſtram & conſeruationem (quæ ex poſſeſſione earum rerum,quibus vita ſocietaſq; humana carere nequit, & noxiarum depulſione habetur) tanquam in finem referuntur. Enimuerò amor & odium tantas tamq; neceſſarias ciuili vitæ opportunitates importāt,vt ſine ijs nec rectè nec feliciter viuere, imò neq; ipſam humanitatem poſſimus retinere. Quid enim amabò animis noſtris ſummam earum rerum,queis vita ſuſtinetur,ſollicitudinem, curam,prouidētiamq; imprimit,ſi non eſt ſalutis noſtræ amor? Quid homines ad arandum, ad tranſfretanda maria, ad terras alio ſole calentes perambulandas compellit,ſi non eſt amor habendi? Quid ad bene merendum,vigilandum,fortiter, ſtrenueq; agēdum pro ſalute publicâ nos inflammat,ſi non eſt amor gloriæ? Quid nos à vitijs turpibuſq; facinoribus reuocat, ſi non eſt amor virtutis, pudorq; vel timor ſeu infamiæ,ſeu ſupplicij & vindictæ?

Oderunt peccare boni virtutis amore, Horat. 2. ſerm.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Philoſophus nomine Peregrinus, cognomento Prothæus, *virum quidem ſapientem non peccaturum eſſe dicebat, etiamſi peccaſſe eum Dij atque homines ignoraturi forent, non enim pœnæ aut infamiæ metu non eſſe peccandum cenſebat; ſed iuſti honeſtiq; ſtudio & officio: ſi qui tamen non eſſent tali vel ingenio vel diſciplina prædìti, vti ſe vi ſua ac ſponte facile à peccando tenerent, eos omnes tunc peccare proclinius exiſtimabat, cum latere poſſe id peccatum putarent, impunitatemque ex latebrâ ſperarent. At ſi ſciant, inquit, homines nihil omnium rerum diutius poſſe celari, ſuppreſſius, prudentiuſq; peccabitur.* Quis non eum ſtipitem, atq; ex hominum cætu arcendum cenſeat, qui aut pulchritudine, & elegantiâ rerum formâ ac venuſtate egregiarũ non delectatur; aut ſceleratos nefarioſq; homines non odit, non abominatur & fugit· aut ſperanda non ſperat, aſpiratq;, & formidabilia nõ perhorreſcit? Quis vero mihi pro liberis, pro focis, pro amicis, pro patriâ pugnet, aut pericula generoſo adeat animo, aut arduum quid & præclarum facinus inſcipiat niſi ira fortitudini vires, animoſq; addat?

Virg. *Furor arma miniſtrat?*

In Tymæo. Præclare dixit Plato *vim in nobis iraſcendi ineſſe, quæ pro ratione aduerſum cupiditatem dimicaret.* Quis tot & tanta rerum diſcrimina euadat, (namq;

Horat. *Quid quiſq; vitet, nunquàm homini ſatis*
Cautum eſt in horas)

niſi timor cautelam adferat, vireſq; fugiendi?

Virg. *Timor addidit alas.*

Quis porro opem ferat afflictis, egentibus ſubueniat, aut languentibus medeatur niſi miſericordiâ perculſus? *Phocion.* *Nec è templo aræ, nec ex humanâ naturâ miſericordia tollenda eſt.* *Lib. 2. de legib.* Δύο γάρ ἐστιν, inquit Plato, τὰ τὴν νίκην ἀπεργαζόμενα, θάῤῥος μὲν πολεμίων, φίλων δὲ φόβος αἰσχύνης περὶ κακῆς: *duo ſunt, quæ victoriam pariant, aduerſus quidem hoſtes audacia, aduerſus amicos autem turpis infamiæ timor.* Quòd ſi perturbationes ſunt tot, & tantarum præclararum rerum incitamenta, tot & tantarum virtutum adiumenta, rationiſque firmamenta, præſidia, atque inſtrumenta; quibus ſeu ſecundis ventis in optatum finem ardenter ferimur, eumq; conſequimur cumulatè, atq; aſſecuto iucundè fruimur; faceſſant moroſi è Stoâ philoſophi cum ſuo ſupercilio, deſinãtq; obſtrepere eas prorſus euellẽdas, atq; eradicandas ſeu prauas, pernicioſas, præſtãtiaq; viri ſapientis & generoſi indignas, & tranquillitatis humanæ perturbatrices, atque mentis à ſuo recto fine auocatrices: & iniurioſé profectò, nec dicam impie, de pro-

uidentia

uidentiâ diuinâ, naturâque philoſophantes, cum hæc fidelis ſummi Numinis miniſtra, omnes diuinæ prouidentiæ compleat ordines, nihil fruſtrà temereq; faciat, ſed cuiq; animãti neceſſaria vtiliaq; tantum tribuat, ad eaq; inclinet, & iniqui in rationem, cuius ſatellites ipſi capite veluti minuunt; & plus ſatis ſibi confidentes, ſuiſq; virtutibus audaces. Quo iure cenſuram Coryphęi Stoæ Romanæ meruere: *Scio*, inquit Seneca, *inueniri quoſdam dura magis, quam fortis prudentia viros, qui negent doliturum eſſe ſapientem. Hi vero videntur nunquam in huiuſmodi caſum incidiſſe, alioqui extuliſſet illis fortuna ſuperbam ſapientiam, & ad confeſſionem veri eos etiam inuitos compuliſſet.* Quaſi vero ciuilis tranquillitas quæ non in otio, ſed in negotio, rectaq; actione poſita eſt, turbari ab ijs poſſit pathematis animi, ac non potius adiuuari mirificè, ſi modo ſeruant modum ſibi à naturâ conſtitutum. Nimirum eas non euellere, ſed moderari debet ratio, prudentiaq; humana diuinæ legi conſentanea. Sic autem temperatæ, incredibile dictu, quod pondus habeant ad beatam vitam ſiue priuatam, ſiue publicam. Nequaquam enim eæ datæ nobis tanquã conſiliarij aut duces; ſed tanquam auxiliarij pro explendis meliùs rationis mandatis. Magnifice Plato *vitam hominis currui comparabat, cui ſeu auriga & moderator ratio præeſſet, quemq; affectiones ac moderatæ perturbationes, & præſertim amor honeſti, atq; timor infamiæ tanquam equi in cælum deueherent.* Vnde & Homerum commendauit, qui virum etiam prudentem iraſci aſſeruit, ita tamen, vt eius affectio dulcior ſit melle iugiter deſtillãre. Et Stoico Poëtæ dicitur

lib. de conſol. ad Polyb.

In Phadro.

Sperare infeſtis, metuere ſecundis
Alteram ſortem bene temperatum
Pectus.

Atque

Æquam rebus in arduis
Seruare mentem non ſecus in bonis
Ab inſolenti lætitiâ.

Quã de re Herodis Attici elegans, & grauis ediſſertatio habetur apud Aulum Gellium huiuſcemodi ſenſu, *quòd nullus vſquam homo, qui ſecundum naturam ſentiret, & ſaperet, affectionibus iſtis animi, quas πάθη appellabat, ægritudinis, cupiditatis, timoris, iræ, voluptatis carere, & vacare totis poſſet, & omnino non dolère. Atq; ſi poſſet etiã obniti, vt totis careret, non ex re id eſſe melius: quoniã langueret animus, & torperet affectionum quarundam adminiculis, vt neceſſariò plurimũ imperio priuatus. Dicebat enim ſenſus iſtos, motúſq; animi, qui cùm immoderatiores ſunt, vitia fiunt, innexos implicatoſq; eſſe vigoribus quibuſdam mentium, & alacritatibus. Ac propterea,*

lib. xix. c. xii.

terea, ſi omnino omnes eos imperitius conuellamus, periculum eſſe, ne eis adhærentes, bonas quoq́; & vtiles animi indoles amittamus. Moderandos eſſe igitur, & ſcitè conſiderateq́; purgādos cēſebat: vt ea tantùm, quæ aliena ſunt, contraque naturam viderentur, & cum pernicie agnata ſunt detrahantur: ne profectò id accidat, quod cuipiam Thracio incipienti & rudi in agro quem emerat procurando, veniſſe vſu fabula eſt: Homo Thracius, inquit, ex vltimâ barbariâ, ruris colendi inſolens, cùm in terras cultiores humanioris vitæ cupidine commigraſſet, fundum mercatus eſt, oleâ atq; vite conſitum: qui quia nihil admodum ſuper vite aut arbore colēdâ ſciret, videt fortè vicinum rubos latè atq́; altè obortas excidentem, fraxinos ad ſummum prope verticem deputantem, ſoboles vitium è radicibus caudicum ſuper terram fuſas reuellentem, ſtolones in pomis aut in oleis proceros atq; decerptos amputantem. Acceditq́; prope, & cur tantam ligni atq́; frondium cædem faceret, percontatus eſt. Et vicinus ita reſpondit: vt ager, inquit, purus, munduſq; fiat, eiuſq arbor atq; vitis fæcundior. Diſcedit ille à vicino, gratias agens & lætus, tanquam adeptus rei ruſticæ diſciplinam. Tum falcem ibi ac ſecurim capit, atq́; ibi homo miſer imperitus vites ſuas ſibi omnes & oleas detruncat: comaſq; arborum lætiſſimas, vberrimoſq; vitium palmites decidit: & fruteta atq; virgulta ſimul omnia pomis, frugibuſq; gignendis felicia, cum ſentibus, & rubis purificandi agri gratia conuellit, malâ mercede doctus audaciam, fiduciamq́; peccandi imitatione falsâ eruditus. Sic, inquit, iſti apathiæ ſectatores: qui videri se eſſe tranquillos, & intrepidos, & immobiles volunt, dum nihil cupiunt, nihil dolent, nihil iraſcuntur, nihil gaudēt: omnibus vehementioribus animi officijs amputatis, in corpore ignaua, & quaſi eneruata vita conſeneſcunt. Deniq; prudentiſſimus veritatis indagator Ariſtoteles *virtutem in more poſitam non dubitauit aſſerere, nihil aliud eſſe quàm perturbationum moderationem quamdam ac medium earum geometricum.* Quæ ſi vera ſunt, vt ſunt certè veriſſima, maximum in eo certamen ſuſcipiēdum eſt, ſummâq; contentione dimicandum, vt appetitum obtemperare doceamus rationi, & perturbationes animorum ſedatas habeamus. Quoties enim excuſſo & depulſo rationis iugo cupiditas quaſi ſeditioſus aliquis ac turbulentus ciuis faſces arripuit, mētemq; de ſua ſede contra ius faſq; deturbauit, quanta inquietudo animorum & anxietas, quantaq; perturbatio rerum, confuſioq; conſequatur, dici pro fectò non poteſt. In Ægeo mari ſub Arcturi occaſum tot non concitantur fluctus, quot in adminiſtratione vitæ noſtræ oboriuntur motus; nec Eurypus, aut Syrtes tam ſunt inſtabiles, quàm incertæ frequenteſq; commutationes conſiliorum & voluntatum:

Animus, vt ſcripſit Ennius,

Neſcit quid velit, nec domi, nos, nec militiæ ſumus,

Imus hinc huc illuc, cum illuc ventum eſt, ire illuc lubet.
Incerte errat animus, præter propter vitam viuitur.
Ita pleriq; ingenio ſumus, Terent.
Omnes noſtri noſmet pœnitet.

Sic nec quidem nobis contingit permanere in malo iam familiari. Aliud ex Sen. de bea. vit.
alio placet, vexatq; nos hoc quoq;, quòd iuditia noſtra non tantùm praua,
ſed etiam leuia ſunt. Fluctuamus, aliudq; ex alio comprahendimus, petita relinquimus, relicta repetimus: alternæ inter cupiditatem noſtram & pœnitentiam vices ſunt. Hinc querelæ adoleſcentium,

Sumnè ego miſer, qui nuſquam benè queo quieſcere,
Si domi ſum, foris eſt animus: ſi foris ſum, animus domi eſt. Plaut.
Ita mihi in pectore, ac in corde facit amor incendium.

Nempè
In culpâ eſt animus varijs æger perturbationib⁹, *qui ſe non effugit vnquã*, Horat.
& impotẽriſſimis ſeruit dominis, quæ neq; noctù neq; interdiù illum conſiſtere, & conquieſcere patiuntur; quæq; vitam inſipientium miſeram, acerbamq; reddunt, atq; eos in omnẽm ſcelerũ ac flagitiorum turpitudinem præcipites impellunt, nedum in errorem,

ἀίδε φρενῶν τεκμαρ καὶ Pind. ol. od. 6.
παρέπλαξαν καὶ σοφὸν,
Erroris & ſe, qui ſapit, damnat quoq;
Intemperantem mentis ob libidinem.

Alius, inquam, *libidini ſeruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori*: quæ certè ſeruitus, quæ captiuitas multo turpior, quàm quæ in Sen. ep 45.
bello cõtingit, proptereaquod huius crimen, culpamq; in ancipites belli caſus conferre poſſumus; illius dedecus noſmetipſi nobis comparamus, qui non repugnamus, non reſiſtimus, ac ne terga vertimus, ſed abiectis armis nefarij ſalutis noſtræ proditores nos præbemus conſtringẽdos voluptati: *nulla namq; ſeruitus turpior eſt*, inquit Seneca, Ib.
quam voluntaria. quanto ſcilicet animus præſtantior eſt corpore, nobis tãto animi ſeruitus debet eſſe ſeruitute corporis acerbior. *Nemo* Id. ep 93.
liber eſt qui corpori ſeruit. Nam vt alios dominos, quos nimia pro illo ſollicitudo inuenit tranſeas, ipſius moroſum imperium, delicatumq; eſt. Imo vero ſæuum & crudele. Quis hoſtis capitalior humano generi, aut infenſior cupiditate inteſtina? *Quis hoſtis*, inquit Seneca, *in quenquam tam* ep. 10.
contumelioſus fuit, quam in quoſdam voluptates ſuæ ſunt? quorum impotentiæ atq; inſanæ libidini ob hoc vnum non poſſis ignoſcere, quòd quæ fecere patiuntur. Sollicitudo nos in noſtrâ purpurâ verſat, & acerrimis excitat ſtimulis, ep 91.

ἀπροσίκτων δ᾽ ἐρώτων ὀξύτεραι μανίαι Pindar. Nem. od. x.

in omnia
Inconceſſa furor fertur acutior.

Senec. ep. 99. *Nihil eſt nec miſerius, nec ſtultius quam ſemper timere; quæ iſta dementia eſt malum ſuum antecedere? plus dolet quam neceſſe eſt, qui ante dolet quam neceſſe ſit. Eâdem infirmitate dolorem non æſtimat, quâ non expectat: eâdem intemperantiâ fingit ſibi perpetuam felicitatem, fingit ſibi creſcere debere quæcunq; contigerunt, non tantum durare; & oblitus fati, quo humana iactantur, ſibi vni fortuitorũ conſtantiam ſpondet.* Id ep. 5. *ſpem metus ſequitur, vtrũq; pendentis animi eſt, vtrumq; futuri expectatione ſolliciti; maxima vtriuſq; cauſa eſt, quòd non ad præſentia aptamur, ſed cogitationes in longinqua præmittimus. Itaq; prouidentia maximum bonum cõditionis humanæ in malum verſa eſt. Feræ pericula, quæ vident, fugiunt: cum effugere, ſecuræ ſunt.* Id ep. 13. *Nos & venturo torquemur, & præterito: multa bona noſtra nobis nocent, timoris enim tormentum memoria reducit, prouidẽtia anticipat. Nemò præſentibus miſer eſt: contra poteſt dici beatus qui nec cupit, nec timet beneficio rationis.* Quæ porrò ſeruitus pertinacior? nam qui hoſtiũ potiti ſunt, vel fugâ ſe ſubtrahere, vel pretio ſe redimere, vel aliquâ aliâ ratione ad ſuos ſe ſe recipere poſſunt: qui autẽ ſemel ſe cupiditatibus mancipañt, nunquam ad ſe redeunt, nec ijs vllũ eſt amplius poſtliminium. Serui porro aut cenſu, aut teſtamento, aut vindictâ ſæpe libertatẽ adipiſcuntur: ſtultos, inſanos, incõtinentes, auaros, ambitioſos, atq; improbos quis liberali cauſſa manu aſſeret? Et quanquã tranquillitatis animi curam ſuſq; deq; habeamus, tamen ad tutelam & incolumitatẽ huiuſce corporis (cuius deſiderium & ſolicitudo impenſa fatigat vniuersũ genus hominũ, ſed imprimis molle & voluptarium) nihil æquè confert atq; perturbationũ animi moderatio. veriſſimè enim à Poëtâ dictum.

Menand. *ἕλκουσι γὰρ οἱ καὶ νόσους δυσθυμίαι.*
Suas trahitq; mens ad ægritudines
vel corpus ipſum.

Enim verò cùm anima ſentiens in principibus reſidens membris, & ex ijs ſpiritu vitali ſeu vectore delata vniuerſum corpus gubernatura, modò huc modò illuc permeet, varioſq; ſubeat motus, alternantibus diuerſorum membrorum functionibus vim principiumque vitale exhibitura; amore quidem & cupidine obiecti ſibi familiaris & vtibilis præſentis adlecta, tota quanta eſt vti eo fruatur ſe ſe effundit ſponte in corporis ambitum ei vicinum, & ibi ſiſtit ſe quandiù ex fructu eius complexuq; voluptatem capit, moxq; cum ſatietas excipit, refert ſe ſuum in domiciliũ quò neceſſitas vocat. Eadem anima ex aduerſo perculſa rei alicuius formidoloſæ triſtiſq; præſentiâ recipit ſe refugitq; de ſubitò in præcordia ſeu in arcem & propu-

gnaculum

gnaculum,ibiq; ceu in tuto loco deliteſcit quandiù aut periculi metus euanuerit,aut ipſa animos audendi ſumpſerit; tum enim ardet cum inimico velut congredi,dimicare,atq; acceptam vindicare,aut imminentem amoliri iniuriam. Quos ſane animi motus ſpiritus ipſi vitales ſequuntur,ſiuè imperio animæ audientes ſiuè expreſſi amandatiq;,aut ſponte defluentes ab ipſis principibus membris ſeu fontibus (ſatis enim ſe produnt rubore,tumore corporis,& præſertim faciei,aut pallore,vel contrarijs affectionibus reciprocantibus) cum autem ipſi ingenio & natura ſint ignei,quid mirum illos non aliter, atq; ignem ipſum, varijs quidem ventilatos motibus, & conuerſionibus naturalibus modó ad humidum ceu pabulū,modò ad extra, ſalubritatem & puritatem ſuam retinere; & eorum quidē motuum altero deſtitutos, aut marceſſere & reſolui, aut fuliginum copiâ opprimi atq; ſuffocari,vel vtroq; aut alterutro intemperātius agitatos & flabellatos inflammari vel refrigerari & deperire; atq; inde functionum corporis omnium, ad quas perficiendas anima ſiuè calore ſpirituum vitalium vtitur (vti ad naturales coctionés) ſiue tenuitate ac perſpicuitate (vt ad ſenſus), noxam non mediocrem conſequi, morborumque iliadem', quos vel immatura, vel ſæpe ſubita ex improuisò mors excipiat. Ex quo Senecæ monitu hoc documentum præ oculis habeamus ſemper æquum eſt, *illud ſimul cogitemus ſi mundum ipſum non minus mortalem,quam nos ſimus, prouidentia Dei periculis eximi poſſe tamen aliquatenus noſtrâ quoq; prouidentiâ longiorem prorogari huic corpuſculo moram: ſi voluptates,quibus pars maior perit, potuerimus regere & conſeruare.* Atqui leuius ſanè damna in quemq; priuatum ab immoderatis perturbarionibus dimanare ſolita ferri poſſent, ſi ea in rempublicam quoq; minime redundarent. *cupiditates*, inquit Philoſophus etiam de grege Epicuri, *ſunt inſatiabiles, quæ non modò ſingulos homines ſed vniuerſas familias euertunt: totam etiam labefactant ſæpe rempub. Ex cupiditatibus odia, diſſidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcuntur. Nec hæ ſeſe ſolum foris iactant, nec tantum in alios eo impetu incurrunt, ſed intus etiam in animis incluſæ inter ſe diſſident atq; diſcordant, ex quo vitā amariſſimam neceſſe eſt effici, vt ſapiens ſolum amputata, circumciſaq; inanitate omni, & errore naturæ finibus contentus ſine ægritudine poſſit & ſine metu viuere.* Sed dicet hic aliquis, lepidus ſanè homo es, qui quod neceſſitatis natura nobis imponit iugum, id excutiamus, tam baſilice is imperatum! Quaſi in hominis ſiet poteſtate modum ijs ponere animorum motibus, moribuſq;, qui naturam ipſam noſtram atque temperiem primigeniam, quàm æquè facilè eſt atq; ſeipſum exuere, ſequuntur neceſſariò. πηγὰς

ep. 58. (margin)

apud M. Tul. 2. de finib. (margin)

temperamenti beneficio ad paternos mores, hoc eſt, optimos, & præclaras quaſq; actiones ſunt maxime idonei. Poſtremò, medico huic decreto, mores animi ſequi temperamentum corporis, ceu baſi innititur ars Phyſiognomonice, de quâ ſcientiarum Parens ſingularem librum ſcripſit, in eâq; excelluit Zopyrus quidam Cicerone referente, *quam qui colunt, profitentur hominum mores naturaſq; ex corpore, oculis, vultu, fronteq; prænoſcere.* Audio equidem lubens vocem optimorum præceptorum, fateorq; cum illis nobis eſſe inſita quædam à naturâ momenta, ſeu naturales facilitates ad certos mores; ſed imprimis eos mores non tam fluere à temperie, quàm ab animâ dico: diſertè enim Seneca. *Nulla ſine Deo mens bona eſt. ſemina in corporibus humanis diuina diſperſa ſunt, quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt & paria his ex quibus orta ſunt, ſurgunt: ſi malus, non aliter quam humus ſterilis ac paluſtris necat, ac deinde creat purgamēta pro frugibus.* Addo, etſi ij mores à temperie quâcunq; ratione pendent, eos neq; neceſſariò ſequi, ſed in noſtrâ eſſe poteſtate flectere eos, immutareq; & eis dominari conſtanter affirmo, accurateq; teneo. Enimuerò omnium Philoſophorum obſeruatione conſtat, cuiq; animanti à naturâ eſſe tributa ſuis natiuis moribus accommodata, aptaq; inſtrumenta. Viden vt Leo, Taurus, Aper ferociſſimæ animantes vngues, cornua, denteſq; validos oſtentent & exertos, innatæ ferociæ arma? Aſpicis vt equus generoſus, ſubdolus, calcitróq; & velox de iubâ, vngularumq; robore, & crurum magnitudine gloriatur? cernis demûm vt leporibus pauidis, & fugacibus artus ad celeritatem comparati armorum vicem gerunt? Taurus autem quia præacuta ſolidaq; habet cornua, ſit ne audax, an quia à natura ferox, valeat cornuum robore; lepuſq; pariter, an quia inermis, ſit meticuloſus, an cōtrà potius armis careat, quia pauidus ſit; omninoq; animalia omnia, taliane ſint à natura quia talia inſtrumenta habent, an potius talibus ſint inſtructa inſtrumentis, quia talibus moribus ſunt prædita, controuertitur. Anaxagoras quidem ea in hereſi fuit conditionem inſtrumentorum ſequi mores animorum ſimilium inter ſe, & ab illis hos diſcriminari: Galenus contrà moribus animæ inſitis aptari inſtrumenta corporis cenſuit. Verum etſi vtrumq; probabiliter dicitur, & rationi conſentaneè: quemadmodū namq; quilibet noſtrûm modò à natura audax & animi plenus, ſtatim ac laceſſitus intrepidè, atq; haud cunctanter diſtringit gladiū; viciſſimq; quiſquis ſe enſe accinctum circumſpicit, fit ſeipſo animoſior & audacior: ſic & hædulos, vituloſq; cernere eſt longè ante quàm cornua capitibus exorta ſint, quodam naturæ impetu exultare, & obuios é grege impetere, ac quaſi cornu, quod non

Ariſt.

habēt tamē ,ferire;eoſdē autem,vbi iam in tauros capraſq; euaſerunt, exectos ſpoliatoſq; cornibus ferociā exuere, diffidentiâ quâdam ex armorū priuatione in animos gliſcēte. Tamen opportunitatem armorū robur quidē addere moribus inſitis,non tamen facere,cum mores inſtrumētis præexiſtant,eſt vero admodū ſimilius. Quæ igitur diſcriminis tāti in moribus naturalib⁹ cauſa prior ipſis organis ſtatui poteſt niſi ipſa animarum diuerſitas? nimirum in animabus hæ quidem à naturâ audaces,agreſtes,feræ;illæ anguſtæ puſillæq;, & cicures, dociliq; ingenio; nonnullæ ſolitudinis amantes, illæ contubernij atque gregis. Atq; cum in quoq; viuente magna ſit diuerſarum animæ ſeu partium,ſeu graduum,ſeu facultatum conſpiratio, conſenſioq;, vt mutuò ſe ſe ad actiones,& paſſiones ſingulis proprias,& innatas promoueant atq; excitent; (quis enim neſcit,cum genitales in nobis partes ſemine turgent,imaginationem libidinoſis phantaſmatis prurire, & ſollicitari importuniùs nobis inuitis; viciſſimq;contra,ſi ob mollitiem morbumq; animi imaginatio in libidine volutatur, pudenda licet propé exucca euigilare,erigi,ac ſe ſe polluere?) nemini profectò mirum videri debet, ſi anima vegetans ſemini inſidens quæ ſuâ vi, ſeu potius directa à ſuperiore eâq; ſapientiſſimâ cauſſâ architectatur corpus,ceu ſuum domicilium,in quo vigeat deinceps,vt magnus loquitur Hippocrates,ad nutum ſentientis indiuiduæ comitis,& ſociæ effingat corpus huius moribus aptum & accommodatum,atq; modum vitali calori præſcribat ad exprimendam iuſtam congruamque moribus conformationem. Quæ conſenſio vtriuſq; animæ tanta eſt, vt non ſolum efformetur corpus ſimile , & quale requirit anima ſentiens ſecundum eſſe reale,& naturale, ſed ſecundum eſſe alienum & ſpirituale,hoc eſt ſecundum formam & ſpeciem in ipſo coitus venerei feruore conceptam animo,& imaginationi præſentem. Quod Apis ægyptiornm Deus,oueſq; Iacobi,& Heliodori Chariclea,atque Galeno celebrata mulier luculenter teſtantur. Ex quo ſanè mores naturales & propenſiones certas non fluere à temperie, eam tamen concomitari ſatis ſuperq; liquet. Apage enim bone alias Præceptor tecum ſentiamus eſſentiam vimq; omnem animæ in temperie eſſe ſitam. Tua equidem experimenta magnam eſſe propenſionum animæ naturalium connexionem cum temperie, hancq; illas ſequi, vt cauſam certe minus primariam, eamq; ordinatam ad animam tanquam cauſam principem ſcilicet,ſeu materiem,ſeu calcar,ſeu inſtrumentum (vtrum enim dixeris parua cautio eſt) me non reclamante euincunt, ſed vti adæquatam, aut potiorem nunquam cuiquam emunctæ naris perſuadebunt. Quippe cum & temperies metallis,

plantis,alijſq; id genus mixtis ſua ſit omnibus priua & ſingularis, quibus tamē perperā quis mores tribuerit:Et quod vitale eſt atq; à iudicio & cognitione perficitur,quales vtiq; sūt perturbationes ac mores, illud minimè profectò materię ſenſus & cognitionis expertem conſequi poſſit. Et deniq; quanquā arctior ſit affinitas hiſce propenſionibus nobis cū ipſâ temperie innatis, eam tamen neceſſariam & immutabilē ex hiſce conſtare nequit. Nimirum frequenti compertum eſt experientiâ rationē non ſolum pugnare cum propenſionibus tēperamento ipſi alioqui familiaribus ſed ſæpe numero dominari,eaſq; in contrariū emendare & reformare, vt in Socrate, in Stilpone Megarenſi euidens fuit. Quod ni eſſet, & ſolâ naturâ nobis mores competerent, ac non potius more & eſſuetudine (vnde mores dicuntur) compararentur, natura potius in nobis culpam ſeu crimen, vel laudem ab actionibus probis improbiſque ſuſtineret, non ipſi nos; nequidquam leges præmia, ac pœnas ſtatuerent; & philoſophia rectaque omnis inſtitutio vti ſuperuacaneæ haberentur. Enimuero ratio iudiciumque in eas imperium merum habet, liberaque hominis praelectio laudem, aut vituperium ijſdem præbet. Ex quo recte illud ab Euſtratio dictum, mores propriè ſoli homini conuenire, quia veri mores haud quaquam à ratione ſeiungi poſſunt. Nimirum cum in multis, tùm in hoc homines à cæteris animantibus differunt, quod hæ vnico appetitu reguntur quidem, quem natura ad certum genus rerum pronum certis quoq; temporum & modorum legibus coercuit atq; adſtrinxit, vt non tam ferri ac moueri ad eas ſponte, quàm ab ijs trahi, & huc illuc impelli ab illis; atq; non tam eiſdem vti, quàm neceſſitati naturæ parere videantur. Quod ſi quādoq;, quod etiā præſens eſt ipſæ deſpicere videntur, ac quaſi præſtantius, meliuſq; reputātes ad aliud conuerti, ne id quidem cum deliberatione faciunt, aut ex arbitrio; ſed quia ſubijt forte in memoriā terriculū vt verbera, aut inuitamentū, vt præda; quandoquidē & memoriâ præteritorū, & futurorū ſpe cōmouētur. At homo duplici appetitu, pariter & ſenſu viuit ac regitur, qui ambo in diuerſa & ſæpe in cōtraria pro pendēt. quis enim tam ſtipes, qui hanc pugnā in ſe nō per ſentiſcat? nā & bonus quidem bonū certé ſerioq; vult, à quo abhorreſcit tamē vt arduo ac difficili; malus verò malū ardenter concupiſcit, quod tamen, ſi ſecū penſitauerit, quodāmodo refugit. Quod eſt argumentū volūtatem quidē duplicem homini ineſſe, alterā à naturâ in bonum & honeſtū propenſā, alterā in delectabile & ſi ſit inhoneſtū: ij vero appetitus ita ſe habent vt alter alteri cedere poſſit, & liber fiet ſi velit. Experitur namq; vim in ſe quiſq; conſultādi, deliberādi, probandi, & eadē poſt im probādi,

aut contrà;mutandiq; conſilium habere,atq; agendi, non agendi facultatem:& frequenterſecum ipſum ita loqui,hoc ago,qui ſic volo, ſic placet;

Video meliora,proboq;.

Deteriora ſequor.

Scilicet libertas humani arbitrij ſeu facultas hominis,quâ de oppoſitis ad eius actiones pertinentibus ratiocinari, oppoſitaq; præeligere poteſt,atq;ſub communibus enunciationibus modò vnam modò alteram collocare,emanans à præſtantiori ſui parte ab omni materiæ concretione per naturam liberâ, eluceſcit mirifice per omnes ſui vires,atq;facultates eo ipſo ordine,quo hæ ad actionem ſecundum naturam conſpirant;in ratione quippe ceu radice, ac principio dirigente,& eminenti modo;in voluntate atq; appetitu,vt in exequēte ſeu vtente & principio proximo. Eo autem fini homini indita eſt libertas,partim vt in eâ pugnantium appetituum diſtractione certum quid ſtatuere,& præeligere poſſet, & ex ea perplexitate liberetur,ne ſemper diſcerpi,aut biceps animal eſſe videretur:partim vt qui cæterarum rerum eſſet dominus,is vſu illarum libero in arbitrio,poteſtate,manuq; ſuâ conſtituto, ac ſpontaneâ prælectione eius quod naturæ ſuæ congrueret,maieſtatem ſuam & dominium in eas præſeferret:partim deniq; vt ſuæ ipſius perfectionis homo opifex,ſuæ vitæ imperator in mente repurgādâ, & à contage & labe corporis vindicanda,atq; Deo aſſimilandâ præmium gratiamq; cùm apud populares,tum maxime apud ſummum & præpotentem vniuerſi moderatorem Deum mereretur;immortalis quippe & naturæ diuinæ à quâ hæc libertas manat particeps, diuinæ quoq; gloriæ, ad quam natus eſſet,aliquâ ex parte faber eſſe debuit. Hanc hominis libertatem Pythagorei non abſurdè per duplicem illam celebratam adeò virtutis, & vitij viam homini ſtatim ab ortu propoſitam expreſſerunt,cum vnicuiq; reuera liberum ſit,aut iudicij vi, & liberâ prælectione cohibere ac moderari appetitiones in nobis legi naturæ & rationi diſſentaneas;aut excuſſo contrà rationis imperio, effrenibus cupiditatibus tranſuerſùm nos agentibus ſe ſe permittere totos,iiſq;morem gerere.Enimuero is eſt ordo naturæ lege tot tamq; diuerſis in nobis facultatibus præſcriptus,vt rationis quidem partes, & propenſiones in decernendo, iudicando, imperandoq;;appetitus autem in obtēperando,ac exequendo,quod ratio decreuerit, ſint conſtitutæ. Atq; cum appetitus ſit duplex,eueniatq; ſæpe inter ſe pugnare,tum facultatis iraſcendi munus eſt,inclinatioq; naturalis ſtare pro partibus rationis,atq; inſurgere in ipſam cupiditatem,eamq; impugnare. Quò

ſane homo iure & ſui,& ſuarum actionum dominus ſtatuitur, cuius ſcilicet in manu eſt dominari,atq; ducere flectereq; quò velit propẽſiones natiuas libertate quadam regiâ minimeq; tyrannicâ, ſub imperio ſcilicet & iuſſu ipſius rationis : itaq; laudem,præmiumq;,& viciſſim dedecus,aut pœnam commereri,ſi hunc ordinem temere inuertat ſui oblitus officij,ſuæq; dignitatis immemor. Atqui tãto certè maiorem laudem quiſq; noſtrûm ex vitâ honeſtè & cum virtute actâ refert,quãtò per naturam ad vitia proclinior,quàm ad virtutem cernitur;atq; in dies eius mali fomes cum augetur in nobis,tum ad poſteritatem etiam tranſmittitur,

Omnes homines ſunt à naturâ procliues ad libidinem: Terent.
Ætasq́; parentum peior auis tulit Horat.
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Clament,licet,è Stoâ philoſophi nimiùm ſibi certè confidentes, ita tamen eſſe,nobis etiam tacentibus, res ipſa loquitur. Etenim quanquam meliore ſui parte homo ad bonum pronus ſiet ſimpliciter; viuit namq; partim mente & ratione,mens autẽ vt diuina, hoc eſt cœlo oriũda,atq; Dei ceu ſummi boni particula quædam & imago,non niſi ad bonum ſiue in actione,ſiue in contemplatione ſitum adſpirat, quæritq;non minus,*quàm cætera rerum naturalium genera ſiue animata, ſiue animæ expertia bonum ſuæ naturæ congruum appetunt ſingula*; partim etiam viuit arte, conſultatione, ac prælectione:*omnis autem ars, omnis methodus,omnis actio & prælectio bonum quærunt.* *Magnanimos nos natura produxit*,inquit Seneca, *& vt quibuſdam animalibus ferũ dedit, quibuſdam ſubdolum,quibuſdam pauidum,ita nobis generoſum & excelſum ſpiritum quærentem vbi honeſtiſſimè, non vbi tutiſſimè viuat,ſimillimumq́; mundo:quem quantum mortalibus paſſibus licet ſequitur æmulaturq́;.profert ſe laudari,& aſpici geſtit. Dominus omnium eſt, ſupra omnia eſt.Itaque nulli ſe rei ſubmittit,nihil illi videtur graue,nihil quod virum incuruet.* Apage enim,vt credamus naturam, quæ res omnes ad bonum finem dirigit,hominis delicij ſcilicet ſui,& præclari opificij curam non habuiſſe atq;,ſpreuiſſe,nedum ſemina peſtis,ac perniciei ei altiùs impreſiſſe inuſſiſſeq;,cum propenſionis ad virtutem hoc vel vnum argumentum clariſſimum ſit,deſiderium ſcientiæ vnicuiq; noſtrûm inſitum à naturâ:*omnes homines à naturâ ſcire deſiderant.Erras enim ſi exiſtimas nobiſcum vitia naſci,ſuperuenerunt,ingeſta ſunt:nulli nos vitio natura conciliat, illa liberos ac integros genuit,nihil quidem quod auaritiã noſtram irritaret poſuit in aperto.Pedibus aurum & argentum ſubiecit calcandumq́; ac premẽdum dedit,& quidquid eſt propter quod calcamur ac premimur. Illa*

Ariſt l.1.Eth. c 7.

Epiſt.105.

Arist 1. Meta
Senec.ep 95.

vultus noſtros erexit in cælum, & quidquid magnificum mirumq; fecerat, videri à ſuſpicientibus voluit. Quanquã igitur parti in homine præſtantiori reſpondens appetitus ad virtutẽ, bonumq; ſuâ naturâ propenſus eſt, tamen deterioris partis appetitus comes ad voluptarium bonũ, idq; rationis bono ſæpe aduerſum inclinat & fertur. Hinc pugna & lis exoritur in nobis continua, ratione ſcilicet à voluptatibus corporis, quas appetitus ſuadet, dehortãte quoad poteſt; & viciſſim illecebris ſenſuum nos ab honeſto & virtute, ad quæ ratio impellit, reuocantibus. Itàq; quoniam cum primũ atq; in hanc lucem venimus, incipimus vitam ſenſuum nobis cum belluis cõmunem viuere, quæ in paſtu tota feré eſt, qui ſenſus *voluptates corporis omnium vitiorum eſcam*, vt dicebat Plato, *intemperantiæq; omnis parentẽ*, pro obiecto optabiliq; bono habẽt, alioqui acerrimi in nobis, deinceps autem reliquâ ætate ſine ſenſibus ipſis nec eſſe, nec cognoſcere, aut agere quidquam valemus: Hinc euenit profectò vt ſenſuũ nos ad propriũ bonũ ceu delectabile & voluptariũ trahentium, atq; ab honeſto reuocantium aſſueti veluti imperio homines dicãtur & reuera ſint per naturã ad vitia proni atq; procliues, ex euentu ſcilicet ob connexionẽ duorum animæ graduum ſibi mutuò vt plurimùm aduerſantium. Fatuus enim ſim & cucurbita, ſi tantæ noſtræ imbecillitatis culpam aut in naturalem tẽperiem, aut in cœli malignos influxus, ſiderumq; cõuerſiones parùm beneuolas reijciam, cum non ſine graui contumeliâ in Deum noſtri creatorẽ & ſeruatorem beneficũ, aut Natura, aut Cœli malignitatis tãtæ in nos non poſſint accuſari. Et certe quotuſquiſq; eſt qui hanc in ſe pugnã ſenſuum cum ratione non quotidiè experiatur, non acerrimos identidẽ aculeos ad vitia incitantes perſentiat, quamq; facile in eadẽ præceps ſponté ruat, quàmue ægre ab iiſmet ſe ſe tẽperet? Quotusquiſq; eſt, qui non fateatur maximas ſibi in amplectendâ virtute, in arduis præclariſque, & honeſtis facinoribus & ſuſcipiendis & perficiendis moleſtias, atque difficultates deuorandas? Quis neſcit callem vitiorum quidem facilem ac lubricum; virtutis vero arduum & inacceſſum? *Maxima*, ait Syneſius, *ſine labore conſequi proprium diuinitatis eſt bonum, a nobis autem nedum virtutes, verum cetera quæq; preclara ſudore quæruntur.* Quò non mirũ ſi interrogatus Pythagoras, *quid veriſſimè omnium vulgò diceretur*, reſpõderit, *quòd homines mali ſunt.* Concludamus igitur cũ Poëtâ vetere Platonis elogio commendato, quod

Mortales vitium penitus labuntur in omne
Præcipites, quoniam facilis via ducit ad ipſum,
Hoc quia vel nobis iam tum naſcentibus hæret.

Quoniam igitur per facultates, & propenſiones nobis innatas ſumus

aptæ

apti nati ad varia vitæ genera, nec ad vnum duntaxat certum determinati, ad malum tamen potiùs quàm ad bonum inclinamus: dux autem vitæ mortalium animus eſt, cui incumbit & intelligentiæ vi quâdam bonũ à malo diſcriminare, & per voluntatem bonum ceu finem vltimũ velle; & conſultationis atq; prudentiæ munere idonea Inueſtigare & præeligere media, rectâq; quâcunq; in re honeſti normam definire, ac mediũ circunſcribere; deniq; appetitũ proximum agendi principiũ in nobis hùc illùc, quò ratio honeſtiq; regula vocat, non aliter atq; par equorũ aurigæ inſtar flectere; enitendũ ſanè omni ſtudio, vt eâ rerũ notitiâ, quæ ad veri boniq; iudicium, ac recti & honeſti inuentionẽ ſunt neceſſariæ, vbi mẽtem abundè illuſtrauerimus; tùm ſopitas in nobis ad honeſtatẽ propẽſiones omni arte excitemus, foueamus; atq; efficiamus, vt equorũ, qui trahunt humanæ vitæ currũ, effrenatũ coerceamus impetum, edomemuſq; ita vt, ex refractarijs, ac ſuccuſſatotibus modeſti, dociles q;, & faciles rationis imperio, obedientesq; euadant; atq; ex vmbrã metuentibus & ſternacibus animoſi, alacres arduũ honeſti callẽ aſſueſcant aſcendere, ijdẽq; porrò e mordacibus & calcitronibus mãſueti, contubernijq; ac ciuilis ſocietatis amatores reddãtur: hoc eſt peruerſã appetitûs ad turpia, per prauam & quaſi naturalem conſuetudinẽ inclinationem, per contrarios mores corrigamus, emendemus, & ad bonum, honeſtũq; reducamus vt deinceps, quò ius rectaq; ratio vocant, ſine morâ, tergiuerſatione ac pugnâ, ſed vltrò ſequatur, & morigerũ ſemper obedientẽq; ſe ſe præbeat. Quæ animi pulcherrima conſtitutio ſeu partium eius compoſitio, in quâ quod verum bonum, & humanæ naturæ congruens mediũ, ratione & prudentiâ duce volũtas præelegerit, id appetitus haud ſegniter ſed alacriter cõſtanterq; exequitur perficitq;, & in quâ varijs animæ pathematis ad nutũ rationis modum imponimus, vera VIRTVS cluet, mórumq; & animi perfectio. Cuius cùm ſemina partim à naturâ per parentes virtute claros & nobiles, partim à Cœli fauore hauſta acceptaq; habeamus, iis ortum quidẽ inſtitutio ingenua, monita exẽplaq; benigno quodã & liberali obſtetricatu dare ſolent; incrementum autẽ & robur philoſophia, prudentiaq; adflare; ſed maturitatem & perfectionem ciuilis ſcientia, vſus moſque adferunt.

Τὸ δὲ φυᾷ κράτιςον ἅπαν
Πολλοὶ δὲ διδακταῖς
Α'νθρώπων ἀρεταῖς κλέος
ὤρουσαν ἑλέσθαι
Summa naturæ facilis poteſtas,
Quin & edoctis ſtudio ac labore

Pind. Olym od. ix.

Senec. ep. 95. *Omnium*, inquit ſapiens, *honeſtarum rerum ſemina animi gerunt, quæ admonitione excitantur, non ſecus ac ſcintilla flatu leui adiuta ſuum excitat ignem.* Ad quod ſane non parum facit diuina quædam ſors, virtutis parentum penuriam ſuppleñs, ſi diuinis viris credimus.

ἀγαθοὶ δὲ,

Pindar. olym. od ix. canit Pindarus,

καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες
ἐγένοντο.

Hominique mentem
Solus impertit Deus, aut viriles
Robur in artus.

in Appen leg. *Quicunq; non à ſapientiæ principijs omnia deducunt*, Plato monet, *Deum innocent & fortunam*, quaſi eos bonâ quadam ſorte non per conſtantia principia agere innuat. Hi namq; rectâ ducuntur opinione, quæ inductione, exemplis, authoritate, & ſorte nobis cõuenit; ſorte inquam diuinâ, quatenus In legib. *non poſſe feliciter homines multos ab vno regi principe, niſi & ille vnus regatur à Deo, idem affirmat.* Quantam autẽ vim diſciplina, educatio parentum, præceptorumq; documẽta, Poetarum carmina, contubernia proborum hominum, adhortamentaq; amicorum, & caſtigationes habeant, & luce meridianâ clarius eſt, omneſq; collegiorum parietes clamant; Et Theognis ab ipſo laudatus Platone hiſce verbis docuit,

In Meno. καὶ παρὰ τοῖσι πῖνε καὶ ἔσθιε. καὶ μετὰ τοῖσιν
ἵζε, καὶ ἅνδανε τοῖς ὧν μεγάλη δύναμις
Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιγῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.
Aſſiduus fueris his tu conuiua comeſq;
Qui magnum magna nomen in vrbe gerunt
Namq; boni bona, praui ſed te praua docebunt.
Mens & recta horum moribus exciderit.

Iam ipſius contemplatricis Philoſophiæ beneficio & lumine cũ quid in quâq; re verum bonumq; ſit intueamur, & primæ illius cauſſæ, à quâ emanant cuncta, & reguntur, legumq; prouidentiæ, fati, atq; naturæ, noſtri deniq;, ac cæterarum rerum notitiam qualem qualem habere licet conſequamur; Porrò autem ab eâdem philoſophiâ ciuilis ſcientia principia ſua repetat, nec non ipſe contemplandi actus animum à corporis commercio ſenſim ſine ſenſu euocet repurgetq;; incredibile memoratu eſt quantum in animis noſtris virtute imbuendis & conformãdis ipſa philoſophia poſſit, à quâ ſcilicet, quo animo nos noſtraq; Deo præpotenti dare, & mãcipare debeamus, quãq;

obnixè

obnixè legibus prouidentiæ obtemperare; quanti præterea dignitatem hominis facere, quamq; turpe ſit flagitijs eandem dedecorare: & contra quàm laude dignum & rationem tanquam optimam ducem ſequi, rebuſque gerundis præficere, & ſenſuum appetitiones ei ſubijcere; & quāti cætera facere atq; æſtimare, & quo demùm ſtudio impreſſa ijs virtutis veſtigia imitari, luculenter edocemur. Sed audiamus potius eloquentiſſimum philoſophum hâc de re, vt de cæteris magnificè loquentem; *In phyſicis quidem plurimùm poſuit. Eâ ſcientiâ & verborum vis & natura orationis, & conſequentium repugnantiumuè ratio poteſt perſpici. Omnium autem rerum naturâ cognitâ, leuamur ſuperſtitione, liberamur mortis metu, non cōturbamur ignoratione rerum, e quâ ipſâ horribiles ſæpe exiſtunt formidines. Deniq. etiam morati melius erimus, quum didicerimus quid natura deſideret. Tum verò ſi ſtabilem ſcientiam rerum tenebimus ſeruatâ illâ, quæ quaſi de cælo delapſa eſt ad cognitionem omnium regulâ, ad quam omnia iudicia rerum diriguntur, nunquam illius oratione victi ſententiâ deſiſtemus: niſi autem rerum natura perſpecta erit, nullo modo poterimus ſenſuum iudicia defendere. Quidquid porrò animo cernimus, id omne oritur à ſenſibus: qui ſi omnes veri erunt, vt Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognoſci & recipi. Quod qui tollunt, & nihil poſſe percipi dicunt, ij remotis ſenſibus ne idipſum quidem expedire poſſunt quod diſſerunt. Præterea ſublatâ cognitione & ſcientiâ tollitur omnis ratio & vitæ degendæ, & rerum gerendarum. Sic è Phyſicis & fortitudo ſumitur contra mortis timorem, & conſtantia contra metum religionis, & ſedatio animi omnium rerum occultarum ignoratione ſublatâ, & moderatio; naturâ cupiditatum generibuſq; explicatis, & vt modo docui cognitionis regula & iudicio ab eadem illâ conſtituto, veri à falſo diſtinctio traditur.* Iam ipſa Philoſophia ciuilis cum ex profeſſo naturam virtutis ſummiq; boni aperiat, & edoceat methodum eandem aſſequendi, magiſtra vitæ, vno verbo multa complectar, meritò perhibetur. Atqui hæc virtutis cum prudentiâ, & prudentiæ mutua cum ſcientiâ connexio commemorata, illa eſt quam ſapientes olim virtutis parentem ſtatuerunt & tanti eſſe momenti, vt abſq; eâ virtutem ſuam conſtātiam minimè poſſe retinere ſibi perſuaſerint. Plato certè *virtutem quidem cum prudentia, ſcientiaque coniunctam firmiſſimam* dicebat *atque ſtatuis Dædali arte inter ſe ligatis comparabat:* cuius gloriâ ſapientes viri & Philoſophi olim claruerunt: *eam autem virtutem, quæ ſcientiæ contubernio careret, ac ſoli cohæreret rectæ opinioni, parum conſtantem credebat & ſolutis Dædali ſtatuis, quæ fugerent, aſſimilabat* quæ virtus emicuit in Themiſtocle, Brutis, Fabijs, & alijs magnis viris, qui in adminiſtratione Reipub. excelluiſſe perhibentur, cum tamen Philoſophiæ ſtudio eſſent deſtituti.

lib 10 de finib. bonor & mal.

In Menone.

Poſtremò ipſum habitum virtutis, quæ in moderatione perturbationum conſiſtit, more aſſuetudineque, ac frequenti aſſiduoque honeſtarum ac laudabilium exercitio, atque cultu actionum generari genitumq; confirmari, quid neceſſe eſt multis oſtendere, cum id tam *clarum ſit, quàm Solis radij eſſe olim, cum ſudum eſt ſolent.* Atque cum tot & tanta deſiderentur ad virtutis habitum inferendum animis noſtris alias couſuetudine quâdam peruerſâ, *quæ naturæ alterius vim habet*, ab eâdem abhorrentibus, & radices eius amaras vulgo faſtidioſe reputantibus: quî mirùm eam adeò raram, & ſolitariam, vt facilius ſit in duos incidere Soles, quam vnum par virorũ ſapientiâ, & virtute omni ex parte perfectâ cumulatorum oſtendere? Et tamen ſi viri eſſe volumus, ſi beati, ea ſeriò omniq; ſtudio capeſſenda nobis, & cum pulchritudo eius eximia ſemper ob oculos mentis proponenda, tum fructuũ, quos parit innumerabiles, ſuauitas incredibilis ceteris omnibus delicijs, atq; voluptatibus, longe maior dulciorq; & ad amorẽ conciliandum, atq; amarorẽ, ſi quis ei ineſt, abſtergendum potentior
Plato 1. de leg. eſt æſtimãda. Nam quid aliud eſt virtus, quã *legitima quædã rationi obtemperantia, congruenſq; partiũ animæ in nobis ratione carentiũ ad ratio-*
Idẽ in Theæt. *nalẽ relatio; habitus decori, & optimus animi habitus per ſe laudabilis, eiuſ-*
Arles 7. Ethi. *q; perfectio; & conſtitutio ſecundũ naturã, ceu habitus rectè diſponens appe-*
1. Rheto. *titũ ſenſitiuũ, eiuſq; actiones, nec nõ animi purificatio ac ſanctitas, ceu bonus*
Pythag. *dæmon; deniq; præclarâ quædã harmonia, & concentus eiuſdem reliqua omni*
Ariſt. 1. Rhet. *harmoniâ corporis dignior?* Quid aliud eſt virtus, quàm *admirabilis quædã & cõparandi ſeruandiq; ea quæ ſunt bona, & omnes ómnibus in rebus iuuãdi, multaq; ac magna beneficia in alios conferendi facultas? Vt ſalutaria quæ ci-*
Sene. de tranq. vit. *tra guſtũ tactũq; odore perficiunt, ita virtus vtilitatem etiã ex longinquo & latens fundit ſiue potitur & fruitur ſuo iure, ſine precarios habet acceſſus, cogiturq; vela contrahere, ſiue otioſa mutaq; eſt, & anguſto circumſcripta, ſiue*
eo. Eth. c. 5. *adaperta, in quocunq; habitu eſt prodeſt.* Quid aliud eſt virtus *niſi menſura omnium & regula recti atq; honeſti?* Quid aliud eſt virtus *niſi ſummũ bo-*
Lib. de vit. bea. *nũ quod mortales in hac terrâ cõſequi poſſunt? ſummũ bonum,* inquit Seneca, *eſt animus fortuita deſpiciens, virtute lætus, aut inuicta vis animi, perita rerum placida in actu, cum humanitate multa conuerſantiũ cura.* Quid de-
Plat. in Theæ. niq; aliud eſt virtus *quam ſimilitudo cum Deo? Qui virtutem venerantur, Deum venerantur & colunt, virtus enim vel Dei eſt imago, vel via ad Deum.* Quid enim per Deum immortalem maius aut potentius diuinitùs conceſſum virtute, quæ nos ex abiectis & ignobilibus ſublimes reddit ac nobiles; quæ ex ægris & deformibus ſanos ſpecioſoſq;, ex egenis, miſeris, & ſeruis diuites facit, beatos, & Principes?
Plat. Boet. *Viro probo nihil mali contingere poteſt, improbo nihil boni. In improbitate*

manens

manentibus omnis fortuna peſſima eſt, in probitate vero omnis fortuna bona. Quid virtute præclarius ac præſtantius, quæ poſſeſſorem humi depreſſum in cœlum vehit, obſcurum illuſtrat, & mortuum excitat, ac immortalitate donat, quæque auctor eſt vt ea, quæ ſunt digna ſcribi, agamus; vel ea ſcribamus, quæ ſunt digna legi.
Viro probo nullum eſt maius theatrum conſcientiâ ſuâ. Quid virtute dul- Senec.
cius, amabilius aut pulchrius? *Innocentia ſola ſpem optimam in nobis pa-* Pindar,
rit, dulciſſimum vitæ ſolamen. Virtus eſt oculatiſſimus amor, amoriſque Plat.
nodus inſolubilis, quo nos cum ſuperis, inferis colligamur, & a quibus
decet, diſſoluimur. Verum perfectumque hominis ornamentum non eſt Pythag.
corporis concinnitas, ſed animi virtus. O ſi ſpectari poſſet virtus, quantum ſui amorem in animis hominum excitaret! Hæc enim ingenuo quodam pudoris colore ſuffuſa, vultu quidem gratioſo ſerenitatem; inceſſu grauitatem, moribus tamẽ ſimplicitatem & conſtantiam præſefert; & non auro, ſed radijs diuini boni ornari gaudet. Equidem non inuenuſté quiſquis ille fuit, qui virtutẽ diuino ſatu é vero bonoq; conceptam, & in continentiam, tolerantiã, obedientiã, ceteraſq; præclaras animi ad virtutẽ indoles tanquam in embryone formatam; ac tandem adultam virginem depinxit, cuius membra quidem, caput ſapiẽtia; oculi prudẽtia; lingua fides; pectus religio; cor amor; ſpiritus charitas, collũ pietas; manus liberalitas; crura iuſtitia; ſanitas tẽperantia; fortitudo robur; pulchritudoq; ſanctitas eſſent: aſſeclæ autẽ, fidæq; comites trãquillitas, modeſtia, puritas, miſericordia, benignitas, ſpes, lætitia, reuerentia, & erga bonos charitas. Et quiſquam tam ferreus, tam duri oris, qui virtutem non amet, non ſuſpiciat, non tanquam ſponſam exoptet, ac ſibi abſq; eius contubernio vitam non acerbam putet? Et quiſquam mihi in virtute aſperitatem ſupercilij atque oris ſeueritatem obtendit, aut animi herculei robur ad eam aſſequẽdam prætendit? Eſto enim ad propenſiones in vitia regnãtes in nobis edomandas tanquam tetra quædã potentiaq; monſtra Hercule ſit opus, & vt dicere ſolebat Fabianus, nõ ex his cathedrarijs philoſophis, ſed
ex veris & antiquis, *contra affectus impetu, non ſubtilitate pugnandũ, nec* apud. Sene
minutis vulneribus, ſed incurſu auertenda acies non proba, audioq; lubens lib de breuit
ſapientem monentem, *non eſt quod vllam exiſtimes eſſe ſine labore vir-* vit.
tutẽ: ſed quædam virtutes ſtimulis, quædam frænis egent quemadmodũ cor- idem de ben.
pus in procliui retineri debet, in ardua impelli: Ita quædã virtutes in procliui vit.
ſunt, quædam cliuum ſubeunt. An dubium ſit quin eſcendat, nitatur, obluctetur patientia, fortitudo, perſeuerantia, & quæcunque alia duris oppoſita virtus eſt, & fortunam ſubigit? Quid ergo? non æque manifeſtum eſt per deuexum ire liberalitatem, temperantiam, manſuetudinem?

in his continemus animum ne prolabatur, in illis exhortamur, incitamusque.
Senec. 2. ad Seren c. 1. Sit ita ſanc, *quid enim plano aditur excelſum?* ſed ampla vbiq; pulchraq; victoria, ſed immortalis laus; ſed immortale bonũ victorem manent.
Salom. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo. Si vis tibi omnia*
Senec. ep. 36. *ſubijcere, te ſubijce rationi: multos reges, ſi ratio te rexerit. Cogitate cum animis veſtris,* monebat Cato Equites Romanos, *ſi quid vos per laborem rectè feceritis, labor ille à vobis citò recedet, benefactum a vobis dum vivetis, non abſcedet: ſed ſi qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequiter factum illud apud vos ſemper manebit.* quod præceptum ſapientis viri hoc enthimematio Muſonius diſertè concludit. ἄν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει. ἄντι ποιήσῃς αἰσχρὸν μετὰ ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει. *Non eſt viri*, inquit Se-
Epiſ. 31. Epiſ. 113. neca, *timere ſudorem. ô quam magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere, feliciſſimosq; ſe iudicant ſi multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungunt, ignari quod ſit illud ingens paratumq; regnum. Imperare ſibi maximum imperium eſt.*
Epiſ. 75. *Quando continget omnibus oppreſſis affectibus, & ſub arbitrium adductis, hanc emittere vocem, Vici. Quem vicerim, quæris? non Perſas & extrema Medorum. nec ſi quid vltra Dacas bellicoſum iacet: ſed auaritiam, ſed ambitionem, ſed metum mortis, qui victores gentium vicit.* Κἀνταῦθα ὦ ξένε, cla-
1. de leg. mabat Plato, τὸ νικᾶν αὐτὸν αὑτὸν πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη. τὸ δ' ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα, καὶ κάκιστον. *Prima & optima victoria ſe-*
Sen. epiſt. 79. *ipſum vincere. deterrimum autem quiddam a ſeipſo vinci. Nos ergo euincamus omnia quorum præmium non corona, nec palma eſt, nec tubicen prædicationi nominis noſtri ſilentium faciens. ſed virtus & firmitas animi, & pax in cæterum parta, ſi ſemel in aliquo certamine debellata fortuna eſt. O virtus ardua, laborioſaq; generi humano, ſed pulcherrima vita in uctio* (accinamus enim hymnum virtutis præceptore Ariſtotele) *tuam O Virgo, ob venuſtatem etiam mori in Græciâ optabile habetur, ac labores vehementes perpeti; talem pectori inſeris fructum immortalem auro potiorem & parentibus & leuiſſimo ſomno. Tuâ equidem gratiâ Hercules Ioue ſatus, Ledæq; filij multa perpeſſi ſunt ſuis factis quid poſſint declarantes.* At enim vero cum omnes erga virtutem ita affecti eſſe debeamus, vt tam præclari eius boni dulcedine allecti nullum reformidemus diſcrimen, nullum laborem refugiamus, quî magnificum illud virtutis aureum vellus conſequi aliquando poſſimus; cum omnes de virtute ita ſentire debeamus, vt illam noſtræ directricem vitæ ceu Cynoſuram alteram nobis ſemper proponamus: tùm maximè Principes viri, quiq; ciuili vitæ, quam in hominum ſocietate mixti degimus ad mutua commercia ſiue vſum, præſunt, ſi dignitatem illi ſuam cum munere officiorum deuinctam

ſalutariter

ſalutariter, atq; ex vſu publico adminiſtrare vt debent cupiunt, virtutem ducem habeant, & ſequantur par eſt; atq; eò maiore ſtudio, & ardore animi, quò amplâ eâ dignitate, quâ vnus pluribus præeſt, atq; multitudinem tot capitum turbidam ac diſcordem ſub communi quodam obedientiæ iugo, legumq, ac iuſſorum vinculis continet, atq; regit, nec non bella pacemq; moderatur, nihil maius eſſe, nihil difficilius excogitari poteſt. *Nimirùm moderatori Reipub. beata ciuium vita propoſita eſt*, præcepto Sapientis Romani, *vt ea opibus firma, copijs locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit; vt omnium ſomnos illius vigilantia defendat, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio. In hoc namq; Rex à Tyranno differt* quod, vt aduertit Ariſtoteles, *Tyrannus quidem ſuum ipſius commodum ſpectat & quærit: Rex autem ſubditorum.* ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ. ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων Atq; cum in officio ſuos iuſtis legũ vinculis continendi prima & præcipua Principum cura ſit, ipſi profectò cæteris omnibus exemplo in accurato legum cultu & obtemperantia ita præire debent, vt qui dignitate eminent, virtute etiam. *Rex*, ait Philoſophus, *ex idoneis aptiſq; conſtituitur ob eminẽtiam virtutis, aut actionum, quæ à virtute*, ὁ βασιλεὺς καθίσταται ἐκ τῶν ἐπιεικῶν καθ᾽ ὑπεροχὴν τῆς ἀρετῆς, ἢ πράξεων τῶν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς.

Cic. 5. de Rep.

Sene. de conſol. ad Polybi.

8 polit.

Id 5. Polit. c. x.

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex. *Auſon.*

Hoc ſcilicet & fama Regis, & verò firmitas regni ſuo iure poſtulant; nam cum verè ſit dictum illud

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò qui peccat maior habetur:

Tum verò *omnia dicta, factaq; Principis rumor excipit, nec magis ei, quàm Soli latere contigit.* Quò cauere ſummopere debet Princeps qualem famam habeat, qui qualemcunq; meruerit habiturus eſt. *apud Romanos præcipuus Seru: Tullius ſanctor legum fuit, quis etiam Reges obtẽperarẽt.* Nunquam ſatis laudato Perſarum more Rex Regũ quotidie ab vno è purpuratis prima luce in cubiculum ingreſſo monebatur clare voce vt ſurgeret, eaq; procuraret negotia, quibus ipſum præfeciſſet Meſoromaſdes, is eſt ipſorum lingua Deus maximus;

Sen. de Clem.

Tacit. 3. Ann.

Eadem lex, certa Dei mens: *Auſon.*

Lex, inquã, quæ viro probo Deus eſt, vt improbo ſua libido. Et verò id ſatis intellexerunt Archidamus, Demaratus, Leonidas, Ageſilaus Spartani Reges, qui præclarum Reipub. regimen cum in ciuium ſpontaneam parentiam imperio magiſtratuum, & horum viciſſim obedientiam poteſtati legum referrent, tum exilij ac mortis propriæ luctum, nec non gloriæ nominis æternam iacturam, ſola ſingularis patrijs legi-

bus obtemperantiæ gloriâ ſolabantur,

Dic hoſpes Spartæ nos te hic vidiſſe iacentes,
Dum ſanctis Patriæ legibus obſequimur.

Multò quidem illi conſultiùs, quàm Athenienſes, qui Demetrio Regi turpiter adulantes ſciuerunt, vt quod ad res diuinas attineret, ſanctũ illud & religioſum; quod ad humanas, iuſtum atq; honeſtũ haberetur quidquid ei tale viſum fuiſſet. Iuxta namq; reputandũ in adminiſtranda ciuitate non rationẽ, ſed Principis dominari libidinẽ, Principemq; legibus minimé teneri; atq; in dirigendo nauis curſu gubernatorẽ non hærere gubernaculo. Pudeat ergo Anaxarchum in Alexandro ſuper temerariâ amici nece ſubleuando cò proiectæ aſſentationis veniſſe, vt arbitrium finiũ æquitatis atq; honeſtatis regendorum

Apud Arrian. de rebus Alex lib 4. detulerit adoleſcenti aliàs magnanimo, ſatiſq; conſcio ſe cæteris omnibus quidem ſuperiorẽ, legibus autem inferiorem eſſe; monueritq; impudenter veteres ſapientes iuſtitiam adſeſtricem Ioui feciſſe, quia quidquid à Ioue ſeu à Rege decretum ſit, id iure quoq; fit. Pudeat & Vlpianum ſublata legum reuerentia huiuſmodi effatis, *quod Principi placuit legis habet vigorem, Princeps legibus ſolutus eſt*, feneſtrã ad omne facinus aperuiſſe principibus, atq; eam impunitatem, & licentiam cõceſſiſſe, quam vel Dyoniſius Tyrannus recuſauit, qui turpem & inteſtiuum amorem matris inſanæ caſtigauit, coercuitq; hiſce verbis, *Ego quidem, ô mater, Syracuſanis ſuas leges, ſuamq; libertatem eripere potui; natura vero leges abrogare nec mihi, nec alÿ cuiquam fas fuerit.* Principes

Caſſ. Var lib. x. igitur potius huic dicto ſapientis audientes, *cum omnia poſſint, ſola credant ſibi licere laudanda*:

Eurip. οὐ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν ἃ μὴ χρεών,
Non fas potentes poſſe, fieri quod nefas.

Sen Troad. & *Minimùm decet libere, cui nimium licet.*

Plat. in Pol. ſcilicet ἄνομος μοναρχία χαλεπὴ, καὶ βαρυτάτη ξυνοικῆσαι. *Principatus illex*

Saluſt. *moleſtus, & cui haud facilé ſubſis.* Poſtremò cum *facilè imperium in bonos, & cõtra peſſimus quiſq; aſperrimé rectorem patiatur*, itaq; quiuis Princeps obnixè ſtudere debeat, *vt cum ipſe bonus atq; ſtrenuus ſit, quàm optimis*

Cicer. in Epiſt *imperitet; quales vero in Repub. Principes ſunt, tales reliqui ſoleant eſſe:* Prin-

Plato in Alcib cipi profectò ex cõſilio ſapientis *ſi Remp. rectè laudabiliterq; ac tutò inſtituit gerere, virtus ſibi cum ciuibus communicanda eſt:* nimirum *illis Rei-*

Polib. *pub. ſtatus optabilis & firmus eſt, in quo & priuatim ſanctè innoxieq; viuitur, ac publicè iuſtitia & clementia vigent.*

Senec. *vbi non eſt pudor,*
Nec cura viris, ſanctitas, pietas, fides,
Inſtabile regnum eſt.

Sed

Sed quorſum hæc ſeria & accurata de virtutis naturâ præſtantiâque repetita è Philoſophorum ſcholis diſſertatio? Nimirùm de verâ ſolidâq; felicitate CAROLI III. felicis memoriæ Principis nobis aliquid meditantibus aperienda eius rei natura fuit, in quâ præcipuè Beatitudo, quam mortales in hac vitâ cõſequi poſſunt, efflореſceret; ſi quidem veré eſt antea demonſtratum virtutem ad bené beateq; viuendum ſibi ſufficere; cætera ſine virtute quidem vana fluxaq; eſſe, cum eâdem autem felicitatis adiumenta quædam eſſe, certe ornamenta. Itaq; cum virtutum omnium complexu contineatur felicitas, officij profectò noſtri ratio poſtulat, vt virtutes omnes, quibus magnus ille Princeps emicuit, ſigillatim percurramus, & veluti in tabellâ intuendas proponamus. Hic mihi ſanè ampliſſimus aperitur ad dicendũ cãpus. incredibile enim memoratu, quot & quàm illuſtres in nobili Heroe virtutes per omnẽ eius ætatem refulſerint, quibus recenſendis, & cum dignitate explicandis nullius oratoris eloquentia, nedũ hominis in dicendo parùm exercitati par eſſe poſſit oratio; quarum virtutũ amplitudine & præſtantiâ, ſi ab inſtituto elogio, ad quod me meus ſingularis affectus, obſeruantiæq; in optimum Patronum, & clementiſſimum Dominum ardor & zelus impulerunt, me deterreri negem, mentiar profectò. Sed quoniam virtus ipſa per ſe glorioſa, & potens ſimplici, nudaq; gaudet veritatis enarratione, nec conquiſitæ ac mẽdicatæ aliũde eget laudis lumine, audebo cũ Deo ſuſceptũ munus aggredi, & aliquid de ſingularibus magni Principis virtutibus delibare, atq; feliciora facundioraq; ingenia ad eundẽ campũ decurrendũ excitare. quo in argumento ita verſari inſtitui, vt cum eximium earum virtutum, quæ excelſo eius animo alté inſederãt, ingenioli mei acies fulgorem ferre non poſſit, certe imaginem illarum & ſimulachrum quoddam in nonnullis factis dictiſq; illuſtribus non aliter, atq; Solis inacceſſam lucem in aquâ, contemplanda mihi proponam.

Principiò igitur, vt ordine noſtra procedat oratio, quoniã virtuti, vt cæteris rebus, ſua ſunt initia ſeminaq;, vti & extrema; *nihil eſt enim*, vt recte Marcus Tullius monet, *quod aut natura extremum inuenerit, aut doctrina primum: ſed rerum principia ab ingenio profecta ſunt, & exitus diſciplinâ comparantur*; ordiamur, ſi placet, ab ijs ſiue virtutis ſeminibus, ſiue animi affectionibus, quibus à naturâ animi informati ad verã perfectamque virtutem facile deinceps ex ſe perueniunt. Equidem ſi virtutem in conſtanti appetentis in homine facultatis habitu ſequendi & obſequendi rationi, atq; moderãdi inſitis cuiuſque animo perturbationibus varijs ſitã eſſe eſt anteà nobis rectè conſtitutũ, magnum profectò momentũ habere ad virtutem capeſcendam neceſſe

eſt eos ſiue à naturâ inſitos igniculos & inſtinctus, ſine imbibitos à prima inſtitutione & educatione mores, quibus poſtea ſponte ad honeſtum quidem & bonum propendemus, turpe autem & malum auerſamur; omninoq; ita appetitum componimus, & flectimus vt à ratione duci ſe ſe deinceps facile patiatur, nec proteruius vnquã eius detrectet imperium. *Virtus ſecundum naturam eſt, vitia inimica & infeſta ſunt; nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros, liberoſq; genuit:* hoc eſt, *ſunt in animis quaſi virtutum igniculi & ſemina, quæ adoleſcere ſi liceret, nec à prauis opinionibus ſeu ſpinis ſuccreſcentibus ſuffocarentur, ipſa nos ad beatam vitam perducerent.* Enimuero ſi memoria recolimus, quæ ſuperiori oratione de natiuis Magni Herois dotibus diximus, repetimuſque illi à naturâ diuinam quandam ſapientiam fuiſſe à clariſſimo ſapientiæ laude Duce Franciſco, & benignitatem ab auo Antonio optimo poſt natos homines Principe, animique magnitudinem à generoſiſſimo proauo Renato, ac cæteras virtutes omnes à ſuis atauis virtutis Heroicæ gloria inclytis viris quaſi inſtillatas & infuſas, ſuperuacaneũ profectò videtur de iiſdem plura dicere. Age ergò qui pudor, quæ miſericordia, quæ obedientia, quæue continẽtia primam eius ætatẽ & reliquam omnem vitam exornarint, ex quibus vt ex ſemẽte meſſẽ, vnuſquiſq; coniicere facile poteſt ad quantũ ſolidæ veræq; virtutis culmen, vti virum maturum decuit, ipſe potuerit aſcendere, ante omnia videamus. Dulce profectò frænum eſt ad coercendas cogendaſq; in ordinem laſciuientes in nobis cupiditates VERECVNDIA: hæc namq; virtus iraſcendi in nobis facultati velu ti auxiliaris pugnat acerrimè pro ratione aduerſus impotentes animi, & perduelles hoſtes; *vnde pudor moderator cupiditatis* dicitur Marco Tullio: hæc eſt pulchra ſoboles laudabilis in nobis deſiderij eius quod eſt honeſtum: *ſine verecundiâ nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.*

Sen. ep. 1. — *M. Tull. 1. de leg.* — *2. de finib. bo.* — *M. 1. offic.*

πᾶς ἐρυθριῶν χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ.
Quiſquis pudere pronus, hic probus mihi
Videtur:

Hæc eſt ſoboles metûs & cautionis eius, quod turpe eſt & indecorũ: *ἵνα γὰρ δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς. vbi enim timor, ibi pudor,* & viciſſim *vbi pudor ibi timor,* vt emendabat Plato, ideoq; definitur philoſopho *Verecundia inſita animis noſtris ὁρμὴ ſeu impetus cùm ad virtutem, tùm ad fugam eorum, quæ per ſe mala ignominiam, & dedecus nata ſunt parere, nos cõpellens.* quò ſanè iurè *ea tanquam munus præſtantiſſimum a Ioue per Mercurium hominibus conceſſum & ornamentum ciuitatum, mutuæq; inter ciues beneuolentiæ vinculum* à Platone commendatur; à quo etiam laudatur Homerus, *quod Deos alios, tùm maxime Hoſpitalem* ſcripſerit *verſari inter*

Ariſt. lib. de virt.

homines, qui iuſti pudoris participes hominum contumelias iniuriasq́; conſpicerent: hæc deniq; virtus vi ſuâ cæteras omnes continet, quod Theophraſtus. inſinuauit eleganter, ad virtutem his compellans verbis adoleſcentulum quemdam, quem erubeſcẽtem fuerat conſpicatus; θάῤῥει. τοιῦτον γὰρ ἡ ἀρετὴ ἔχει τὸ χρῶμα, *Confide, talem enim virtus habet colorem.* Cum autem ea virtus infirmæ ætati maximè ſit decora, *bonumq́; in adoleſcente ſignum*, nulla tamen vitæ pars eâ non exornari debet. Pythias Ariſtotelis filia interrogata, *qui color eſſet pulcherrimus*? reſpondit, Τὸ διὰ τὴν αἰδῶ τοῖς ἐλευθέροις γιγνόμενον. *qui per verecundiam ingenuis oboritur.* dignam vel parente vocem! iureq; laudatur illud Theognidis, Sene. ep. 10.

οὐδένα θησαυρὸν καταθήσεαι ἔνδον ἀμείνω
Αἰδοῦς, ἣν ἀγαθοῖς ἀνδράσι Κύρνε διδῷς.

Quo tu Cyrne probos decoras, ne crede, pudore
Theſaurum, condat quem tua cura, magè
Dignum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Eius igitur virtutis non ſolum tenerâ illâ ætate, cui maximè eſt familiaris, ſed maturâ quoq; egregius indolis Princeps adeo ſtudioſus & amans fuit, vt nulli vnquam obſeruatum ei vel imprudenti ex ore excidiſſe verbum parùm honeſtum aut immodeſtum, nedum flagitium aliquod patraſſe deprehenſum. Certè mihi attentè ſeduloq; animaduerſum ſemper, quoties de re parùm verecundâ (vt aulicum genus hominum ad nequitiam & impudentiam eſt procliue) ſermo coram eo interueniſſet, extemplò illum ex alto ſuffuſo rubore, auersâ fronte ſuperciliòq; ſeueriore filum parùm caſtæ orationis abrũpere, mutatoq; ſtatim ex induſtria diſcurſu in grauem & ſerium petulanti linguæ ſilentium imponere ſolitum: quâ pudoris cuſtodiâ dici non poteſt quantum effrenatam noſtro æuo compeſcuerit in verbis petulantiam, quantum prurientem libidinem caſtigauerit, & iuuentutis præſertim nobilioris mollitiem atq; incontinentiam compreſſerit. verum namq; eſſe illud experimur, quod à Muſonio ſcriptũ eſt. Ἀρχὴ τὸ μὴ κατοκνεῖν, τὰ αἰσχήμονα λέγειν. *fons & origo non male viuendi eſt non obſcena turpiaué loqui.* Age verò cum MISERICORDIA hominem in primis deceat, tùm eos maximè quibus aliorum ſalus curæ eſſe debet. Quid enim humanius aut potius quid magis regiũ, quàm erigere iacentem; ſolari afflictos, & miſeris ſalutarem ferre opem? ſapienter Phocion, *nec ex templo aram, nec ex humanâ naturâ tollendam eſſe miſericordiam dicebat*; ὅτι ἐξ ἱερῦ βωμὸν, ὅτι ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀφαιρετέον τὸν ἔλεον. Quid porrò iuſtius eâdem? rectè Philiſtion monebat, Ἐκ τῦ παθεῖν γίνωσκε τὸ συμπαθεῖν. καὶ σοὶ γὰρ ἄλλος συμπαθήσεται παθῶν. *ex percepto dolore condolere diſceremus, ita namq́; alium quemuis quis*

doluerit alias, nobis condoliturum. Ac quanquam Orator præcipiebat *æquum eſſe, vt miſericordiam non iniquis, aut improbis, ſed ijs qui iniuſtè aduerſâ fortunâ vtuntur,* δίκαιόν ἐστιν ἐλεεῖν οὐ τοὺς ἀδίκους τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τοὺς παρὰ λόγον δυστυχοῦντας; tamen Philoſophus Bias damnaturus quemdam extremo ſupplicio cum lachrymaretur rogatus quid ei contigiſſet, quòd alium damnans ipſe fleret, reſpondit, *naturæ quidem mutuum dolorem reddere eſſe neceſſe, legi autem ſuffragium.* ὅτι ἀναγκαῖον ἐστι τῇ μὲν φύσει τὸ συμπαθὲς ἀποδοῦναι, τῷ δὲ νόμῳ τὴν ψῆφον. Quæ ſane virtus ita fuit connata & propria benigniſſimo Principi, vt cum miſericordia ſit ex ijs, quæ ancipitis dubiæque ſunt naturæ, potius de gloria tanti viri delibare illa crederetur, quàm in partem laudum ſuarum venire, non ſine ſummâ eius iniuriâ. neque enim mollitia quædam animi effœminata & indecora, ſed maſcula miſericordia perturbatione omni & dedecore vacua, pronaque ad ſubueniendum indigis in eius animo regnabat. Quis namq; egens aut afflictus illum adijt vnquàm (aditus autem patebat infimis quibuſque & miſerrimis) qui non & oratione eius recreatus, & munificentiâ ſubleuatus rediret? vidua ſi forte apud illum de morte mariti è ſuorum domeſticorum numero, & miſeriâ ſua, aut liberorum egeſtate quereretur; ecce illi ſtipendia conſortis annuatim, ſeu vicariam penſionem iubebat pendi; aut ad magiſterium alicuius artis orbatos promouebat liberos. Militis in bello ſauciati, aut alicuius operæ in munitionibus & ædificijs regijs grauis caſus quoties nuntiaretur; dicto citius (Deum teſtor) chirurgum aut Pharmacopæum mandabat ad ægrum, opemque imperabat omnibus neceſſariam. Perueniebat etiam ad aures eius ſiquando rumor grauioris ægritudinis alicuius è primarijs viris, vel etiam familiaribus ſeruis, non ſolum ille ſæpius in die de ſtatu eius volebat certior fieri, verùm eos quoque, qui conſilio poſſent iuuare, vltrò mandare, ſelectioraque & exotica medicamenta largiri pro more laudabili habebat. cuius certè prolixæ in benigno Principe miſericordiæ vel hoc illuſtre argumentum habeo, quod neminem ille quamuis nefarium & ſceleratum meriti ſupplicij niſi contracto ſupercilio, & quaſi dolens damnauit vnquàm, nec ſupplicio ipſe cuiuſquam interfuit. Veniamus porrò ad eas ſemiuirtutes, quæ non tam vnicuiq; à natura inſeruntur, quàm more comparantur, & imprimis ad OBEDIENTIAM. Cuius profectò flexanimæ virtutis quâta ſit facultas ad vitam ciuilem, & priuatam cuiuſq; rectè inſtituendam ex eo eſt intelligere, quòd *cum noſtra omnis vis in animo & corpore ſita eſt, animi certe imperio, corporis ſeruitio magis vtimur; florentes & beatas Lacedæmoniorum*

Demoſt.

Salluſt.

res iuſto & legitimo regū imperio tribuine oporteret, interrogatus ſapiens quidā reſpondit, *conſtāti potius prōpt.eq; ciuium obedientia eam fortunam eſſe imputandam, ſemperq; compertum eſt diuturniora eſſe imperia in ciuium modeſtiâ, quam in magnitudine animi eorum qui regerent*: cur non eam cuiuſq; noſtrûm vitam tranquillam demùm & felicem ſpondeamus, quæ non tam ſubtilitate, vel ſublimitate ingenij vigeat & floreat, quàm in quâ appetitus ſenſuſq; non ſegniter rationi obtemperant, ſed vltrò mandata eius exequuntur? Hæc eſt enim radix virtutis omnis; hic neruus prudentiæ; hæc humanæ vitæ regula; hic humanarum actionum ſpiritus; hæc ſemita ad ſummum bonum & felicitatē, quam omnes appetunt. Præclaré Plato *virtutem omnem ſenſuum quandam eſſe obedientiam rationi dixit.* οὐκοῦν ἂν εἴφην τὸ δικαιοσύνην ἐμποιεῖν τὰ ἐν τῇ ψυχῇ κατὰ φύσιν καταστῆναι, κρατεῖν τε καὶ κρατεῖσθαι ὑπ᾽ ἀλλήλων. Quod ſi is eſt ordo in quoq; rerum ſtatu, vt maiorum quidē & ſapientiorum partes in regendo, alijſq; moderando ſint poſitæ, reliquorum autem in obediendo; & cum imperio indignum omnes ſtatuunt, qui ante in parendo ſuæ æquanimitatis. & conſtantiæ non ediderit ſpecimen; nemo profectò non videt quantum in omni genere virtutum generoſus Princeps dùm viueret progreſſum facere potuerit, qui in obediētiâ virtutum omnium ſemente tam alacrem & mirabilem ſe geſſerit ſeu in ætate tenerâ, ſeu in reliquo vitæ ſtatu, quo potuit, aut debuit alterius ductui, & regimini parere. Enimuero quanquam eius dignitas supremiq; imperij poteſtas, quæ illi diuinâ benignitate ſimul cum vitæ huius primâ vſurâ tradita eſt; ab omni obedientiâ, quæ inferioris ſubmiſſionem ſuperiori præſefert, ſummū aſſerebat Principem; tamen ſiue eius pueritiam retró inſpiciamus, quæ moderamini honoratiſſimæ parentis & pædagogorū obnoxia fuit, ſiue eum iam virum, ſed alieni conſilij egentem, *ſi quidem certum eſt Principem ſuâ ſcientiâ non poſſe cuncta complecti*, ſpectemus: dici equidem non poteſt quantâ puer adhuc & poſtea ſemper reuerentiâ obedientiâque honoratam parentem Chriſtinam chriſtianiſſimam & magnificentiſſimam Daniæ Reginam coluerit, vnaq; multum colendum Auunculum paternum ſereniſſimum, optimumque Principem Nicolaum à Lotharingiâ Comitem Vadémontanum, qui eo adhuc impubere produces pacato fideliq; Lotharingiam imperio rexere; & hic præſertim, magnâ ſcilicet prudentiâ, probitate, & humanitate inſignis & conſpicuus vir, atque generoſiſſimâ prole beat⁹: in quâ præcipue refulſit ſereniſſimus Emanuel à Lotharingia, Dux Mercurij, qui maiore pietate, & vitæ integritate fuerit, an animi fortitudine, & ſapientiâ incertum reliquit: Is certè & in Galliâ per turbulenta illa ciuilis belli

Tacit. (beside line 3)

4 de Rep. (beside line 12)

Tacit. 3. Ann. (beside line 27)

funeſtaq;

funeſtaq́; tempora, & in Hungariâ omnia ſtrenui militis, boniquе Im peratoris officia executus, Turcici nominis terror fuit habitus; in reliquâ autem vitâ manſuetudine, facilitate, & munificentiâ erga alios, ſeueritate in ſe, conſtantiâ, & modeſtiâ clarus magnuſq; apud omnes fuit. Iam verò quid neceſſe eſt cõmemorare rem omniũ ſermonibus peruulgatã, admirabilem ſcilicet Car.III. obſeruantiam erga Illuſtres & ſapientes viros ſuæ pueritiæ moderatores & Pædagogos D. de Mombardon, Io. du Chaſtelet D. de Dueilly & Gerbeuiller, Cl. Baronem d'Aguerre, & Hect. de Ligniuille Abb. S[ti] Salu.[tis] pariterq; quâ modeſtiâ & parentiâ prudentiorum ille virorum conſilia audierit, ijſque morem geſſerit, mox opportuniùs à nobis dicetur: hoc tantùm in præſentiâ memorabile facinus non poſſum, nec debeo prætermittere. Dum viueret adhuc puer in aulâ inuicti Henrici. i i. fortè Rex venatum iturus comitatum ſe eius percupere ſignificauit, cui Regis mandato Princeps puer vt obtemperaret, tùm pallium indutus equiti indecorum, & magis ad choreas aptum, atque à domeſtico decentius aliud illico efflagitat; rector autem vir antiquis moribus, & probis, ratus haud protelandum iuſſum regiũ contrà præcipit, equum temerè obuium ſine morâ, & equeſtris pallij longiore quæſtione aſcenderet. Quid faceret? puer modeſtus animi haud cunctãter paret, & incõcinno licet cum habitu, elegantiarum aliàs aulicarum non ignarus equum aſcendit, ſeq́; Regi comitem præbuit, pauculis quidem lachrymis indecori habitûs conſcium ſe ſe ſignificans, ſilentio tamen alto promptæ, & ſingularis parentiæ clarum dans ſignum. De tolerantiâ autem, continentiâque eius ſuperuacaneum eſt profectò quicquam dicere ad fortitudinem heroicam Principis, & raram temperantiam, virtutes viro maturo dignas, actutùm properantem.

CORONA EX ILICE, VITE, MALO, ET OLEA,

ſeu Fortitudinis, Modeſtiæ, & Clementiæ.

AD SERENISSIMVM MAGNANIMVMQVE PRINCIPEM FRANCISCVM A Lotharingia, Comitem Vademontanum.

QVem Deum, aut Heroa lyrâ, vel acri
Tibiâ ſumes celebrare CLEIO?
Quem virum? cuius recinet iocoſa
Nomen imago,
Aureis dignumq; ſit exarari
Litteris, ſeroſue quod ad Nepotes
Longè agat pennâ metuente ſolui
Fama ſuperſtes?
Quid prius dices Lotharæ decoris (a)
Laudibus gentis? prius aut Sereno
CAROLO *dices, Lotharæ Imperator*
Qui fuit ora
Integer vitæ, ſceleriſq; purus,
Fortis, & prudens, placiduſq; ſummi

Numinis vindex, oleæq; cultor,
Perq;-benignus?
Quæ tibi porrò potior canenda
CAROLI *virtus, tua quam auſpicetur*
Ritè teſtudo reſonare ſeptem
Callida neruis?
Fallor? an non ILICIBVS *corona*
Nexa deſignat generoſa corda
Et malis inuicta, animiq; robur;
Dic age CLEIO?
Velle sîs aurem? Tibi magnus Heros,
Opto, FRANCISCVS, *Lotharæ columna*
Gentis, & lux altera liberalem
Præbeat aurem.
CLEIO. *O Deûm interpres, ſacer atq; Myſtes,*
Charus & Phœbo, comes & Camœnis
Impiger, vanâ neq; enim Corona
Certus Apollo
Mente le luſit. velut alta Quercûs
Inter eduras viget ILICIS *vis,*
Ceteras tantùm ſuperat ſorores
Maſcula virtus.
Ignis vlturus ſua damna (cælo
Callidus quem fraude malâ Prometheus
Intulit terris) Iouis altus vrnam
Vertere fertur
Dupplicem, quarum altera ſanitatem,
Gratias effundit, opeſq; largè;

Febre ſed, letho, macie, duello
Altera manat:
Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem benè præparatum
Pectus, excelſoq; tuo, ô Virago,
Robore cinctum;
Tu viri ſummum decus, & corona
Principis, tu gloria, FORTITVDO,
Quiſquis & communis amans ſalutis,
Et bonus audit.
Qualis immenſi latus omne cœli,
Cardines arctùm gemino coercens
Brachio, nec tanto oneri ingemiſcens
Suſtinet Athlas;
Senſerat tellus Lotharinga fortem
CAROLI *dextram, generoſa ſenſa*
Mentis, & (quem VITIS *amat) labore*
Florida creuit.
Qualis aduerſis agitata ventis
Stat, viretq́;, & tonſa bipenne durat
Damna per, cædesq;, animos ab ipſo
Ducere ferro
Geſtiens ILEX: *dolor, ægritudo*
Cruda, te graſſanſq́; lues, & vnà
Sæuiens Bellona, proterua lingua,
Cetera turba
Cladium mortale genus laceſſens
Vidit infractum, intrepidumq; ſemper,

Principum, ô Princeps, generoſiorum
CAROLE *palma.*
Teſtis iraſci metuens, & atræ
Bilis exors, pacis amans, quieſq́; (:)
Mens, ſibi & par, vnius & coloris,
Indice MALO.
Teſtis & CLEMENTIA *ramo* OLIVÆ, *&*
LENITAS *inſignis; eâ æquiores,*
(At Dijs impar) tamen anteibas
CAROLE *reges.*
Alta FRANCISCI, *& generoſa virtus,*
Viuaq́; & ſpirans animos paternos,
Arduus quin illi animus tenello in
Corpore teſtis; (:)
Sæpe nimirùm latitant puſillo
Spiritus in corpore celſiores
Nec toroſos ſemper amat lacertos
Viuida virtus.
Impiger FRANCISCVS *ad alta quæq́;*
Acer idem, neſcius & veterni,
Otij aut mollis, ſed amans laboris
Cultor honeſti:
Ille ſeu curis animum, artibuſq́;,
Quæ decent reges, colit, eruditq́;;
Cereos ad dura acuiſſe belli (:)
Seu placet artus:
Sæpe venatu inuigilat, fideli
Cerua ſiue eſt viſa cani, plagaſue

Ruperint Apri, Lupus aut propinquo
Inſtat ouili:
Multus alterno ſtudio reuiſit
Res tuas Roma, aut meditatur & quâ
Caſtra metari decet arte, queiſue
Legibus vrbes
Stantq; florentq;. Ac veluti coruſco
Iuppiter cum nubila ſcindit igni,
Latiùs fulget tenuis per atram
Flammula noctem;
Clara FRANCISCI, *& generoſa virtus*
Alpium effudit iuga trans niuoſa
Gloria illuſtris radios micantes;
Nomen & eius
Nobile euictis Sylüa tenebris
Hercyna venit Venetas ad aures,
Venit; & primo, meritoq; honore
Suſtulit illum
Clarus & prudens Venetûm Senatus.
Plura, quid dicam? via dura lethi
Omnibus calcanda, ſemelq; eôdem
Cogimur omnes.
Quis tamen non increpitans iniqua
Fata ſecuram requiem capeſſit,
Et cui ſalſus gelidusq; ſudor
Ire per artus
Non ſolet, Parcas capiti malignas
Quisquis inſtantes videt abſoluto

Iam ſuo penſo properare fila ab-
rumpere vitæ?
Fortis at FRANCISCVS *atram nequidquam*
Candido hærentem iugulo, ac prementem
Vidit infractus Lacheſim, oſq; anile
Inſpuit; illa
Ceteris mouit fugiens cachinnum.
Macte virtute, ô generoſe Princeps,
Gloriâ macte. Accipias ſereno
Laudibus hymnum
Floridum vultu, faueasq; proſper
Paruulæ Muſæ patrium canenti
Robur, excelſumq; animum, nec atro
Felle tumentem.

ENimuerò cum ex Virtutibus aliæ hominem informent in ſe, & erga ſeipſum; aliæ verò alios erga, & ad ciuilem ſocietatem accommodatè, ordiamur ſi placet ab illis primum virtutibus, quarum vis maxima ad iraſcibilis in nobis facultatis motus, cupiditateſque inteſtinas cæcas & temerarias comprimendas, quæque animum in omni fortunâ ſeu proſperâ ſeu aduerſâ ex æquo, & vt virum decet, ferendâ æquabilem reddunt & conſtantem, Fortitudinem dico & Temperantiam, *quibus quæ opponuntur vitia duo, eſſe multò omnium grauiſſima, ac teterrima dicebat Epictetus, intolerantiam & incontinētiam, cum aut iniurias, quæ ſunt ferendæ, non toleramus, neq; ferimus; aut à quibus rebus, voluptatibusque nos tenere debemus, non tenemus: Itaque inquit, ſi*

quis hæc duo verba cordi habeat, eaq́ imperando, atq́ obſeruando curet, is erit plerumque impeccabilis, vitamque viuet tranquilliſſimam; verba duo hæc dicebat; Ἀνέχου καὶ Ἀπέχου. Equidē cū hæ duæ virtutes cū admirabili animi æquabilitate, quæ nec aduerſis frangerētur, nec proſperis æſtuaret, in generoſo Heroe CAROLO III. illuſtres maximè fuerint, FORTITVDO præſertim incredibilis ſic in eo emicuit, vt cęterarum virtutum perſtringere & obſcurare fulgorem illa videretur. Fortitudinem autem cum dico, nolite putare me eam vim corporis intelligere, quæ lacertorum robore, aut dexteritate, pedumue celeritate, vel gladiatoriâ quâdam artuum agilitate vigeat; vel audaciâ militari glorietur. Fortitudo animi virtus eſt, quæ virum facit, & denominat; imo quæ hominem ſuprâ humanam naturam tollit, Heroum Diuûmq; ordinibus adſcribit, & honore ac gloriâ mactat ſempiternâ,

Hac arte Pollux, & vagus Hercules Horat.
Innixus arces attigit igneas.

Virtus ſcilicet *formidinis, atq́ confidentiæ moderatrix circa ea vniuerſa, quæ terrorem homini inijcere ſunt nata; & honeſtarum omnium atq́ glorioſarum parens actionum.* Ariſt. Etenim vires corporis vaſtæ & immanes minimè ad decus animi attinent, & baiulos operaſque potius quàm viros generoſos decent: longeque minus fortitudinis laudem gladiatoria ars, ſeu batuendi peritia ſibi vendicare poteſt, cùm multò minus generoſum certamen reputemus, quod cum fucis ſeu ſcarabæis non niſi ſubdolè atque incautos laceſſentibus & pungentibus, quàm quod cum tauris, vrſis, vel leonibus ſolâ mole & vi corporis pugnantibus cernitur. Prudenter, vt cetera, Lacedæmonij laniſtas, & luctæ magiſtros vrbe ſuâ expulerunt quondam, maius in naturâ quàm in arte robur ponendum rati; & Alexander verè magnus ob inuictum animi robur in ludis Olympicis certaminis aleam recuſaſſe ſemper dicitur, cauſſatus in iis priuatum hominem victorem poſſe euadere, regem autem vinci. Egregia ſcilicet laus eum maneat, qui corporis nitatur habilitate, quâ vel ab hiſtrionibus, funābulis, quiſquilijſque hominum, imo à ſimijs non arte, ſed naturâ edoctis longè ſuperetur. quod idem iudicium de militari audaciâ ſtatui certè debet, quam ſibi quippe arte ſeu inſtitutione atq; vſu cōparant pleriq; homines abiecti alioqui & anguſti animi, operæ ruſticanæ, ex fæce vulgi vilia quæq; mācipia, quibus non eſt in tāto corpore ignei vigoris particula; quin eadem inſita eſt (quod mirere) brutis ipſis animantibus femellis iuxtà atq; maribus: denique ad eamdem inflammantur, & ſæpe numero ex eâ gloriam reportant adducti ho-

mines aut ſpe libertatis, aut metu egeſtatis, captiuitatis, vel ſupplicij. Atqui vera virtus ſolâ vi animi nititur, qui dux vitæ mortaliũ eſt & imperator; immota ſcilicet intellectualis facultas, & maximi vigoris intellectualis actus, mentiſq; conſtantia & immutabilis habitus intra ſe, vt ſcribit Iamblichus, Ἀνδρεία νοεῖσθω ἡ κινητικώτατη ἐν τοῖς ἄτρεπτος νοερὰ δύναμις, καὶ ὅση ἀκμαιοτάτη νοερὰ ἐνέργεια, ἤτι τῦ νόυ ταυτότης καὶ μόνιμος ἕξις ἐν ἑαυτῇ: eaq; naturâ, & bonâ educatione comparatur, cum audacia ab arte, irâ & inſaniâ veniat, vti aduertit Plato; & porrò non aſſis exiguiuè lucelli, vel inanis gloriolæ vanâ ſpe lactata, non tædio vitæ dementata, non impetu, & cœco animi furore incenſa, aut veſanâ quâdam dominãdi libidine ceu œſtro percita; ſed ſolo honeſti deſiderio impulſa, ſolo recti, & æqui amore inflammata vi contendit, & nititur in ardua, minimeq; ijs turbatur, quæ fortunæ iniuriâ, & iniquitate humaniiùs in quamuis conſtantes cadere poſſunt, ſuiq; ipſius caſum qualemcunq;, vel etiam mortem minimè deiecto, ſed præſenti fert animo (benè namq; Euripides,

Ἐςὶ καὶ παίσιν τ' ἀρετὰν ἀποδείξασθαι θανάτῳ

Virtus in ipſâ morte certò prodıtur.

In lib ad Oly. de fortit.

lib de virtuti.

ἀνδρείας δέ ἐςι inquit Ariſtot. Τὸ δυσεκπληκτον εἶναι ὑπὸ φόβων τῶν πρὸς τον θάνατον, καὶ τὸ εὐθάρσῃ εἶναι, καὶ εὔτολμον πρὸς τοὺς κινδύνους, καὶ τὸ μᾶλλον αἱρεῖσθαι τεθνάναι καλῶς, καὶ αἰσχρῶς διασωθῆναι, καὶ τὸ νίκης αἴτιον εἶναι. *Fortitudinis eſt inconcuſſum à mortis metibus, & conſtantem in malis & intrepidum ad pericula eſſe, & malle honeſtè mori, quàm turpiter ſeruire & victoriæ cauſam præſtare.* Neq; vero eorum ignara eſt malorum fortitudo, quibus cum pugnare debet, ſed eorũ præſcia eſt, non ſtupida, aut ἀπαθής, honeſtiue & decori expers, ſed prouida, atq; æquitatis amans. *Fortitudo*, monebat Taurus Philoſophus, *non ea eſt, quæ contra naturã monſtri vice nititur, vltraq; modum eius egreditur aut ſtupore animi, aut immanitate, aut quâdam miſerâ in perpetiendis doloribus exercitatione; qualem fuiſſe accepimus ferum quemdam in ludo Cæſaris gladiatorem, qui cum vulnera eius à medicis execabantur, ridere ſolitus fuit. Sed ea vera, & proba fortitudo eſt, quam maiores noſtri ſcientiam eſſe dixerunt rerum tolerandarum & non tolerandarum.* ac cum præuideat fortitudo cuncta mala, ea quidem cauet & declinat quantùm in ſe eſt, & præſentia contemnit quidem, aut ſi mouetur & perhorreſcit, ac concutitur; viget tamen, & ſtat audax ſuâ virtute, nec percellitur, nec frangitur, nec dat manus.

Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes.

Argutum eſt illud Chryſippi, ἀλγεῖν μὲν τὸν σοφὸν, μὴ βασανίζεσθαι δε, μὴ γὰρ ἐνδιδόναι τῇ ψυχῇ; *dolere quidem ſapientem, ſed non torqueri, ſeu*

cruciari

cruciari neq; enim demitti animo. Fortitudo pericula contemnit & prouocat, pulcherrima pars eius maximeq; mirabilis illa eſt, non cedere ignibus, obuiam ire vulneribus, interdùm tela ne vitare quidem, ſed pectore excipere. Fortitudo eſt timẽdorum contemptrix, quæ terribilia ſub iugum libertatẽ noſtram mittentia deſpicit prouocat, frangit. minimè tamen eſt inconſulta temeritas, nec periculorum amor nec formidabilium appetitio: diligentiſſima in tutelâ ſui fortitudo eſt, & eadem patientiſſima eorum, quibus falſa ſpecies malorum eſt. Ille vir fuerit qui periculis vndiq; imminentibus, armis & catenis circumfrementibus non colliſerit virtutem, nec abſconderit. atque fortitudinis vis non in ſolo bello dominatur, ſed longè lateque patet & in omni vitâ regnat. Ἀνδρείας μὲν καὶ καρτερίας δεῖν πρὸς τὴν ἀσχολίαν, inquit Philoſophus, φιλοσοφίας δὲ πρὸς τὴν σχολήν. *Fortitudine & tolerãtiâ in negotio opus eſſe, Philoſophiâ autem in otio. Plena* namq; *& infeſtà varijs caſibus vita eſt, à quibus nulli longa pax, vix induciæ ſunt. viuereq; militare eſt. Fortitudo autem vera munimentum eſt imbecillitatis humanæ, quodque qui circundedit ſibi in hâc vitæ obſidione perdurat.* murus eſt aheneus aduerſus omnia, quæ mortalibus humanitùs contingere poſſunt. hæc ſiue ærumnæ nos, egeſtaſq; premant, ſiue carceris claudant ergaſtula, ſiue inuidorum maligni dentes venenato famam noſtram vulnerent morſu, ſiue exilium detineat, ſiue mors coniugẽ, liberos, fratres, amicos, & ſi quæ chara nobis capita demetat, iſthæc contrà nos firmos, ſecuros, animoq; erectos tenet.

[Senec. ep. 78] [Id ep. 85.] [Id lib. de tranq. vitæ c. 3.] [Ariſt. 7 Polit. c. 15.] [Sen. de conſol. ad Mart.] [epiſt. 96.]

θάρσος δ' ἐν πρὸς τὰς συμφορὰς μέγα σθένει [Euripid. in Bel]

Aduerſa contrà plurimùm fiducia
Valere cernitur.
Increſcunt animi, vireſcit vulnere virtus, [Furius.]

Hæc in caſu, in ſolitudine, in amicorum deſertione ſe erigit, ſpem in ſe reponit, ſe colligit, & tales nos vel ſolos reddit, quales in theatro publico, aut amicorum contubernio.

φεῦ τοῖσι γενναίοισιν ὡς ἁπανταχοῦ [Eurip. in Dan.]
πρέπει χαρακτὴρ χρηστὸς εἰς εὐψυχίαν.
Papæ! vt altæ mentis excelſa indoles
Locorum vbiuis addecet fortes viros,

Hæc, ſi ægritudo corporis lecto nos affligat, & ſæuo dolore tanquam clauo adamantino pactos excruciet, ſolatur mirificè, & tales in lecto quales in conuiuio iubet eſſe nos, ac facit. *Eſt mihi crede virtuti & in lectulo locus, non tantum arma & acies dant argumenta alacris animi, indomitique terroribus; & in veſtimentis vir fortis apparet. Habes quod agas. Bene luctare cum morbo. ſi nihil te coegerit, ſi nihil exorauerit, inſigne prodis exemplum.* Hæc denique fortunam potentiſſimam hu- [Senec. ep. 79.]

manarum rerum dominam ceu campum apertum eligit, in quo
Id. ep. 105. triumphet & exultet excelſus animus. *vnus eſt huius vitæ fluctuantis & turbidæ portus euentura contemnere ſtare fidenter in apertum, tela Fortunæ aduerſo pectore excipere non latitantem, nec tergiuerſantem. Valentior omni*
ep 99. *fortuna animus eſt, in vtramq; partem ipſe res ſuas ducit, beatæque ac miſeræ vitæ ipſi ſibi cauſſa eſt.* Stoicè, hoc eſt, generoſè Pançti us philoſophus. *Vita hominum, qui ætatem in medio rerum agunt, ac ſibi ſuiſq; vſui eſſe volunt, negotia periculaq; ex improuiſo aſſidua, ac propè quotidiana fert. Ad ea cauenda atq; declinanda perinde eſſe oportet animo ſemper prompto atq; intento, vt ſunt Athletarum, qui Pancratiaſtæ vocantur; nam ſicut illi ad certandum vocati proiectis altè brachijs conſiſtunt, caputq; & os ſuum manibus oppoſitis quaſi vallo præmuniũt: mẽbraq; eorum omnia priuſquã pugna mota eſt, aut ad vitandos ictus cauta ſunt, aut ad faciendos parata: Ita animus, atq; mens viri prudẽtis aduerſus vim, & petulantias iniuriarum omni in loco, atq; in tempore proſpiciens debet eſſe erecta, ardua, ſepta, ſolida, expedita, nunquàm conniuens, nuſquàm aciem ſuam flectens: conſilia cogitationeſq; contrâ Fortunæ verbera, contraq; inſidias iniquorum, quaſi brachia, & manus protendens, ne quâ in re aduerſa, & repentina incurſio imparatis, inprotectiſq; nobis oboriatur.* O præclaram fortitudinis laudem.
Sen. ep. 66. *Macte virtute eſto: ſanguinolẽtis & ex acie redeuntib' dicitur: itaq; hæc magis laudauerim bona exercitata, & fortia, & cum fortunâ rixata, quàm illa ſecura, & intentata fortuna. Ego non dubito quin magis laudem truncam illam & retorridam manum Mucij, quam cuiuslibet fortiſſimi ſaluam.* Quòd ſi tanta Fortitudinis vis in priuatâ vitâ conſpicitur, quantas eã
Taci. 1. Ann. in Principũ vitâ habere opportunitates putandum eſt; *arduum* nam-
Sen ep 92. que & *ſubiectum fortunæ cuncta regendi onus: nihilq; inauſum eſt fortunæ; aduerſus imperia idem habet iuris, quod aduerſus imperantes:* imo etiam obiectum odijs,

Sen. Theb. *Simul iſta mundi conditor poſuit Deus.*
Odium & regnum;

Et verè Antigonus olim dixit *τὰ μέγιστα καλὰ ἀντὶ μεγάλων κακῶν οὐκ εἶναι, ſumma bona magnis malis non carere.* Age ergò gratâ tãdem recolere memoriâ fortitudinem inuicti Principis Caroli III. incipiamus, ab inſigni eius patientiâ in eo ferendo, quod vnicum, verum, & eſſẽtiale malum iurè perhibetur, exorſi. Doloris ſcilicet ſenſus in primis acerrimus eſt adeò, vt eius vitandi non ſolùm opes omnes, ſed vitam quoq; ipsã ſæpe mortales vltrò gratificentur, ſiue nos, ſiue eos, qui ad nos pertinẽt, quoſq; vnicè amamus, is tangat. quãtâ autẽ cum æquanimitate & conſtantiâ fortis & Stoicus Princeps grauiſſimos morbos atq; diris cum cruciatibus corporis cõiunctos, eoſq; non breues, ſed

decennales, vel diuturniores in vno & altero è chariſſimis ſuis liberis tulerit, animus profectò meminiſſe horret, & ſatis à me explicari non poteſt. vidi equidem illum, vidi aſſiduum in leniendis dulci oratione atrocibus eorum doloribus, alacrem in erigendis animis diuturnitate morbi propè fractis, pariter atque vigilantem & prouidũ in iiſdem ſeu conſilio, ſeu omni genere remediorum vndecunque exquiſitorum iuuandis, & recreandis. ſciebat quippe eos conditione mortali natos, & ægritudines, aut corporis dolores ſæpè nutu diuino illis immitti, quibus alioqui omnia fluerent ad votum, ſalubrium monitorum vicem gerentes; quibus ſcilicet & in officio honeſtatis contineretur, & à voluptarum illecebris procliuis aliàs ad libidinem ætas reuocaretur ad virtutem. ſed, illi dolores, dices, vtpotè à ſuo ſenſu maxime alieni haud quaquam mouere Principem poterant! Fateor equidem, corpus eius minimè vulnerabant; ſed animum non pungerent eius, qui ſuos liberos oculis contrà chariores haberet, id vero pernego ſatis mihi conſcius lachrymarum perennium, quas ægritudo liberorum quotidiè à ſeuerioribus nedùm indulgentioribus exprimere ſolet parentibus. Quàm igitur ſe ſe animoſum geſſerit ſuiſmet in morbis & grauiſſimis doloribus æquiter ferendis operę pretium eſt meminiſſe. Quodam Saturnalium die Illuſtrem Principem nobili certamini de more moderantem ecce haſtæ fragmentum ex improuiſò impetu magno excuſſum repercuſſumq; impetit, iugulumque eius altiùs adigitur; ad quem ictum cùm ille nuſquàm exhorruiſſet aut expalluiſſet (quanquam parte quà ſpiritûs, & cibi cõmeatûs eſt via læſus, eoq; maiore cũ vitæ diſcrimine,) ſecurus animi iugulum chirurgo vltrò porrigit, & impactum euelli iubet telum, atq; in eo euellendo nullã querimoniæ vocem à ſæuiſſimo licet dolore ſibi exprimi paſſus, ſereno vultu, & conſtanti oratione perãxios omniũ adſtantium ánimos recreat, & confirmat. Quid commemorẽ magnitudinem animi in nephriticis doloribus tolerandis, qui atrocitate omnes cruciatus longè ſuperant, ac ferociores animos & vulneribus crebris aſſuetos domare deq; ſtatu ſuo deijcere ſolent, & vel eiulatus atq; vociferationes, quales ab Ixione, aut Prometheo flebiliter emiſſos Caucaſus latè remugiẽs reddit, extorquere? Equidẽ memini in primis illum non ſemel (nam à ſeſſione in conſilio aſſiduâ alioqui calidus naturâ facile procliuis fuit in hunc affectũ præſertim conſtanti ætate) primos quidem inſultus doloris nephritici longè acerbiſſimos noctes ferè integras tàm æquo tuliſſe animo, vt etiam minime pateretur me domeſticum Medicũ de nocte intẽpeſtâ & procelloſà ad ſe euocari, meã valetudinem propriâ chariorẽ habens;

quæ fuit incomparabilis humanitas patientiæ eius incredibilis comes: Paroxyſmi autem præſentis vehementiam equulei tormento haud inferiorem vidi illũ non paucos dies, ſed menſes integros modeſtè adeò tolerare, vt quanquam peruicacia doloris nullam illi quietem die, aut nocte concederet; tamẽ non molliter decumberet, aut ſe ſe hûc illûc parum decoré iactaret, ſed ſederet quies: alto duntaxat ſilentio inteſtinum tormentum indicans, nedùm deiectus animum, multà Deum, aut fata (vt fere fit,) nequidquàm increpans, & *tametſi ſigna quædam videre erat virtutis, & doloris de poſſeſſione hominis pugnantium, tamen nullos eiulatus, nullas complorationes, ne vllas quidem voces indecoras edebat miſerum ſe ſe & infelicem, vt pleriq; dolentes ſolent, appellans.* Non eſt hic neceſſe dicere, quod nimis peruulgatum eſt, ſanum ei dentem pro carie exeſo olim à trepidante chirurgo ſæuo cũ dolore euulſum, ignauiâ tamen huius verbo acerbiore minimè caſtigatâ, nedum lege talionis vindicatâ; aut vero transfixum ſemel & iterũ ſummũ pedem cauſtico medicamento, ſine tamen vllâ eiusdẽ querelâ. Nimirum Socratico animi robore eximius Princeps indecorum viro generoſo ſemper exiſtimauit pati vnquàm meliorẽ hominis partem in ſocietatem ærumnarum corporis venire, cuius hominis corpus eſſet duntaxat ergaſtulum, atq; ex eo conſenſu & Sympatheiâ de tranquillitate mentis deturbari: & porrò ridiculum eſſe admodùm, regium animum, omniaq; poſſidentem ob exiguum tunicæ detrimẽtum macerari, aut indignari. An enim cederet hâc conſtantiæ aut patientiæ laude vel puellæ in puerperio, vel Spartanis pueris, vilibuſq; mancipijs, qui cum Scæuolis, Pompeijs, Marijs, Poſſidonijs, de hâc gloriâ cõtendere potuit? Quòd ſi nullũ non dolorẽ corporis quàmuis crudum, & immanem pertulit infracto robore, atq; ſiccis oculis, quid animi habuiſſe eum putatis in ijs calamitatibus, quæ fortunæ iniuriâ & inſtabilitate ſæpè in vitâ mortalium interueniunt, ſuſtinendis? Jn ſeceſſu quodam aulæ regiæ Principi fortè commoranti cum magnam partem ſui palatij fortuito igne hauſtam eſſe denunciatum eſſet, Temperi, inquit, cõmodùmq; cecidit, ſi quidem de eâ ſuuditùs ſubruendâ ante cogitaueram. Eamne ille leuem fortunæ iniuriam iniquiùs ferret, qui litteris ſibi allatis de capto ab hoſtibus per dolum Stannæo minimè ſibi pectus tundens, aut muliebriter crinem vellens fraudem in hoſte, vel in ſuis ſocordiam criminatus eſt; ſed iniuriæ tãtæ nullam ſignificationem quàm per leuem litterarum ex ſummo digito ictum edidit, ratus potius ſuam magnanimitatem decere eam fraudem aperto marte vlciſci, & extemplò armato cum exercitu vrbem captam recipere, hyberna quàmuis anni conſtitutio ab obſi-

dione

dione diſſuaderet. Pari animi moderatione cladem ſui exercitus fuſi immodicá, ſed parùm cautâ Ducis fortitudine potiùs, quàm ignauiâ: certè loci iniquitate, atq; dolo hoſtili magis, quàm robore acceptam pertulit, edoctus illud Ageſilai, *ἀποσπεισάμενον μὲν ἀδίκως ἀσεβὲς, τοὺς δὲ πολεμίους παραλογίζεσθαι οὐ μόνον δίκαιον, καὶ ἔνδοξον, ἀλλὰ καὶ ἡδὺ, καὶ κερδαλέον.* *Fœderatum iniuſtè fallere impium; at hoſtes non ſolùm iuſtum, ſed etiam ſuaue & fructuoſum eſt.* Cùm verò ex aliâ parte *nuſquam minus quàm in bello euentus reſpondere*, quia Liui lib 30

Licet omne tecum Græciæ robur trahas, Senec. Theb.
Licet arma longè miles, ac latè explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

Neq; vero propterea prælij vnius euentu expauit, aut haſtam abiecit, non ignarus *Martem communem & victum ſæpe erigere & affligere victorem: Infirmi ingenij eſſe lapſu aliquo ſummæ rei diffidere, cum exiguis momẽtis ſubitò inclinentur omnia, quæ in bello geruntur.* Liui. *Turpis eſt*, ait ſapiens, *nauigij rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deſeruit, permiſit tempeſtati nauem: At ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clauum tenentem & obnoxium.* Senec de conſ. ad Mart. Quid quòd à potentiorũ miniſtris per vim occupatas detentaſq; res ſuas, iura, imperiũq; merum, tum agri fines, magnam pecuniæ creditæ vim, ne dicam prouincias, modeſté tulit ſemper; nec in eos qui vſurpaſſent aliquid ex rebus ſuis vindicãdũ, etſi illud factũ haud difficile, putauit vnquã; nec apertâ vi res ſuas repetitum iuit, æquiorem reputans eſſe mediocrẽ iacturam quàm bellum in ſe conuertere, *quod incipere cuiuis etiam ignauo licet; deponi, cum victores velint.* Salluſt. b. I. Quid quàm magnanimum ſe geſſit in orbitate liberorum, quæ trans uerſos etiam ſapiẽtum animos agere ſolet? vidi illum ad optimum & chariſſimum filium R. & Ill. Cardinalem (in quo tanquam in altero Athlante ſui ſalutem imperij innixam eſſe longè antè præuiderat; prædixeratq;) extremum iam iam ſpiritum agentem ex improuiſo accitum minimè tùm vultum deijeciſſe, ſed ſiccis oculis ad cœlum abeuntem proſecutum eſſe; ſciebat quippe liberos conditione mortali ſibi datos eſſe, mortẽ autem tot ærumnarũ & cruciatuum, quibus vita hæc obnoxia eſſet, vnicũ perfugiũ eſſe & tranquillioris vitæ principium; omninòq; de filiorum deceſſu cõqueri indecorum eſſe iuxtà; atq; quieti eorum inuidere iniquum. Age quid commemorem eius magnitudinem animi in bello, peſte, ceteriſq; publicis malis ſuſtinendis, quæ cum confertim, & magno cum ſtrepitu, ac fragore, omniumq; rerum perturbatione ſoleant irruere, eò formidoloſiora ſunt & grauiora? Generaliter profectò moderatè id accipiebat quidquid accidiſſet, quaſi ſibi voluiſſet accidere.

volebatque quidquid ſciebat ex decreto Dei fieri, atque ad hoc ſacramentum adactum ſe ſe gaudebat ferre mortalia, nec ijs perturbari, quæ vitare noſtræ non eſt poteſtatis.

Pindar. Pyth. od. 3.

ἐν γὰρ ἐσλὸν πήματα σύν-
δυο δαίονται βροτοῖς
Ἀθάνατοι. τὰ μὲν ὦν
οὐ δύνανται νήπιοι κόσμῳ φέρειν,
ἀλλ' ἀγαθοὶ, τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω.
Nempè Ioui in terras duo dolia plena malorum
Effundi, & vno rara vaſe commoda.
Porrò homines vani quidquid defluxit olympo
Graue aut acerbum ferre molles abnegant:
Cuncta viri fortes ſubeunt, & vulnera vitæ
Plagasq; celant, læta proferunt palàm.

Senec. ep. 108

Optimum igitur pati quod emendare non poſſet generoſus Princeps *ſẽper in animum* induxit ſuum, *& Deum, quo authore cũcta proueniũt, ſine murmure & ex animo,* non quia *neceſſe eſt ſequi,* ſeq; ipſum & ſua omnia, vt ille crebris vſurpabat ſermonibus, Deo vltrò regenda protegendaq; tradere. *Serena,* inquit Seneca, *ſapiẽtis mens eſt, nec quidquam incidere poteſt quod illam abducat, nihil æquè hominem quàm magnus animus decet. magnus autẽ animus qui ſe Deo tradit, & malus miles, qui Imperatorẽ ſuum gemens ſequitur: tum puſillus & degener quiſquis illi obluctatur, de ordine mundi male exiſtimat, & emendare mauult Deum quàm ſe.*

2. de Clem.

Pyth. od. 2.

χρὴ δὲ πρὸς
θεὸν οὐκ ἐρίζειν., canit Pindarus,
ὃς ἀνέχει τοτὲ μὲν τὰ κείνων,
τότε δ' αὖθ' ἑτέροις ἔδω-
κε μέγα κῦδος.
Quid Deum fruſtra fatuus laceſſis?
Iuppiter nunc hos decorat, modo illos
Tollit in altum.

Ibid.

φέρειν δ' ἐλαφρῶς
ἐπαυχένιον λαβόντα
ζυγὸν, ἀρήγει. ποτὶ κέντρον δέ τοι
λακτιζέμεν, τελέθει
ὀλισθηρὸς οἶμος.
Hoc iugum victor patiente collo
Sponte iam pridem domiti ferenius.
Non bene vrgenti ſtimulo repugnat
Taurus arator.

Et vir incaſſum ſuperare fata
Nititur.

Atqui cum non ſolum huiuſmodi malis ex tranſuerſo in vitã humanam incurrentibus non perturbaretur nec frangeretur, *neq; ea triſti aut malo vultu exciperet, nullumq; tributum inuitus conferret, (omnia enim ad quæ gemimus, quæ expaueſcimus, tributa vitæ ſunt) horumq; immunitatẽ nec ſperaret nec peteret*: etiam quædam ex ijs ad bonum publicum (ſingulare profectò imperterriti & conſtantis animi argumentum) conuertebat: nam cum è ſalute ſuâ eſſe putaret extemplò loca peſtilẽtiâ infamia relinquere, crebrâq; loci mutatione contagẽ à ſuo capite familiàq; depellere, poſtquàm vtiq; accuratè prouidiſſet, ne malum lõgiùs ſerperet, ita vniuerſam ipſe deinceps Prouinciam luſtrare pro more habebat, vt quaſi Cẽſor in ſuorum ſubditorum intereà inquireret mores, ac querelis miſerorum aures præberet ſalutares; quod à me in ſuo comitatu ſemper, ſedulòq; obſeruatum. Jam quoties neceſſitas, *cuius non eſt aliud effugiũ, quàm velle quod ipſa cogat*, ad arma mouenda generoſum virum vocauit, tùm vero ipſe vltrò ac ſpõte ſuum ærariũ, atq; domanium ad ſubitũ belli oppignerabat apparatũ, & alacritatẽ atq; animi ardorẽ cum prudentiâ coniunctũ in eo quidẽ ſuſcipiendo præſeferebat non mediocrem, fortem autẽ & inuictum in eodem gerẽdo ſe ſe gerebat. Quoties Mars concrepuiſſet ipſe primus in loricâ ambulare, primus haſtã quatere, primus hoſtium vallũ, ſeptaq; explorare, primus in agmine, primus in acie eſſe. Jn obſidione Stãnenſi, alibiq; ſæpiùs contigit fortè Illuſtria quædã capita latus magnanimi Ducis ſtipãtia tormento bellico è mœnibus hoſtium inopinatò excuſſo effracta, diſiectaq; latè antè pedes eius ruiſſe, terramque momordiſſe; & illũ tamen admirati ſunt omnes tã præſenti periculo imperterritũ Imperatoris tùm nequaquàm deſeruiſſe officium. quo certè quodnam illuſtrius fortitudinis in inuicto Principe ſingularis documentũ deſiderari potuit non facile video. Quid enim expaueſceret ille, qui quod eſt omniũ terribilium terribiliſſimũ nuſquã perhorruit? Rectè ſapiens, *ſi vltimum diem non quaſi pænam, ſed quaſi naturæ legem aſpicis, ex quo pectore mortis metum eieceris, in id nullius rei timor audebit intrare.* verum eſt certè illud Poetæ. Senec.

Α'ΐδεω γάρ ἐςι δεινὸς μυχός· Anacr.
Α'ργαλέη δ' ἐς αὐτὸν κάθοδος.
Spelunca Ditis horrida
Deſcenſus & huc horridus.
Terribiles viſu formæ lethumq; laboſq; Virg.

Quanquam enim quod genus mali in morte inſit mortalium nullus

pro certo vnquàm cæteris retulerit, vt eius ſcientiam, queadmodũ Socrates dictitabat, non niſi temerario vanoq; auſu quiſquam ſibi vindicare poſſit; & vero ad mortem volentes nolentes properamus, quæ vbiq; eſt & molliter cubanti, atque inter amicos agitanti iuxtà, atque ſudanti in campo Martio certò inſtat.

Aeſchyl.

Μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ
οὔτ' ἄν τις θύων οὔτ' ἐπισπένδων ἄνοις
οὐ βωμός ἐστιν, οὐδὲ παιωνίζεται
Μόνου δὲ πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.
Mors vna Diuûm calcat audax munera,
Illiq; nullus libat, aut pecudem immolat,
Decernit aram, pangit aut hymnum ſacrum,
Mors vna dæmonum eſt inexorabilis.

Adeò vt veré ſit dictum à nobili Philoſopho, ſeu Epicuro, ſeu Methrodoro *πρὸς μὲν τἆλλα δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι, χάριν δὲ θανάτου πάντες ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν, contra cetera omnia aliquid tutum inueniri poteſt, at contrà mortem omnes vrbem habitamus immunitã.* Quãquàm, inquam, hæc ita ſunt, quotusquiſq; eſt tamen per Deum immortalem, qui vel ad mortis memoriam toto non contremiſcit corpore, non æſtuat, non palpitat præcordijs, aut ad eam euitãdam non omnia non tentat, atq; molitur, & vero ſæpe in eamdem cœco quodam impetu præceps non ruit? Quotusquiſq; ab eius aſſiduo metu liber vel momento temporis inter nos viuit? *Huius metus victores Gentium vincit:* Hæc eſt immortalis illa Aquila, quæ iecur Promethei ſeu primi hominis, & poſterorum eius perpetuò tundit, ac depaſcitur,

Sen. ep. 78.

Rimaturq; epulas, & non innoxia corda.

Id. ep. 79.

Illa maxima eſt ex omni mortalium populorũ turba miſerorum, quam expectatio mortis exagitat vndiq; impendens. Nihil eſt enim vnde non ſubeat.

Eripere vitam nemo non homini poteſt.;
At nemo mortem, mille ad hanc aditus patent.

Nimirûm ex terrâ concreti, in terrâ & de terrâ alti, defixiq;, primæ, hoc eſt, cœleſtis originis noſtræ immemores terram ſolam ſapimus, terrã ſpiramus & ſperamus de cœlo nihil cogitantes, ne muſſitantes quidẽ, veluti pecora, quæ natura prona atq; vẽtri obediẽtia finxit. quò ſané tam laté peruagatur hic metus, tàm alté inſedit hominum mentibus, tàm acriter mortales coquit, vt qui cum potuit è pectore excutere, & ſe ſe ab eius aſſerere tyrannide. is iure veréq; fortis perhibeatur; *& fortiter pati mortem glorioſum ſit, & inter maxima opera mentis humanæ.* Equidem non temeré ſapientes viri fortitudinis apicem in moderatione præſertim vulgaris huius, ſed potentiſſimi aliàs metus

Sen. ep. 82.

poſuerunt, eiuſq; cardinem verti in euellendo penitus ex animis hominum vano huiuſcemodi terrore; denique in meditatione mortis ſapientiæ ſtudium omne collocarunt. οὐχ ὁ θάνατος δεινὸν. ἀλλ᾽ ἡ περὶ τὴν τελευτὴν ὕβρις φοβερὰ, dicebat Orator Græcus, *mors non eſt terribilis, ſed violenta affectio circa mortem horrenda eſt.* Ταράσσει τοὺς ἀνθρώπους, οὐ τὰ πράγματα, ἀλλὰ τὰ περὶ τῶν πραγμάτων δόγματα; θάνατος οὐ φοβερὸν ἐπεὶ καὶ Σωκράτῃ ἂν ἦν. ἀλλὰ τὸ δόξαι τὸν θάνατον εἶναι φοβερόν; *Perturbant homines non res ipſæ ſed rerũ opiniones, vt mors nihil terribile, alioqui & Socrati viſa fores. ſed ipſa opinio ſolùm de morte terrorem incutit.* Hæc enim eſt ſcientia libertatis: *qui contemnit mortem eſt dominus ſuæ & alienæ vitæ.* Hæc eſt ſcientia iucundè viuendi, ſine quâ vita ipſa acerba eſt, *& cum timore eius quo fruare deperdendi ſemper coniuncta. Nulli poteſt ſecura vita contingere qui de producendâ nimis cogitat, qui inter magna bona multos Conſules numerat. Fac itaq́; tibi iucundam vitam, omnem pro illâ ſollicitudinem deponendo.* Hæc eſt ſcientia benè ſtrenueq́; viuendi, atq; de repub. benè merendi. Acutè Muſæus, οὐκ ἔστι τὴν ἐνεστηκυῖαν ἡμέραν καλῶς βιῶναι, μὴ προσθέμενον αὐτὴν ὡς ἐσχάτην βιῶσαι. *Non poteſt is præſentem diem tranſigere, qui non eum diem ſibi propoſuerit extremum. Male viuet quisquis neſciet bene mori; non fruſtra naſcitur, qui benè moritur, nec inutiliter vixit, qui feliciter deſiit. Mori tota vita diſcendum eſt, & præcipuum ex vitæ officijs eſt.* Hæc deniq; eſt ſcientia immortalẽ gloriam, & decus cõparãdi.

Aeſchi. Epi. in Enchir. — Senec. ep. 4. — ib. — Senec. de tranq. v.

Rex eſt qui poſuit metus
Et diri mala pectoris:
Qui tuto poſitus loco
Infrà ſe videt omnia
Occurritq́; ſuo libens
Fato, nec queritur mori.

Senec.

Sapienter Muſonius, Ἅρπαζε τὸ καλῶς ἀποθνήσκειν, ὅτε ἔξεστι, μὴ μετὰ μικρὸν τὸ μὲν ἀποθνήσκειν σοι παρῇ, τὸ δὲ καλῶς μηκέτι ἐξῇ. *Arripe mortem honeſtam dùm licet, ne paulo poſt mori quidèm tibi neceſſe ſit; at honeſtè non ampliùs liceat;* Et Poeta lyræ Princeps

ὁ μέγας δὲ κίνδυ-
νος ἄναλκιν οὐ φῶ-
τα λαμβάνει. θανεῖν δ᾽ οἷσιν ἀνάγκα,
τί κέ τις ἀνώνυμον γῆρας ἐν σκότῳ
καθήμενος ἕψοι μάταν, ἁπάντων
καλῶν ἄμμορος.
Pericla molles non adeunt viri.
Sed quando lethi eſt certa neceſſitas,
Cur vllus obſcuram quieſcens

Pind. Olymp. od. 1.

Tranſigat in tenebris ſenectam.

Fortem igitur & vere magnum noſtrum Principem, qui nullum non ſubiit vltrò vitæ diſcrimen pro ſalute patriæ; qui fortunas, nomẽ, atq; caput grauibus toties periculis pro auitæ religionis defenſione obiecit. Nec mihi quiſquam tanti viri gloriam ear imminutum, haud facilem obtrectando mortis metui in eius animum patuiſſe aditũ, qui aut negotiorum multitudine præoccupatus, aut gloriæ ardore abreptus nihil tale potuit apud ſe reputare, aut qui nõ niſi equo alite & fugæ non ignaro, grauiq; armaturâ & multo milite circumſeptus ſemper animi ſecurus incederet. Enimuero quis generoſum principem reliquâ omni vitâ expalluiſſe vnquàm vidit, ſupercilium contraxiſſe, aut ſudantem tremuiſſe ad quemlibet de ipsâ morte ſermonem? vbi ille ſibi ingratam vitâ functorum memoriam ſignificauit, & à ſpectaculis moriendi neceſſitatem præfeferẽtibus tanquàm odioſis oculos auertit? aut timere cogitationem mortis oſtendit, aut quæſiuit quem ſibi Dii finem dederint, Babylonios ſectatus numeros, aut Genethliacos conſuleus, qui de motu poſituq; ſtellarum dicere poſſe, quæ futura ſunt, profitẽtur; aut deniq; alia eiuſmodi vani metûs delicatulis noſtris homunculis familiaria vnquam dedit indicia? Memorabile facinus magni viri hîc non poſſum nec debeo præterire. Quidam è magnatibus aulicis hominem eâ arte, *cuius, & falſi breue confinium*, percelebrem Romæ conſuluerat, & multâ ſtipe non ſolùm ſortẽ ſuam, ſed etiam genitalem horam Principis coemerat; reuerſus autem ſalutato Principi multis gratificatur de eâ ceu felicia omnia portendente, ſæpiuſq; ei vltrò & ingratijs obtrudit amolienti ſemperà ſe. quid tandem? Sapiens & generoſus Princeps falsâ ſpecie beneuolentiæ coactus oblatum quidem libellum accipit, ſed extemplò præter ſpem coram omnibus cum flammis mandat, oſtenditque ſe eiuſmodi præſagüs nec fidere, & nihil cum Accio Poetâ credere Auguribus, *qui aures verbis ditant alienas, ſuas vt auro locupletent domos*; vel Chaldæis, *qui ſi verà reſpondẽt, eaq; ſunt non proſpera, iam indè ex animo miſeri ſimus, fruſtra expectãdo antequam è fato fiamus. Si felicia promittunt eaq; euentura ſunt, tum plenè duo erunt incommoda, & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudii fructum ſpes tibi iam deflorauerit.* Non ignorabat magnanimus Princeps eo metu mortis tametſi peruulgato nihil vanius fingi poſſe, nè dicam ſtultius. Baſſus aiebat *tam ſtultum eſſe qui mortem timeat, quàm qui ſenectutem. nam quemadmodum ſenectus adoleſcentiam ſequitur, ita mors ſenectutem. Viuere noluit qui mori non vult; vita enim cum exceptione mortis data eſt: ad hanc itur: quam ideo timere dementis eſt, quia certa expectantur*

Tacit. 4 Ann.

A. Gell. l. 13 c. 1.

Senec. ep. 30.

dubia metuuntur. Mors neceſſitatem habet æquam & inuictam. quis queri poteſt in eâ conditione ſe eſſe, in quâ nemo non eſt, prima enim pars æquitatis eſt æqualitas. ſed nunc ſuperuacuum eſt naturæ cauſam agere, quæ non aliam voluit legem noſtram eſſe quàm ſuam. Quidquid compoſuit reſoluit: & quidquid reſoluit componit iterum. Ergo hanc naturæ noſtræ conditionem edoctus parem ille quidem in dubiis caſibus & morbis conſtantiam atque ſecuritatem de extremâ vitæ periodo ſemper retinuit. Memini equidem cum ante biennium magnanimo viro Dei benignitate horrendis quibuſdam ſympthomatis prænuntiis lethalis eius febris ſoporoſæ, quæ tandem illum nobis eripuit, iam liberato aliquid inſinuaſſem de grauitate illorum atque pernicie, gratulatuſque eſſem quod κλημακτῆρα communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum annum Auguſto dictum euaſiſſet; tum me non leuem ab eo reprehenſionem incurriſſe ob diffidentiã de ſuâ ſingulari animi firmitudine: Tune, inquit, credidiſti me fatalis diei prænuntiatione poſſe perturbari, quem iam pridem lubens expecto ſummi Dei nutui æternùm obnoxius, *huncque tantum oro, vt mihi quantumcunque ſuper eſt temporis, id ſaluis nobis traducere liceat in ſtatu Reipub. feliciſſimo,* ἀνδραγαθούντων ὑμῶν καὶ διαδεχομένων Quo conſtantiæ exemplo quod maius & illuſtrius expectari poteſt vel à Stoicis ipſis nedum ab Auguſto Imperatore, cuius ſuperior celebratur oratio in quarto & ſexageſimo natali ſuo celebrando. Socrates namque rogatus ab amicis, vt innocentiam ſuam iudicibus aperiret, intentatamque mortem auerteret, omnino recuſauit cauſſatus ſe quidem, *quæ mala eſſe ſciret, velle cum curâ euitare, mortẽ vero nec poſſe nec debere, quam vtique malam eſſe ignoraret.* Cleanthis autem hæ ſunt non fictæ, ſed ex animi ſenſu depromptæ, eæque magnificæ voces πρὸς καὶ τὰ τέταχά μου τὴν ὁρμὴν τῷ θεῷ. θέλει μ' ἐκεῖνος πυρέσσειν. κἀγὼ θέλω. θέλει ὁρμᾶν ἐπί τι. κἀγὼ θέλω. θέλει με τυχεῖν τινός. κἀγὼ βούλομαι. οὐ θέλει. οὐ βούλομαι. ἀποθανεῖν. θέλω. τίς ἔτι με κωλῦσαι δύναται παρὰ τὸ ἐμοὶ φαινόμενον, ἢ ἀναγκάσαι. οὐ μᾶλλον ἢ τὸν Δία. *Conſtitui & confirmaui voluntatem meam diuinæ, vult me febricitare? & ego volo; aliquid aggredi? volo; non potiri? volo; mori? volo. Quis iam igitur prohibere, aut cogere præter voluntatem poteſt non magis, quàm ipſum Deum?*

ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη
ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος.
Ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος. ἢν γε μὴ θέλω
Κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.
Duc me parens celſi dominator poli

Quocunq; libuit, nulla parendi eſt mora:
Adſum impiger: fac nolle, comitabor gemens,
Malusq; patiar, quod pati licuit bono.

Quid plura? non paucis ante diem fatalem menſibus à quibuſdam domeſticis ſollicitatus, vti in ſeceſſu quodam amœniorẽ aliquam domũ ſibi extrueret: ego verò, inquit, ſatis multa id ætatis extruxi nepotib' ædificia, mihi potius de ſepulchro deinceps domoque, in quâ æternũ recondar, cogitandum eſt ſeriò. Atqui non ſolum verbis, ſed re ipſâ incredibilem animi magnitudinem in contemptu mortis ſatis oſtẽdit. Nam primo ipſo inſultu extremi illius luctuoſiſſimi morbi non paucis ex ſuis, iiſque omni exceptione maioribus ſignificauit acceptiorem ſibi nullum haberi ſe coram ſermonem, quàm Reuerendi Patris Confeſſoris, qui liberé & rotundo ore de vitæ huius migratione ſecum colloqueretur: quâ in parte ei ita eſt obtemperatum, vt ab eius latere ne latum vnguem poſtea vſque ad vltimum vitæ ſpiritum religioſiſſimus ille vir vnquam diſceſſerit, quicum ſeriò excelſus animi Princeps colloqui non deſtitit per totum morbi curriculum; & quod caput eſt (quid enim magnâ cum fortitudine compoſita ſuperior vita, ſi veluti in extremo actu elanguit conſtantia illa?) cum iam iam ſe ſe adpropinquare ſupremis illi eſſet denuntiatum, minimé, quod vſu venit pleriſque (*vt ſunt molles in calamitate mortalium animi*) ille ſibi vitam reuocari retrò ſiue arte, ſiue quâuis ope, ſiue ſupplicijs muliebribus, à medicis, ab aſſidentibus, à Deo ipſo, mercede amplâ, genuum tactu, prece flebili parum generoſé, ne dicam molliter mercatus eſt, rogauit, efflagitauit: quin tranquillâ potius mente, & conſtanti animo cum ad inſtar cygnorum, (quos Plato ſi quando ſe breui perſentiunt morituros longè admodùm dulciùs canere conſueuiſſe memorat, quàm antea, *congratulantes ſcilicet quòd ad Deum ſint, cuius erant famuli, iam migraturi;*) memorabili oratione Illuſtribus liberis pacem concordiamque mutuam commẽdauiſſet mortalibus quaſi æterno Vale dicto ad Deum, vt Chriſtianum Principem decuit, conuerſus veniam & pacem humili animo ab eo popoſcit, ſe ſe liberos, ſuaque omnia tradidit, ſpes commendauit futuras, atque lubentem ſuo iuſſu ex hac vitæ ſtatione diſcedere, & ſequi ſuum Imperatorem oculis ſurſum erectis, manibuſq; in cœlum elatis demonſtrauit. Sæpe enim ſæpiùs apud ſe vir ſapiens reputauerat *mortem non ſolum eſſe maximum omnium malorum remedium;*

Tacit. 4. Ann. *In Phædo* *Eurip.*

Τὸ γὰρ θανεῖν
κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται;

Senec. ad conſ. ***Omnium dolorum & ſolutionẽ & finem, vltra quam mala noſtra non exeunt;***

quæ nos in illam tranquillitatem, in quâ antequàm naſceremur iacuimus, reponit; In hoc tā proceloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari nauigantibus nullum portum niſi mortis eſſe; ad Marc. & Id. de conſ. ad Polyb.

πάντων λιμὴν τῶν μερόπων ὁ θάνατός ἐστιν.

Et porrò ſciebat eandem veluti ſemen eſſe quoddam melioris vitæ, pontem ad campos Elyſios, atque viam ad immarceſſibilem felicitatem: *optimum quippe naturæ inuentum mors, nuſquam ſatis laudatum, & vitæ ipſi præferendum, quam nemo acciperet ſi daretur ſcientibus. Et dies iſte, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt & iucundioris, in quo æqualiter tibi ſplendebit omne cœli latus, totam lucem ſuo loco prope totus aſpicies, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intueris, & tamen admiraris illam procul. Quid tibi videbitur diuina lux, cum illam ſuo loco videris?* Apage enim vt cuiquam veniat in mentem generoſum virum aut in tanto otio, & rerum omnium abundantiâ ad mortem ſatietate vitæ captum læto properaſſe animo, aut vulgato apud nobilitatem præſertim errore fatalis & ineluctabilis horæ lactatum per ſocordiam ſuſque deque moriendi neceſſitatem habuiſſe: non enim latebat eum quod Philoſophus monet, ἐκ τοῦ βίου κράτιστόν ἐστι ἐξελθεῖν, ὡς συμποσίου μήτε διψῶντα, μήτε μεθύοντα. *optimum eſſe è vitâ tanquam è conuiuio diſcedere nec ſitientem nec inebriatum.* Id.' de conſ. ad Marc. Id. epiſ. 103. Ariſtot.

Summum nec metuas diem, nec optes.

Obiurgat Epicurus non minus eos, qui mortem concupiſcunt, quàm eos qui timent. Vir fortis & ſapiens non fugere debet è vitâ, ſed exire. neque etiam neſciebat nihil tam certum eſſe & ineuitabile, quàm extremum illū & fatalem vitæ diem αὐτόματον, qui quaſi naturalis nullâ extrinſecus vi coactus venit, quem diem quandocunque calor in nobis vitalis primogenio humido ceu pabulo ſenſim in dies abſumpto deſtitutus tenues abierit in auras, vnaque ipſa anima ſuum deſeruerit domicilium, nulli vnquàm datum eſt excedere aut reuocare: etſi tamen (*multa enim impendere videntur præter naturam etiam præterq́; fatum*, vt monet Marcus Tullius) eum ſæpe diem præuertere, & antecapere violentas interitûs cauſſas contingit, ob quas mortalibus præſcriptus eſt terminus nullus mortis. Senec. ep. 24.

ἤτοι
βροτῶν γε κέκριται
πεῖρας οὔτι θανάτου
οὐδ' ἀσύχιμον ἁμέραν
ὁπότε παῖδα ἁλίου
ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ τελευτάσομεν·
ῥοαὶ δ' ἄλλοτ' ἄλλαι
εὐθυμιᾶν τε μέτα καὶ πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν.

Pind. olymp. od. 2.

Nemo poſtremam ſibi mortis horam
Praſcius nouit, neq; quando puros
Debeat ſoles vacuoſq; triſti
Cernere nube.
Nos velut fluxus maris & refluxus
Pellit incertos, hominumq; vitam
Gaudium alternis vicibus, dolorq;
Verſat acerbus.

Quas certè mortis non naturales cauſſas humanæ prudentiæ eſt anteuidere & amoliri à nobis, itaq; vitam ipſam in ſenium vſq;, ſeu A.Gell l. 13. c. 1. incuitabilem marcorem producere: vt fatum, (*é quo non veniunt quæ violenta ſunt,*) atque aſtra, quæ ſalutari influxu vitam potius ſeruare nata ſunt, quàm auferre, nequidquam incuſemus. Sene de conſo. Ad Polyb. *Non eſt iſta fatorum iniquitas, ſed mentis humanæ prauitas inſatiabilis rerum omnium, quæ indignatur inde ſe exire, quò admiſſa eſt precario.* Ad concionis quidem plauſum Orator græcus, *πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις τοῦ* Demoſth: *βίου θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις ἑαυτὸν καθείρξας τηρῇ mors quidem hominibus eſt vitæ terminus, etiam ſi quis incluſum in caueâ ſe ſe ſeruet*, ſed ad ſtomachum ſocraticum addit. *δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ᾽ ὅ,τι ἂν ὁ Θεὸς διδῷ γενναίως, oportere bonos viros ſemper omnia bona capeſſere bonſpe fultos & ferre interim quidquid Deus dederit fortiter.* Quòd ſi in iis rebus maximè omniū formidoloſis erecto, infractoq; animo conſtitit generoſ' Princeps, quid de fortitudine eius plura deſideramus? Hic me fortaſſe aliquis reuocat tacitè, atque metū infamiæ, calūniæue, Senec: conſol. Ad Helu. *quæ vel ſola animos opprimere ſolet*, in quo excutiēdo non minor virtus eſſe videatur, ingerit. Salom. pr. *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius.* Pindar. pyth. od. 2.

ἐμὲ δὲ χρεὼν
φεύγειν δάκος ἀδινὸν κακαγοριᾶν
Par eſt malignos me maledicentiæ
Vitare morſus.

Equidem ſi ſuæ famæ retinendæ, atq; amplificandæ ergò, vel omnem vitæ aleam optimus quiſque vltro & ſponte ſubit, quantos profectò aculeos in animis hominum infamiæ metus ſoleat inijcere, atque infligere vnicuique facile eſt coniectare. cum autem ad famā et nominis celebritatem aliud alij natura iter oſtendat, pleriq; tamen, ò mores! ò pudor! ad eam non aliā viā graſſantur, quàm per alienæ gloriæ oppreſſionem, ſcilicet. Perſ.

Omnes videmur nobis ſaperda, feſtiui, belli; cum ſimus copreæ.
& in noſtris vitijs Thamyræ

Non

Non videmus manticæ quod in tergo eſt; Catull.

In aliorum autem vitâ & peccatis cernendis Lyncei ſumus & Ariſtarchi: hinc inſitâ quâdam malignitate ad inuidiã, & maledicentiam procliues paſſim omnium famam arrodunt dente liuido, non ſecus ac canes ſine cauſsâ & diſcrimine latrare ſolent. ex quo qui ſingulari quamuis innocentiâ & integritate vitæ ceteris præluceant, paucos aut nullos reperias, quorum fama alienæ maleuolentiæ non pateat, & conuitiis, certe dicacitate non laceretur: non parui vero refert iudicio ſapientũ, quo quiſq; animo eas famigerationes accipiat. etenim ingenuũ in primis eſt ſuas quemq; in ſe ſe agnoſcere culpas, & porrò ſalutare ab aliis coram nobis detegi & propalari, quæ nos feré latẽt altiùs inſita animis noſtris vitia, quò pudore & verecundiâ ſeu aſperis monitoribus caſtigati ad meliorem redeamus frugem, atq; ſocordiam noſtram excitemus; tum vero generoſum & decorum eã vnam pulchram, & glorioſam vindictam ab inuidis, & maledicis depoſcere (intereà dùm permiſſu Dei

Linguas
Pœna grauis ferit inſolentes Pindar. Olyp od. 1.
ἀκέρδεια λέλογχε
θαμινὰ κακαγόρως)

ſi malè ſana eorum conſilia, & iniqua ſtudia in noſtrum bonum & melioris vitæ fructum conuertamus, omneſque deinceps ſuggillandi & inequitandi cauſſas ſubtrahamus:

φθονεροὶ δ' ἀμύνονται ἄτα Idem Pyth. od. 11
εἴτις ἄκρον ἑλὼν, ἡσυχιᾷ τε
νεμόμενος, αἰνὰν ὕβριν
ἀπέφυγεν.
Exedit & cor vel ſuus inuidi
Priuatus error, ſi ſiet obuius
Communis oti cultor, actis
Alta petens, meritiſque magnus,
Atq; inſolentis imperij fugax.

Contrà parùm ſanæ mẽtis eſt, ne dicam, prurigine laborantis eorum, cum quibus contubernio communi humanæ ius ſocietatis nos obſtrinxit, procacitatem, & proteruiam iniquo ferre animo, ac ſalibus, aut dicteriis lædi, irritari, & incandeſcere. nam qui integer vitæ eſt, & nullius in ſe culpæ, aut in alium iniuriæ conſcius, is ſpernendis rumoribus validus *moderatè fert referta contumelijs, quæ ſpreta exoleſcunt; quæ alias ſi iraſceretur, agnoſcere videretur, & deſpuit.* Tacit. 4. Ann.

Iſthunc

Iſthunc theſaurum ſtultis in linguâ ſitum
Vt quæſtui habeant male loqui melioribus;

Senec. ep. 92. Eorum voces cum Demetrio philoſopho eodem loco ſibi eſſe, quo ventre redditos crepitus putat, & ne quidquam ventoſis atque inanibus impetitur verbis, fruſtrà ex ſuperuacuo laceſſitur. vt ſcopulus aſſilientes vndas ſine motu ſuo vllo frangit; ſic magnanimus vir conuitiatores ſine acerbitate, aut irâ non minus quàm intemperiem mulierum, puerorum petulantiam, hiſtrionum procacitatem, aut temulentorum ſuſtinet iurgia. *apud Stobæ.* λέγουσι δὲ τὸν σοφὸν καὶ ἀνύβριστον εἶναι. οὔθ' ὑβρίζεσθαι γάρ, οὔθ' ὑβρίζειν, διὰ τὸ τὴν ὕβριν ἀδικίαν εἶναι καταισχύνουσαν καὶ βλάβην; *aiunt ſapientem iniuriæ exortem eſſe, vt qui nec capiat eam, nec inferat; eſſe enim iniuriam iniuſtitiam quandam cum dedecore aut damno coniunctam.* non infert ſanè ſapiens iniuriam, qui iuuare tantùm ſit natus; ſed neque ei infertur, vt potè qui non admittat, aut aduertat, ſuâq; virtute nixus aſpernetur, atque reijciat à ſe omnem infamiam & damnum. *Senec. ep. 81.* *vir bonus*, inquit Seneca, *vtroſq. calculos ſic ponit, vt ſe ipſe circumſcribat: beneficio adiicit, iniuriæ demit. Ille alter remiſſior iudex (quem eſſe me malo) iniuriæ obliuiſci debebit, officium meminiſſe.* calumnias certe & mendacia leui manu, aut potius ſilentio abſtergit, & prudenter, quia

Plaut. *Bacchæ bacchanti ſi velis aduerſarier,*
Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſæpius:

Indignumque ſtatuit & indecorum ſe componere & veluti includere in eodem campo cum ijs, qui malé loquuntur, quia bene loqui neſciūt, & faciunt quod ſolent & ſciunt; malè quia mali & ſecundum ſe, quos propterea vincere inglorium eſt, & à quibus atteri ſordidum. *Senec.* *facit enim ſe aduerſarium quisquis contendit, & vt vincat par fuit.* Quanquam igitur ob eximiam corporis pulchritudinem, & honeſté atque generosè ante-actam vitam Scipio noſter nullis eſſet dicterijs, nedum conuitijs opportunus; tamen cum in iuſtitiæ adminiſtratione, in aduerſariarum conciliatione partium, ceteriſque publicis officijs ad Principis curam pertinentibus haudquaquam de aliquo benè mereri poſſet, quin alterius modò parùm prudentis affectum & voluntatem à ſe ſe quodammodò alienaret; ità ſane iniquiores & immodeſtos eorum, qui ſe ab illo læſos temere crediciſſent, ſemper tulit ſermones, vt nuſquàm animo excandeſceret, ſuique acerbiùs appellati ægritudinem aliquam præſeferret minaciore vultu, aut aſperiore verbo, ne dum re ipsâ putaret vlciſcendū. *de Clem.* *Magni animi* ait Seneca, *placidum tranquillumque eſſe, & iniurias atque offenſiones ſuperne deſpicere.* Throſſulus quidam & ferocùlus cum contumelioſis verbis maieſtatem Principis temeratiè & publicè imminuiſſet, atque tantæ

iniu riæ

iniuriæ fama ad eius aures perueniſſet, quid aliud reſpondiſſe vindicandam eam iniuriam ſuadentibus primariis viris generoſum Principem putatis, quàm quód Platonem ipſum factitaſſe memorant, qui cum ad eum delatum eſſet, nonnullos ipſum maledictis inſectari-er, *ego verò*, inquit, *ſic viuam, vt illis nuſquam fides habeatur*? Ita noſter Princeps non diſſimili verbo temerariã audaculi hominis linguam caſtigauit, Iſte equidem ſi me accuratè noſſet haud dubito illum aliter de me & ſenſurum, & locuturum. Scilicet magnanimus vir Scauris, Africanis, & Catonibus hâc in laude non inferior non ignorabat *æquo animo audienda eſſe imperitorum conuitia, & ad honeſtã vadenti contemnendum eſſe iſtum contemptum. Quid ergo? inquit ſapiens, nemo erit qui laceſſat? qui tentet? nihil in rerum natura tam ſacrum eſt, quod ſacrilegum non inueniat: ſed non ideo diuina minus in ſublimi ſunt ſi exiſtunt, quæ magnitudinem multùm vltrò ſepoſitam non icturi petant. Inuulnerabile eſt nõ quod non feritur ſed quod non læditur.* Atq; hæc de heroicâ fortiſſimi Principis magnitudine animi ſatis multa huc uſque dicta ſint à nobis, præſertim cum in omni eius vitâ cum priuatâ tum publicâ, prudentiæ, magnificentiæ, ceteriſque eius claris virtutibus diuinam quandam conſtantiam fuiſſe ſemper adiunctam vnuſquiſque ex his, quæ à nobis poſtea dicentur, facilè intelligere poſſit. Quî enim per Deum immortalem! in tam turbulentis totius Europæ temporibus Imperium ſuum pacis artibus boniſq; omnibus florens retinere, & amplificare: in tã variis Eccleſiæ diſcriminibus auitam religionẽ tueri & propagare per ſexaginta annos & vſque ad extremum vitæ ſpiritum potuiſſet, niſi celſâ quâdam mente & inuicto animi robore Rem pub. temperaſſet? Prætereo reliquam vitam eius ab adminiſtratione Reipub. liberã nuſq̃ otio turpi & ignauiã fœdã, ſed venatui, labori, ſtudijſque honeſtis, & artibus decoris ſemper intentam. Taceo quã acrem ille vel in apris venabulo feriendis, vel in ceruis trunco tenus gladio mactandis ſe ſe geſſerit; quàm fortem & ſtrenuum in præclaris quibuſque, aut arduis facinoribus ad Reip. ſalutem, aut decus familiæ pertinentibus & ſuſcipiendis, & perficiendis ſe ſe oſtenderit. Iamdiù enim ceteræ virtutes quæ & cum fortitudine cohærent proximè, & à quarum exemplis haud dubiam fidem incredibilis in magno Heroe fortitudo acceptura eſt, ad ſe me non reclamantem vocant, quæ ſcilicet, rectè componunt appetitum in nobis iraſcibilem, vt is in honoribus præſertim magnis mediocritatis ſit retinens, & tùm modeſtia, tùm μεγαλοψυχία ſeu magnanimitas Philoſopho dicitur, quæque iræ alioqui honoris ipſius fideli cuſtodi, ſi quando offenſæ occaſio adeſt, moderatur, conſtantemque virum reddit in

Id. ep. 77
Id l. quod in
bap. c. 3.

eius, quod ratio decorum inſinuauerit, firmâ prælectione, quæ virtus Manſuetudo ſeu Clemẽtia indigetatur. Enimuero in honoris deſiderio, quo optimus quiſque à naturâ ducitur, MODESTIAM, & moderationem eam magnanimus Princeps tenuit, vt cum in omni vitâ nihil ſe, eâque, quam ſuſtineret, perſonâ cõmitteret indignum, ſed alta quæque, & ardua ſuſciperet, tum vero in ſummâ fortunæ amplitudine nuſquàm tamen ipſe inſoleſceret. Mihi profectò multa legenti, multa audienti, quæ Romani, & Græci domi militiæque, mari atque terrâ præclara facinora fecere, forté libuit attendere, quæ res maximè tanta negotia ſuſtinuiſſet. Sciebam ſæpenumero parua manu cum magnis legionibus hoſtiũ contendiſſe; cognoueram paruis copiis bella geſta cum opulentis Regibus, ad hoc ſæpe fortunæ violentiam toleraſſe: facũdiâ & ſapientiæ ſtudio Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuiſſe. Ac mihi multa agitanti conſtabat paucorum ciuium egregiam virtutem multa patrauiſſe, ſed longé plurium incenſos ſola gloriæ cupiditate animos pleraque ardua ac memoranda confeciſſe, & inter illos memineram Ariſtidem, Phocionem, Epaminundam, Pythagoram, Socratem, Scipiones, Catones; in his autem Alexandrum, Themiſtoclem, Caeſarem, Ariſtotelem, Demoſthenem, Ciceronem, innumerabileſque alios floruiſſe, ac difficilia quæque & magna ad vtilitatem publicam redundantia tentaſſe: vno

Tac. 4 Ann. verbo *optimos mortalium altiſſima cupere.* Scilicet honos magnũ momẽtum habet ad noſtros inflammandos animos ad omnia pericula ſubeunda, & ardua quæque capeſcenda, *idemque honos alit artes & incenduntur omnes ad ſtudia gloriâ*: quin omnium ingenioſé

Cic. 1. Tuſc. inuentorum, induſtriè perfectorum, atq; dictorum magnificé, nec non omnis militaris fortitudinis honos eſt parens. deniq, quanquam egregia à nobis facta aliorum opinione metiri ſapientes vetant, permittunt tamen declinare quantum in nobis eſt ea damna, quæ contemptum approbationis, iudiciiq; alieni ſolent conſequi: *nam contemp-*

Tacit: 4 Ann *tu famæ contemni virtutes.* Quæ etſi ita ſunt, ineſt tamen gloriæ ſtu-

Dionyſ Hal. car. 1. Antiq. Rom. dio à naturâ, *eius enim rei culpã natura ſuſtinet, quæ cum omnibus bonis mala iuſſit exoriri & ſuboleſcere,* ἡ δὲ φύσις ἐστὶν αἰτία προσθεῖσα τοῖς ἀγαθοῖς ἅπασι καὶ κῆρας συμφύτους; ineſt, inquam, neſcio quid proprio poſſidentis otio, & libertati inimicum; & vero publicæ etiam quieti, ac iuris æquabilitati aduerſum. Etenim *miſerrima eſt omnino ambitio, hono-*

Cic. 1. offic. *rumque contentio*, & præſertim in ſummis viris hoc nomine, quòd populum arbitrum vitæ, rerumque ſuarum nacti viciſſim inſanæ turbæ ſeruiant & ancillentur, quod Agamemnon apud poetam

Eurip. Iph. vltro fatetur,

προςάτην γε τοῦ βίου τὸν δῆμον ἔχομεν,
τῷ δ' ὄχλῳ δουλεύομεν.

ex quo hominis & vetuli, & ſerui fortunis inuidere ſe ait, beatoſque iudicare, quibus tutam & ingloriam vitam liceat traducere.

Ζηλῶ σε γέρον, Ζηλῶ δ' ἀνδρῶν
Ο' ἀκίνδυνον βίον ἐξεπέρας ἀγνὼς, ἀκλεὴς
Τοὺς δ' ἐν τιμαῖς ἧσσον ζηλῶ.

Benè vixit, qui benè latuit. Quæ enim prô hominum fidem! miſeria ſe Tyranno potentiſſimo mancipare, qui nullam quietē animis noſtris impartiatur, ſed perpetuò excruciet mirîſque agitet modis; ſed Genium optato fruſtretur otio; ſed libertatem, quâ nihil charius habemus eripiat; ſed nihil niſi rumuſculos inanes, & fumi vmbram polliceatur? Quæ infelicitas tot labores ſubire, tot ſe periculis obijcere eius rei cauſſâ, quæ naſcitur ex ſermone populi, poſita eſt in aſſenſione imbecilli imperitæ multitudinis, & ex fama pendet, qua quid eſſe poteſt vanius, leuius & inconſtantius? Hanc hominis ambitioſi miſeriam & ærumnoſam vanitatem Poetæ in Ixione nobis luculenter expreſſerunt. vt enim ille pro *Iunone*, cuius amore incenſus erat, nubem complexus Centauros fertur genuiſſe, & hoc libidinis ſuæ luere ſupplicium, vt radijs rotæ diſtrictus pendenſque ſine fine circum agitetur; ſic iſti honoris inconſulta cupiditate inflammati dum inanem eius ſpeciem amplexantur, nihil animo niſi mera monſtra concipiunt, vanâque expectatione ſuſpenſi, & nuſquàm mente vel corpore conſiſtentes in ambitionis rota perpetuò verſantur. *Relinque ambitum* monet Sapiens, *tumida res eſt, nullū habet terminū: tam ſollicita eſt, ne quem ante ſe videat quàm ne alium poſt ſe: laborat inuidiâ & quidem duplici. Vides autem quam miſer ſit is, cui inuidetur.* Ex quò ſane maximè laudanda mediocritas in deſiderio honoris nobis à natura inſito, *cuius* ſcilicet *etiā ſapientibus cupido noniſſima exuitur.* & vero ea omni prædicatione maior reputanda in ijs qui fortunæ benignitate ſupra ceteros eminent. Atqui mihi magnifica fortiaq; facta generoſi Principis perſæpè intuenti, & ex aduerſo animum eius ab omni ambitione alienum, atque ad modeſtiam natum conſideranti omninò conſtituendum videtur non tàm gloriæ & honoris cupiditate illū, quàm ſingulari virtutis & honeſtatis amore accenſum ſtudia omnia, labores, vigilias, vitamque omnem ad boni publici vtilitatem contuliſſe. Enimuerò *quamquam cetera Principibus ſtatim adeſſe, vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam* credebat, tamē de virtute ſic præclarè ſentiebat, vt eam ſibi ſufficere, ſatis præſidij, ſatis ornamenti, ſatis dignitatis putaret in ſe habere; ipſamque vnam ſui mer-

Senec ep. 85.

Tacit 4 Ann

cedem eſſe ampliſſimam, alienæ commendationis, & exiſtimationis vulgaris minimé indigentem; nullum denique propria conſcientiâ *Tacit. 4 ann* ſplendidius theatrum nos habere; atque quemadmodum Sol, quò à vertice noſtro aſſurgit altiùs, eò minorem relinquit vmbrã; ità quãtò virtus magis fulgeret, illam tantò gloriam depoſcere crederet mediocrem, gloriam, inquam, vmbræ veræ imaginem, non vmbram; ſi quidem fugientes ea ſequi ſolet, vltrò captantes fugere. Cum igitur ſolâ animi iucunditate, quæ virtutis comes eſt, *& laborum optimus medicus,*

Pind. Nem. od 4.

Ἄριστος εὐφροσύνα
πόνων κεκριμένων
ἰατρός.

& vt Democritus dicebat, *αἱ μεγάλαι τέρψεις ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι τὰ καλὰ τῶν ἔργων γίγνονται; magna gaudia ex facinorum præclarorum ſpectaculo naſcuntur*: cum, inquam, ſolo gaudio virtutis comite eoque interno & ingenuo contentus viueret, ſæpé quidem illud non diſſimulabat, cuius priuatio alioqui anguſti animi, certè famæ ſuæ valdé negligentis foret argumentum, nullam tamen aliam præter ipſam virtutem deſiderauit mercedem, aut ambiuit. vbi namque locorum ſuæ ditionis aſsẽſu eius, nedũ iuſſu ſtatuas équeſtres, ſimulachra, corollas, pyramides, columnas, obeliſcos, arcus triumphales & eiuſmodi *δοξῆς ἐξανθήματα*, gloriæ bullas Antiſthenis diſcipulo Cynico vocataé marmore, ex ære, aut auro conflata tot heroicarum virtutum, tot ingentium in Rempu. é medijs flammis ſuo labore ereptam beneficiorum monumenta extructa, cœloq; æquata videmus? vbi aliquod heroûm noſtri Herculis Muſagetæ illæ habent Athenæ? An vnquam illi venit in mentem, vt hiſtoricos, poetas, & eiuſmodi diſertos ſuarum laudum præcones magnis aleret ſtipendiis? vix certè ab illo impetratum, quod vel à philoſophis nuſquam neglectum fuit, vt nomen eius ſaltem inſcriberetur atq; inſculperetur tot editis magnificis operibus in curioſæ poſteritatis gratiam: & conſultiùs atque ſuæ pietati modeſtiæque decentiùs viſum eorum frontiſpicia delubris & imaginibus Diuorum decorare, quorum ſcilicet Diuorum tutelæ opera ſua crederet. an illum deniq;, quo tempore ſcilicet ſibi moriendum eſſe propè videret, de iuſtis more regio defunctoſ faciẽdis cura vnquàm fatigauit? minimé certé, ſed vnâ loci, in quo inter maiorum ſepulchra decoré conderetur, deſignatione contentus fuit. Scilicet cum ſciret vnumquemque noſtrum in hoc mundi theatrum eâ lege veniſſe, vt delatam à ſummo rerum Moderatore ſuſtineret perſonã, nihil prius vnquàm aut antiquius habuit quàm

demanda-

demandatam ſibi ab illo regendi alios prouinciam vt magnâ cum fide & curâ adminiſtraret, ſuasque virtutes egregias ſuorum potius animis, quàm lapidibus vel metallis imprimeret atque relinqueret *tanquam delubra, & pulcherrimas effigies, & manſuras. Nam quæ ſaxo ſtruuntur, ſi iudicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulchris ſpernuntur.* Age enim cum duo ſint tempora, in quibus animus ſibi præſens eſſe debet & apud ſe ſe habitare maximè, quorum alterum aduerſa, alterum proſpera fortuna ſibi viciſſim vindicant; nam, vt canit Poeta lyricus *Tac. 4 ann.*

Pind. oly. od. 2

ῥοαὶ δ᾽ ἄλλοτ᾽ ἄλλαι
εὐθυμιᾶν τε μέτα κ᾽
πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν

Nos velut fluxus maris & refluxus,
Pellit incertos, hominumq; vitam
Gaudium alternis vicibus, dolorq;
Verſat acerbus.

Dubium ſemper fuit, in vtro tempore ſibi animus proſpicere, ac cauere potiſſimum deberet. Vtrumq; enim eſt veluti certaminis ſingularis campus, in quo virtus eius ſolet eluceſcere; hæc eſt ſchola, in quâ periculum certum, & experimentum de induſtriâ & eius magnitudine fit; hic lapis Lydius, quo vis eiusdem probatur. Etenim aduerſa fortuna animum plerumq; frangere poteſt atque deiicere, certé neruos incidere: quanquam autem videtur *non eſſe magni animi ſe rebus proſperis fortem gerere, vbi ſecundo curſu vita procedit; Nec gubernatoris quidem artem tranquillum mare, & obſequens ventus oſtendit; aduerſi aliquid incurrat oportet quod animam probet*: tamen cum ſecunda fortuna clam & pedetentim irrepat, atque quibuſdam blanditiarum præſtigiis illudat animo, eum certè ſenſim effœminat, ipſumq; quaſi extra ſe ſolet effundere, vt quid faciat deinceps ignoret, neminem pati, cum nullo æquiter viuere poſſit. Animus rebus ad votum fluentibꝰ plus ſatis ſecurus, nimiumq; ſibi confidens hallucinatur facilé, malè feriatur, idemq; vaniter intumeſcit. *Scio ſolere*, dicebat Marcus Cato Cenſorius, *plerisque hominibus in rebꝰ ſecundis, atque prolixis, atque proſperis animum excellere, atque ſuperbiam atque ferocitatem augeſcere. Quid quid leue & inane in animo eſt ſecunda ſe aurâ ſuſtollit. & in alto poſitum non altè ſapere difficile eſt.* inde per ſocordiã incautus animus grauia incurrit pericula, & maximé quod omniũ inuidiã ad ſe trahat. *ô quantum caliginis mentibus humanis obiicit magna felicitas. Ipſa felicitas, ſe niſi temperat premit; ſi fugaciſſimis bonis credidit cito deſeritur, & vt non deſeratur, affligitur. Magni animi eſt magna contemnere, ac medi-*

Senec de conſo ad Mart.

Senec de Ira
D. Bern. epiſt.

Senec. lib. de breu. vit.
Id. ep 75.

diocria malle, quàm nimia; illa enim vtilia vitaliaque ſunt: at hæc eò quod ſuperfluunt nocent; ſic ſegetes nimia ſternit vbertas, ſic rami onere franguntur, ſic ad maturitatem non peruenit nimia foecunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit, quia non tantum in aliorum iniuriam, ſed etiam in ſuam vtuntur. denique ſecundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant, quia miſeria tolerantur, felicitate corrumpimur. Quæ ſi ita ſunt, quid mirum ſi paucis deponere felicitatem molliter licuit, & verè Xenophonti dictum *videri difficilius inueniri, qui ſecundam fortunam benè ferat quàm qui aduerſam: illa enim in pleriſque contumeliam, hæc autem temperantiam in omnibus gignit?* δοκεῖ δέ μοι, ὦ κῦρε, χαλεπώτερον εἶναι εὑρεῖν ἄνδρα τἀγαθὰ καλῶς, ἢ τὰ κακὰ φέροντα. τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς. τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ. *adeoque neminem aduerſa fortuna comminuit, niſi quem ſecunda decepit.* Quot enim Deus immortalis! reperias, qui neque paupertatem aut morbum reformidant, neque terrore mortis deijciuntur de ſtatu, neque iracundiæ impetu exeunt de poteſtate; titillanti verò fortunæ ceu molles ac delicatulæ mulierculæ non valent reſiſtere? at verò contrà, quem aduerſa fortuna ſemel tentauit altiùſque pupugit, is certè ſpes omnes in ſe vno ſitas, ſeque omnibus deſertum dùm videt, tum animos reſumit, ſeque erigit, ſe colligit, apud ſe manet, ſibique accurate conſulit, & ad miſerationem potiùs quàm inuidiam optimum quemque excitat, *inſito mortalibus naturâ recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre ægre fortunæ ſana conſilia melius in malis ſapimus, ſecunda rectum auferunt.*

Tacit. 1. hiſt. — Senec conſol. ad Helu. — Tacit. 1. hiſt — Senec ep. 95

ὁ πονήσαις δὲ νόῳ — *At quiſquis ærumnæ aſſueuit,*
καὶ προμάθειαν φέρει. — *Peruidet hic meliùs futura.*

Pind. iſth. od. 1.

Multùm ſibi adijcit virtus laceſſita. Demetrius vitam ſecuram & ſine vllis fortunæ incurſionibus mare mortuum vocat, nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione, & incurſu firmitatem animi tui tentes. Sed in otio inconcuſſo iacere, non eſt tranquillitas, malacia eſt. Attalus Stoicus dicere ſolebat, malo me fortuna in caſtris ſuis quam in delicijs ſuis habeat. Quò ſane qui æquabilitatem in vtrâque tenere poteſt, is meritò magnus vir, fortis, & ſapiens perhibetur. *Qui ſe lætis rebus non inflauit, nec mutatis contrahit, aduerſus vtrumque ſtatum inuictum animum tenet, exploratæ iam firmitatis.*

Senec ep. 13 — Id. ep. 68 — Senec conſol. ad Helu.

Σοφοὶ δ' ἔτι κάλλιον
φέροντι καὶ τὰν θέοτον δύναμιν.

Pin. Pyth. o. 9.

Conceſ-

Conceſſamque Deûm munere pulcrius
Debent, qui ſapiunt, ferre potentiam.

Ad vtroque caſus ſapiens aptus eſt, bonorum rector, malorum victor; in ſecundis non confidit, in aduerſis non deficit, nec auidus periculi, nec fugax; proſperitatem non expectans, ad vtrumque paratus, aduerſus vtrumque intrepidus, nec illius tumultu, nec huius fulgore percuſſus; contra calamitates fortis & contumax, luxuriæ non aduerſus tantum, ſed & infeſtus. Hoc præcipuum in humanis rebus erigere animum ſupra minas & promiſſa fortunæ. Senec. ep. 86. Denique Epicteti monitu *ſapiens Suſtinet, Abſtinet*, ſuſtinet aduerſa, abſtinet cauetque ſibi à proſperis. Quid igitur, an magnanimus noſter CAROLVS tot antiquis ſtemmatis clarus, tàm amplo magnus imperio, tantâ opum ui potens, tot illuſtris victorijs, tot præclaté factis ouans, tàm dulci fortuna ebrius ſibi vnquàm pulcher viſus eſt, aut typho ſuperbiæ iutumuit, aut inſaniuit, vt ferunt olim Xerxem, & Lyſimachum, quorum iſte occupatâ Traciâ ſe haſtæ cuſpide gloriabatur cœlum attingere, ille ſtimulis fodiebat Helleſpontum, & montibus per Legatos minabatur; vt prætercam Alexandrum, Clytum, Demetrium, Marcum Antonium ſe ſe Iouis Ammonis filium, Neptunum, Iouem, & Liberum patrem impié mentientes, & Caium Cæſarem homerico hemiſtichio Ioui comminantem,

ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σε. Sen. 1 de Ira.
Aut tu me perde aut ego te?

An caperata fronte ſuperciliòq; elato in omnes ferox, vultuoſus, moroſus, difficilis, & faſtidij alienæ virtutis plenus, atq; iniquus æſtimator, quales extiterunt Capaneus, Achilles, vterq; Aiax, & Meſentius, ſe ſe geſſit inſolētiùs, ſuis laxauit fræna cupiditatibus, & monitoribus aſper, cæliq; & Dei immemor maiora quā capere poſſet concupiuit, aut præceps ruit in omne nefas? minimé profectò. ſed pari æquanimitate & vultu res ſecundas, *quæ ſapientū etiā animos fatigant*, perinde Salluſt. atq; aduerſas accepit, quibus nō ſuccubuit, vt lætis non credidit, omnem fortunæ licentiā in oculis habuit, tanquàm quidquid poteſt facere factura eſſet, & præſentē ipſam, *quæ alioquī lubrica eſt, nec inuita teneri poteſt*, Curt. lib. 7. preſſis tenuit manibus ac reuerēter ſēper habuit, ſuæq; felicitati frēna impoſuit, ac facilé illā rexit; neq; luxui & ſaginæ māncipatus libidini ue deditus ſe per licita & illicita fœdauit, neq; minimū ad curas imperij intentus ſtupris & adulterijs Principem egit; nec denique ex magnâ fortunâ licentiam tantùm vſurpauit.

Æquam memor rebus in arduis
Seruare mentem, non ſecùs in bonis

Ab inſolenti temperatam
Lætitiâ:

Olymp. od. 5. Et illud Pindari altè menti inſitum habens, ὑγί-
ενῖα δ᾽ εἴ τις ὄλβον
Ἄρδει, ἐξαρκέων κτεάτεσσι, καὶ
εὐλογίαν προστιθεὶς μὴ ματεύ-
σῃ θεὸς γενέσθαι.
Quiſquis paratis diuitijs ſibi
Gaudet beatus, nomen & inclytum
Adiunxit illis: ne Deorum
Expetat immeritos honores.

Scilicet contemptor animus, & ſuperbia commune nobilitatis malum ab illo maximè abfuit: *non minus hominem ſe, quàm hominibus præeſſe cogitabat*, modeſtiam ſemper amauit, & vnicè coluit, *cuius* noſſet *famam neque ſummis mortalium aſpernandam, à Diis æſtimari*, eamque eſſe ἄρρηκτον ὅπλον; denique Philonis illud præceptum in mente ſemper habuit, εἰ δόξαις καὶ ἀρχαῖς μέγα φυσώσαις ἐφίεσαι, καθάπερ ὁ ἀγαθὸς κυβερνήτης, τὴν πολλὴν τῶν ἱστίων χύσιν στεῖλον, ἵνα μὴ λάθῃς ἐκτραχηλισθείς. *Si dignitatibus & magiſtratibus multùm inſtantibus præditus es, tanquam optimus gubernator vela expanſa contrahito, nè imprudens præcipiteris.* nam vt apud Dionem Cæſar optimè dixit, ἡ ἐξουσία μετριάζουσα πάντα τὰ κτηθέντα τηρεῖ, *potentia mediocriter exercita omnia quæſita conſeruat.* Contrà, ὁ ἀναιδὴς ἐς πάντα ἁπλῶς τῇ δυνάμει καταχρώμενος, οὔτε εὔνοιαν ἀληθῆ, οὔτ᾽ ἀσφάλειαν ἀκριβῆ εὑρίσκεται. *Qui impudenter & paſſim in omnibus potentiâ abutitur, is neque veram beneuolentiam, neque firmam ſecuritatem inuenit.* Ex quo meritò beatum CAROLVM dicere poſſumus, *cuius vita quidem eſſet exelſa, ſpiritus autem humilis*; Nil. Μακάριος ὁ τὸν βίον ὑψηλὸν ἔχων, ταπεινὸν δὲ τὸ φρόνημα. Hanc enimuerò æquabilitatis in omni fortunâ mirificæ laudem conſtanti omnium famâ perilluſtri Auſtriacæ familiæ propriam modeſtiſſimus Princeps hæreditario quaſi iure ſibi ita vindicauit, vt ea eximia virtus nō ſine omnium admiratione in omni eius vitâ longè latèque effulgeret: ita ſemper ſibi ſimilis & idem, vnum colorem, vnum vultum habebat, vnumque hominem agebat, ac ſibi conſtabat, vniuerſa denique eius vita quandam picturam exprimebat, eandem ſeruans ſemper imaginem, quam accepiſſet. Iam verò cum à philotimâ longe alienus ſemper fuerit, multò obnixiùs idem cauit, vt is quoque eſſet liber à philarchiâ quæ eſt omnium malorum fons, ex quo ſcilicet manant pernicioſæ ſimultates, funeſtæ ſeditiones, peſtifera bella, & luctuoſæ rerumpublicarū euerſiones. Salluſt. Catil. *Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit,*

aliud

Margin notes: Plin. Paneg. (beside "malum ab illo maximè abfuit"); Tacit. xv. An. (beside "eamque eſſe ἄρρηκτον ὅπλον").

alìud clauſum in pectore alìud in linguâ promptum habere; amicitias inimicitiasq́. non ex re, ſed ex commodo æſtimare, magisq́. vultũ quám ingeniũ bonum habere. Hæc primò pauſſatim creſcere, interdum vindicari; poſt vbi contagio quaſi peſtilentia inuaſit; ciuitas immutata, imperium ex iuſtiſſimo atque optimo crudele, intolerandumq́. factum.

Hæc namq́. Craſſos, hæc Pompeios euertit & illum
Ad ſua, qui domitos eduxit flagra Quirites. Petron. Arb.

Huius non eſt vllus modus, ac ſi quos ſibi pepigerit terminos, eos continuè euellet vlterius progrediendi inexplebilis cupido. Ideò Alexander tot peragratis regionibus, tot gentibus victis, cum audiſſet diſputantem Anaxarchum innumerabiles eſſe mundos, illachrymaſſe fertur & doluiſſe, quòd nondùm vno eſſet potitus. A quâ profectò inſaniâ (nam in Bacchi pompâ, furoris & amentiæ comitatu à Poetâ numeratur

cæcus amor ſui,
Ac tollens vacuum plus nimiò gloria verticem;) Horat.

liberrimum fuiſſe æquanimum Principem omnis vitæ eius ratio ad modeſtiam compoſita, & hæc illuſtria documenta ſatis teſtantur. Nã cum illi amplum imperium, ducatus non vnus, & ius hæreditarium in vnum & alterum opulentum regnum forte diuinâ obtigiſſent, ſpreuit tamen Magni Ducis nomẽ, & Regis Hieroſolymæ, aut Daniæ, quorum alterum meritis Auorum, alterum iure hæreditatis maternæ potuit vſurpare. Accedit quòd in interregno Galliæ nouiſſimo Valeſiorum familiâ extinctâ, medioq; illo inteſtino tumultu cum eius factionis eſſet, quæ tũ & potentior & melior habebatur vulgò, atq; populus fere vniuerſus Galliæ ad regnum deſolatũ, & quaſi viduum Principem ex opinione meritorum, pietatis, prudentiæ, atque clemẽtiæ, iuriſque hæreditarij pretextu votis eximijs vocare vnum tum forte armatum inter tot Principes Catholicos videretur, ille pro ſua modeſtiâ æquius eſſe exiſtimauit à tanto auſu animum cohibere, domique reſidem fines agri ſui tantùm tutari, & cum legitimo magni Regni hærede Inuictiſſimo Principe amice paciſci, hoſtilibuſque armis abiectis eius beneuolentiam, & gratiã demereri, quàm amplam, ſed dubiam fortunam experiri; vſus cõtatione Veſpaſiani in ſimili re. *Quis ille dies foret quo LX ætatis annos, & duos Filios iuuenes bello permitteret? eſſe priuatis cogitationibus regreſſum, & prout velint plus minuſue ſumi ex fortunâ: imperium cupientibus nihil mediũ inter ſumma & præcipitia.* Tacit. 2 hiſt. Deniq; cũ de electione Regis Romani per tot annos ceptum eſſet agi, atq; ſacri Imperij Cõſtitutiones ex eadem familia quanquã optime de imperio meritâ ſex vltrà conſequenter aſſumi cauerent;

ipſe autē magnis neceſſitudinis & amicitiæ vinculis cū ſacri Imperii Electorib⁹ eſſet coniūctus, famaq; ſupra ceteros Germaniæ Principes notus, tamen de tanti Imperii maieſtate prenſandâ ne ſōniauit quidē aut cogitauit unquam: intelligebat nimirum *magno Imperio magnam ineſſe curam*, & morbidi indicium animi eſſe non poſſe mediocribus

Pind. ol. od. 3. frui rebus paratis *magnamq́;*, vt loquitur Poeta, *felicitatem concoquere*, *καταπέψαι μέγαν ὄλβον*; ſed variis & amplis vſque & vſq; inhiare non aliter, atq; ægri & faſtidientis eſt ſtomachi ſimplici cibo minime gaudere, & varios pluresque quàm conficere poſſit auidiùs expetere.

Id. Pyth. od. 3.

ἐστὶ δὲ φῦλον ἐν ἀν-
θρώποισι ματαιότατον,
ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώ-
ρια, παπταίνει τὰ πόρσω.
μεταμώνια θη-
ρεύων ἀκράντοις ἐλπίσιν.
Mortales inter miſeros gens viuit inanis,
Quæ cognita alto negligens faſtidio
Semper inexpertis inhiat, ſpeque haurit auarâ
Diffuſa coelo nubila, & ventos leues.

Quid autem eſt per Deum immortalem? ſuum otium, ſuamq; libertatem alienæ ſaluti (modo non ruinæ potius) gratificari, & latè potens expetere imperium, in eoque durum perferre laborem, ſi non eſt Syſiphi inſtar

Lucret.

Aduerſo nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen á ſummo iam vertice rurſum
Voluitur, & placidi raptim petit æquora campi.

Vinet, æternùmque viuet Othanis gloria, qui vnus è ſeptem, ad quos ſumma Regni Perſici pertinebat, ſuo ſe iure regni ſponte abdicauit, & ſociis eâ lege indulſit, ſi ipſi poſteriſque ſuis per illos ſuæ ſpontis ac iuris, nullis niſi antiquis legibus patriis obnoxiis viuere liceret, impatiens quippe imperii & in alios, & viciſſim aliorum in ſe. Neque vero ignorabat noſter CAROLVS *magnas arbores diu creſcere, vnâ hora extirpari, leonem aliquando minimarum auium pabulum fieri,*

Valler. lib. 6. *& ferrum á rubigine conſumi; caduca autem & fragilia puerilibus conſentanea crepundiis, quæ vires atque opes humanæ vocantur*, & quæ mor-

Sen. ep. 8. tales tanti æſtimant *fortunae viſcata beneficia, illa* vere bona non eſſe quæ bonis iuxta & malis communia, quæ nec ex malo bonū virum, nec bonum ſeipſo meliorem valeant reddere; quæque omnino inſtabilia eſſent, momentanea, & torrentis inſtar fluxa turbidaq;, & breui dilabentia, atq; nihil poſt ſe præter raucum & ingratum quod

dam murmur, aut limum linquentia; *cuncta denique mortalium incerta, & quanto plus quis adeptus ſit, tantò magis in lubrico.* Atque hæc ſatis multa de ſingulari excelſi Principis fortitudine cũ pari animi modeſtiâ cõiunctâ mihi dixiſſe videor. De cuius fortitudinis gloriâ ſpectata eiuſdem Lenitas, ſeu Clementia omniũ ore celebrata nihil pro ſectò, ſi rem rectè penſitemus, poteſt detrahere. Audire enim mihi videor nonnullos omne fortitudini cum manſuetudine commercium tacitè tollentes, quòd ira fortitudinis veluti cos, & calcar perhibeatur, eaque ad vlciſcendum, non ignoſcendum generoſum quemque accendat: Tacit. 1 Ann.

Fertur Prometheus addere Principi
Limo coactus particulam vndiq;
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro. Horat.

Conſtans equidem eſt Philoſophorum ſententia vim iraſcendi homini à natura tributam, quæ rationi ſubſidiaria & auxiliaris aduerſus cupiditatem pugnaret, & eius effrenatos motus omninò coerceret. οἱ προσδεξάμενοι τὸν θυμὸν ὡς σύμμαχον ἀρετῆς ἀπολαύοντες, ὅσον αὐτοῦ χρήσιμον ἐστιν ἔντε πολέμῳ, καὶ νὴ Δία ἐν πολιτείαις. *vſus enim ipſius moderatus ad virtutem incitãdam vtilis eſt, & fortitudini ſocius exiſtit tùm in bello, tum in adminiſtrandâ Republica;* ſi quidem vt Poeta cecinit, Plutarch.

ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ, Pind. oly. od. 5
οὔτε παρ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις
τίμιαι.
Tutior virtus rigidæq; nunquàm
Acta fortunæ grauibus procellis,
Nec ſolo illuſtris, neq; fertur altum
Clara per æquor.

Ad quas procellas tolerandas forti certè animo opus. verũ cum in eâ pugnâ vis in nobis iraſcendi ſæpè ſeſe intẽperantiùs gerat, & ipſa per ſe ad ea, quæ pertinent tùm ad decus & gloriã, tum ad tutelam noſtrã cæco quodam feratur impetu, dici certè non poteſt, quantos ex alieni contemptus opinione aut ex offensâ in his rebus acceptâ ſemel perturbata, & ad vindictam, vel depulſionem iniuriæ accenſa illa in animis noſtris motus, quantaſq; turbas excitet, niſi ipſa à ratione viciſſim coerceatur, aut exorbitans ad eius gyrũ reducatur: quæ cõpoſitio ſeu virtus animi à pœnâ aut vindictâ ad lenitatẽ cum iudicio inclinãtis CLEMENTIA indigetatur. Atqui cum vis fortitudinis nullâ in aliâ re ſi eorum, quæ hactenus de illâ à nobis dicta ſunt, non ſumus immemores, magis elucescat, quàm in iniuriarũ contẽptu & vindictæ

repreſſione, inter fortitudinem profectò, & animi manſuetudinem
Ariſt.1 de virt. magna intercedat neceſſitudo oportet. Philoſophi iudicio, *Manſuetudinis partes sũt nõ poſſe ferre moderate crimina, & contẽptus, nec celeriter rapi in vltiones., nec facile moueri ad iras, moribus comem eſſe, mitemq́ ingenio, quieto, & ſtabili*: quæ profectò non niſi in conſtantem & fortem virum cadere poſſunt. πραότης ἐστὶ τὸ φέρειν μετρίως ἐγκλήματα καὶ ὀλιγορίας μετρίας. καὶ μὴ ταχέως ὁρμᾶν ἐπὶ τὰς τιμωρίας. καὶ δυσκίνητον εἶναι πρὸς τὰς ὀργὰς ἀπικρον δὲ τῷ ἤθει, καὶ ἀφιλόνεικον ἔχοντα τὸ ἠρεμαῖον ἐν τῇ ψυχῇ. καὶ τὸ
apud Stoba. στάσιμον Vno verbo, οὐδὲν ἰσχυρότερον τῶν πάντα φέρειν ἑτοίμων. *Nihil eſt ijs qui omnia ferre ſunt parati, fortius.* Cõtra vt rectè Muſonius, καὶ γὰρ μικρόψυχον τὸ ἀγανακτεῖν, καὶ ἐπιστρέφεσθαι περὶ τῶν τοιούτων. πρᾴως δὲ καὶ ἡσύχως ὅσει τὸ σύμβαν ἐπεὶ καὶ πρέπον τούτῳ τῷ βουλομένῳ εἶναι μεγαλόφρονι. *Puſillanimitas eſt has ob res indignari, & intentius commoueri ſed leniter & tranquillè tolerabit quidquid acciderit. Hoc decorum eſt eius, qui ſe magnanimum*
Menand. *profitetur.* Cui et poeta aſſentitur.

> Ἰδὰς ὀξύθυμον τοῦτο καὶ λίαν πικρὸν
> Δεῖγμα ἐστὶν εὐθὺς πᾶσ μικροψυχίας
> *Amarulentus quiſquis, irarum & tenax,*
> *Is paruitatem prodit atque anguſtiam*
> *Animi ſatis ſatisq́, vel ſui omnibus.*

Virgil. ex quo iure poetarũ Coryphæus vtrãq; virtutẽ coniũxit hoc verſu,

> *Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.*

Quæ ſi ita ſunt, nullum profectò fortitudinis illuſtrius argumentum manſuetudine in clemẽtiſſimo Principe admirabili deſiderari poteſt. Ergo cum hominum ſocietas mutuâ inter ſe beneuolentia contineatur, & hominẽ homini Deum eſſe Naturæ lex ſit, nulla ex omnibus
Senec. 1 de cle. certe virtutibus homini magis quã Lenitas cõuenit, *cũ nulla ſit huma*
Cicer. or p. lo. *nior quæ quietem petit & otiũ, nec vllâ re propius homines ad Deũ accedunt quã ſalute hominibus dandâ.* Pitthacus hominẽ, à quo contumeliã acceperat grauem, poteſtati oblatũ ſuæ dimiſit impune hoc præfatus, Συγγνώμη τιμωρίας ἀμείνων. τὸ μὲν γὰρ ἡμέρου φύσεως ἐστι. τὸ δὲ θηριώδους: *venia vltione melior eſt: illa namq́ mitis ingenij, hac autem eſt ferim.* Quod ſi partes legitimi Principis in regendo populo, paſcendoque ſunt conſtitutæ, vnde Ποιμένες λάων, *Paſtores populorum* Poetæ dicũtur, cum
Hom. in proſpiciendo ſaluti, rebuſque ſuorum; certe *manſuetudo nullum ex*
Sen. 1. de clo. *omnibus magis quam Regem aut Principem decet: ita enim virtutes magnis viris decori glorieque ſunt ſi illis ſalutaris potentia eſt; nam peſtifera vis eſt*
Ibid. *valere ad nocendum. Natura commẽta eſt Regem, quod ex apibus licet cognoſcere. Hoc autem maximé diſtinguitur Rex. Iracundiſſima ac pro corporis captu capaciſſima sũt apes, & aculeos in vulnere relinquũt; Rex ipſe ſine acu-*

leo eſt.

leo eſt. Noluit illum natura nec ſeuũ eſſe, nec vltionem magno conſtaturam petere telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens. Mõſtrum Opilionis, qui leui ſuarum ouium errore incandeſcit in momenta, & non niſi earum carne ſaginatur: ita *in Principe ferina rabies eſt ſanguine, & vulneribus gaudere.* Enimuero *Ibid.* cum *nati omnes peccare & labi ſunt* ad grauis aduertit hiſtoricus, *quã priuatim qua publice neque lex eſt, quæ ſatis validé vetet, aut capiat modũ, adeo flagitia & facinora ſine modo ſunt*, nonnè ad peſtem & perniciem generis humani natus Princeps cenſendus eſt, qui iracũdia præceps læſam legum maieſtatem ſeueré ſemper vindicat, qui puniẽdi modum non habet, qui *per iram nunquam mediocritatem tenet, quæ eſt inter nimium & parùm*, qui denique prodigus ſanguinis etiam chariſſimi non aliter; atque lupus rabie accenſus medium in gregem, graſſatur in ſuorum vitam:

Thucid l. 3.
Tac. 3. Ann.
Cicer. 1 offic.

Qui fruitur pœnâ ferus eſt, legumque videtur
Vindictam præſtare ſibi.

Claud. conſul Mar.

quò certè maximé iracundia Principi vitanda, *cui non minus turpia multa ſupplicia quàm medico funera: & cuius faſtigio nullam contrà ornamentum dignius pulchriuſq́; eſt, quàm corona ob ciues ſeruatos; quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere. Regi maxima gloria eſt, ſi vim ſuam continet, ſi multos ira aliena eripuit, neminem ſuæ impendit.*

Senec. 1 de
Ib
Id de conſol. ad Mart.
Id. de clem.

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,
Conſulere Patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere tempus atq́; iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo:
Hæc ſumma virtus petitur hâc coelum viâ.

Senec. Octau.

Atq; quanquàm ſuæ famæ parũ ſolliciti ſint Principes, tamen cũ ſecuritatis propriæ & authoritatis diligentes cuſtodes eſſe debeant, certé hanc in primis virtutem colere eos par eſt, *quæ ſaluum Regem in aperto præſtat, nec tantum honeſtiores, ſed tutiores; ornamentumq́; imperiorum eſt & ſimul certiſſima ſalus.* nam ſi *ſæuitia plus timoris, quàm potentiæ addit; metus autem & terror infirma vincula charitatis, quæ vbi remoueris, qui timere deſierint odiſſe incipient*, certè *firmiſſimum id imperium, quo obedientes gaudent*, hoc eſt, clementiâ temperatur: *vnum eſt inexpugnabile munimentum amor ciuium.* deniq; *ſi timor aſſiduus, acer, & extrema admouens in audaciã & vindictã iacẽtes etiã excitat, atq; ea ſæpé committuntur quia ſæpè vindicantur; ſeueritasq́; amittit aſſiduitate authoritatem: legitimi profectò benigniq́; Principis eſt ad clementiæ commodum tranſilire interdũ terminos æquitatis, quando ſola eſt Miſericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant.* Age ſi prudentiâ & conſilio Reſpub. cõtinen-

Sen. 1. de clem.
Sall Iug.
Tacit Agric.
Liui. l. 8.
Senec 1. de cle.
Caſſiod. 11. Var.

Cicer. 2 offi. tur & gubernãtur, *iram* autẽ Sapientes monent *vt in puniendo ſic non minus in conſulendo eſſe prohibendã*; quia *haud facile animus verũ peruidet, vbi ira officit, non ſecus atque fumus mordicans oculis non ſinit videre, quæ*
Arist. *pedibus adiacent*: cumque *eâ nihil rectè, nihil conſideratè effici poteſt*, certè
Cicer in offi. Arist. Manſuetudo; quam Philoſophus definit *virtutem animoſæ partis, qua præditi ægrè mouemur ad iram*, omninò Principi neceſſaria eſt. viuet igitur, æternùm viuet CAROLVS III. incomparabili manſuetudine Princeps. cui enim non cognita eius lenitas, cui non probata clementia, cui non ſpectata miſericordia? atque vtinam corruptiſſimi noſtri mores, & omni ſcelere contaminati adeò frequentem eius experiundæ materiẽ minime exhibuiſſent. Verùm quoniam malitia noſtri æui eò venit, vt remedium pati non poſſit, habendæ ſunt ſane immortales Manibus eius gratiæ, qui temperato timore prauitatẽ noſtram cohibuit potius quàm aſſiduâ aut acri vindictâ irritauit, qui cum omnia ſciret, non reſequeretur tamen, paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem commodauit; nec pœnâ ſemper, ſed ſæpiùs pœnitentiâ contentus fuit, atque maluit inueniſſe bonos, quàm feciſſe. Quot funera Deus bone! & quàm luctuoſa tempora vidiſſemus, niſi Principis lenitas iuſtitiæ temperaſſet rigorem, niſi clementia noxios eripuiſſet erexiſſetque lapſos, & eos ipſos, qui ſe ibãt perditum, ſeruaſſet? Equidem mihi olim in deprauatiſſimos & fœdiſſimos mores noſtros intuenti ea Principis virtus mollitiei, & lentitudini propior videbatur: verùm cum ex aliâ parte obuerſaretur animo diuina in nos ſummi Numinis miſericordia, quam nullo non die, & momento vitæ ingratiſſimi mortalium experimur, tùm verò humaniſſimi Principis ardebat animus exoſculari clementiam, quæ non ſolùm eximiâ niteſceret humanitate, ſed ad diuinitatem accederet.

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

Quæ ſcilicet clementia hanc terram minimè ſanguine humano manantem, non laniенis foedam, non tabo & cadaueribus luridam ac ſquallentem, non ſuis ingratam & odioſam reddidiſſet, ſed tranquillum & lene imperium ſuum ſeruaſſet, nec aliam eius faciem, quàm ſereni cœli ac nitentis: adeò vt non tàm ſubditi timerent illum, quàm pro illo: incredibilem quippe omnium erga ſe amorem mirifica clementiâ ſibi conciliauerat. ad hæc quoties publica vtilitas ſuaderet, illumq; cogeret ſaluti potiùs multorum, quàm paucorum libidini cõſulere, multorum improbitatem vnius coercere ſupplicio, & iuſtitiæ ſecurim aduerſus ſontes, extremaq; exẽpla meritos diſtringere, tãta clemẽs Princeps temperabat lenitate, vt non niſi inuitum & magno

cum

cum tormento ad caſtigandũ eum veniſſe facilè appareret, pœnaſq; é moribus & recepto vſu non tàm exigeret, quàm permitteret; certè nunquàm ipſe ſpectaret. In reliqua autẽ omni adminiſtratione quãta in eo extiterit manſuetudo dici non poteſt. Enimuero non poſſum nec debeo diſſimulare multa quotidiè interueniſſe, quæ ſtomachum illi mouere poſſent, & re ipsâ mouerent (namq;, vt ait ille,

Νυνὶ δεῖ ὀργὴν ζωικ' ἔνδικον λαβεῖν. Soſiphanes

Igneſcat ira iuſtior nunc conuenit.)

Ita tamen iracundiæ locum raro dabat, vt aures, *in quibus hominum animos habitare dicebat* Herodotus; videlicet, *ὅτι χρηστὰ μὲν ἀκούσας τέρψιος ἐμπιμπλῆσι τὸ σῶμα, ὑπεναντία δὲ τουτέοισιν ἀκούσας ἀνοιδαίνει. Quòd bonis quidẽ auditis gaudio perfunditur corpus, cõtrarijs verò intumeſcit ira.* aures, inquam, obſtructas cera habere videretur, quòd Satyro Samiò in cauſis agendis amicos factitare ſolitos, ne auditis aduerſariorum criminationibus per iracundiam confunderet omnia, ſcriptum reliquit Ariſtoteles: & verò quoties incauto Principi, aliudq; agenti obrepſiſſet ira, ita ei moderabatur, vt pro ratione & iuſtitiâ potiùs, quàm aduerſus illam dimicaret, nunquam autem ferociùs diutiùſue illam permitteret exultare: quis enim flagrantes in illo, micanteſq; oculos, multum ore toto ruborem exæſtuante ab imis præcordijs ſanguine, labia quati, dentes comprimi, horrere ac ſubrigi capillos, ſpiritũ coactum, ac ſtridentem articulorum ſeipſos torquentium ſonum, gemitum, mugitumq; & parùm explanatis vocibus ſermonem præruptum, comploſas ſæpiùs manus, pulſatam humum pedibus, totũ concitum corpus, magnaſq; minas agentem & fœdam viſu atq; horrendam faciem deprauantis ſe atq; intumeſcẽtis vidit, audiuit, expalluit, exhorruit? Quis acerbioris linguæ amarulẽtos morſus, maledicta, diraſq; imprecationes ab eodem expertus eſt vnquàm? Deniq; quis capillos ſibi ipſi illum euellentem, femurq; pectuſq; percutientem, ſe in columnas impingentem, aliaq; meditantem, ſeu facientẽ, quæ ira vbi ſemel rationem expugnauerit, à nobis ſolet extorquere, vidit, riſit? ſcitè olim Sotion, *hiſtriones quidem licet ſolum ſimulent, hominis irati exprimunt, repræſentãtq; faciem, ſed viri probi, licet iraſcantur, vultu tamen & geſtibus irati abſtinẽt.* Quod in manſueto Pincipe ſedulò obſeruaui ſemper, meminiq; ampliùs quoties commota ei bilis, nunquàm tamen eum quicquam imperaſſe, quandoquidem

οὐδεὶς μετ' ὀργῆς οὐδὲν εὖ βουλεύεται. Karc.

Iratus omnis perperam deliberat:

ſed cum breui ira deferbuiſſet, tum remiſſo animo & ſedato ore, quæ ex vſu eſſent ſolitum prouidere,

ἔξω

Eurip. Arch.

ἔξω γὰρ ὀργῆς πᾶς ἀνὴρ σοφώτατος
Iratus omnis perperam delıberat.

Cum igitur à naturâ ad lenitatem miré eſſet compoſitus Princeps, (erat quippe ciuili ingenio & temperie exquiſite mediocri, in quâ ſanguis humores in ceteros haberet dominium; ad eamq; naturam acceſſerat educatio liberalis, obſtetricantibus puero regio humaniſſimis Gratiis Gallicis;) procliue fuit illi admodùm in manſuetiſſimum & clementiſſimum Principem euadere, qualem ſe ſemper præſtitit, vt nec dominationem & ſeruos, ſed rectorem & ciues cogitaret; nec Rempub. ſuam eſſe, ſed ſe Reipub. crederet, atque apud ſingulos comitate & alloquiis officia prouocaret; deniq; cum ciuibus ſuis quaſi parens cum liberis viueret,

Homer.

πατὴρ δ᾽ ὡς ἤπιος ἦεν
Mitis erat patris inſtar:

vt viciſſim illi prodeuntem Principem veluti beneficum & ſalutare quoddam numen inter amorem timoremque medii certatim ſuſpicerent, venerarentur, & alternis iudiciis ambigētes Dominum ſalutarent, an Patrem. Nam quid de priuatâ eius ergà domeſticos lenitate incredibili neceſſe eſt dicere, ciuili hactenùs ſatis ſuperque à nobis probatâ? hoc vnum tantùm dicam, quanquam graues cauſſæ ſæpé interuenirent, quæ bilem illi mouerent, quarum exempla à nobis in laudatione Fortitudinis nonnulla allata, illum tamen priuatas iniurias tàm æquo tuliſſe animo, vt nuſquàm incandeſceret, acerbioribus neminē verbis, nedùm duris verberibus exciperet vnquàm. Ex quo abſoluto de Clementiâ ceteriſq; virtutibus, quibus vis in nobis iraſcendi compoſita conſtantiam & æquabilitatem in omni vitâ retinet, laudatorio ſermone, tempeſtiuum eſt vt ad eas deinceps, quæ cupiditati, inſitiſque nobis ad voluptates corporis, & earum adiumenta, Diuitias ſcilicet, propenſionibus moderantur, accedamus; nam, vt canit Lyricus,

Ἐγκωμίων ἄωτος ὕμνων
ἐπ᾽ ἄλλοτ᾽ ἄλλον, ὥστε μέ-
λισσα, θύνει λόγον.
Carmen ſæpé vagum, velut
Mellis blanda opifex prouolat, & modò
Illos, nunc alios petens,
Plures Aoniis muneribus beat.

CORONA
EX SALICE, AMYGDALA, CAPRIFICO, MALO, ET CICERE;
ſiue Temperantiæ, & Magnificentiæ.

AD

SERENISSIMAM MAGNIFICENTISSIMAMQVE PRINCIPEM CHRISTINAM à Lotharingiâ Hetruriæ Magnam Ducem.

O REGVM varijs fallere cantibus
Curas Muſa potens, quid Polyhymnia
Lesboum refugis tendere Barbiton
Charis iuncta Sororibus?
Quid ceſſas liquidis pangere vocibus
Carmen grandiloquum, dulcius & melos:
Magnum ac tollere humo ad ſidera Principem
Quid ceſſas Dea CAROLVM?
Quid ſertum folijs nectere negligis
Æternis Capiti, Muſa, decus ſacro

Summi Principis, & pandere CAROLI
Laudes egregias? age.

POLYHYMNIA. *Felicē indigetat vox hominū frequēs,*
Quem perfuſa beant gaudia, quæ Venus,
Seu Natura ſui nectaris imbuit
Quintâ parte, laboribus
Permiſcens varijs grata leuamina.
Felicem & perhibet vox hominum frequens,
Quem ſtipant & opes Attalicæ, & fauor
Fortunæ haud dubius comes.
Atquin ille mihi ſorte beatior
Quisquis delicijs & poſuit modum,
Iniecitq; vagæ frena libidini,
Vino nec madidus fuit;
Et qui, non tenues inter opes inops,
Contemptæ dominus ſplendidior rei,
Contracto modicus parua cupidine
Bobus rura colit ſuis,
Aut ſi diuitias ſeu labor obtulit
Seu ſors Mygdonias, muneribus Deûm
Vti conſcius & ſpes cohibet ſuas,
Letho & flagitium timet
Peius. Laudibus his ſcilicet altior
Vixit CAROLVS *& ſobrius, ac fidem*
Suprà ſiccus, & in rite fluentibus
Rebus temperie tenax;
Quam tùm glauca SALIX, *dulcis* AMYGDALA,
Tùm frondens OLEA, *&* LILIA *candida,*

Nec non & CAPRIFICI liber aridus
Morum TEMPERIEM *arguunt.*
Clarâ quin etiam Magnificentiæ
Princeps emicuit laude celebrior,
Quam nunc inſinuant MAGNIFICENTIAM
Arbos POMIFERA, ET CICER.
Fouit namq; ſacras muneribus domos
Auxitq́; Attalicis, nullaq; publicis
Arſit ignibus, aut vindice CAROLO
Cladem iure perhorruit:
Muſas ille vagas ſedibus hoſpites
Excepit patrijs primus, honoribus
Affecit meritis, caſtaliæ domûs
Vt iam tæduerit Deas.
Fruges quin & agris, ô tua CAROLE
Ætas læta ſatis rettulit vberes,
Luſtra & ſupra decem paciferæ arboris
Frondoſum caput extulit.
Hic bellum lachrymoſum, & miſeram famem,
Peſtemq; à populo longiùs expulit,
Depaſtam & Furiam ſanguine nobili
Compreſſit vigili manu;
Amouitq́; ſcelus, Iuſtitiam vocans
In terras, miſeris rebus & ordinem
Rectum, atq; inijciens frena licentiæ;
Artes & reuocans bonas,
Per quas & Lothari gloria nominis,
Per quas & Lothari gloria ſanguinis,

Metas Heſperiæ venit ad vltimas,
Eoæ & tetigit plagæ.
Nam quid concelebrem ſepta tot vrbium,
Robuſtasq; fores, ſaxa minantia
Cœlo, rumpere quæ ni ſolido grauis
Auro vix Aſinus poteſt.
O CHRISTINA *Patris Magnifici decus,*
CHRISTINA *& decoris gloria patrij,*
Tyrrheni Imperitans littoribus maris,
Princeps magnifica, & potens
Illuſtri patriam temperiem probas,
Et vitæ integritate, & ſapientiâ:
Tu teſtis patriæ Magnificentiæ
Spiras alta niſi, ſapis
Et ſolùm alta, ſonas grandiaq;, & facis
Quæ teſtes oculi, Vates & Itali
Scribant Mœonij carminis alites,
Mandent atq; nepotibus,
Quæ non imber edax, non Aquilo impotens
Poßit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum,
Æquanda imperio tuo.
Ergò dùm propero per decora inclyta
Ire, & dum patriam cum memori fide
Raram in Principibus Temperiem viris,
(Queis ſi quid lubet, id licet)
Spectatamq; mihi Magnificentiam,
Æterno monumentum ære perennius

Regaliq; ſitu Pyramidum altius
Dùm gratus refero, mihi
Adſis propitia, ô Maxima Principum,
Aſpiraq; meis flamine proſpero
Votis, dùm tenuis grandia perſequor,
Curſum da facilem mihi.

CVM in omnibus, quæ ad animantium vitam pertinent, ſingularis Naturæ prouidentia ſemper extiterit, tū in hoc nequeo ſatis mirari, & colere incredibilem eius ſapientiam, quòd non ſolū quodq; animal ad neceſſaria vitæ munera dolore neceſſitatis, & indigentiæ præuncio tanquàm aſpero quodam monitore ſollicitat, & acuit, ſed ad earum etiam rerum, quibus vita carere nequit, inueſtigationem & vſum, illud voluptatis cuiuſdam illecebrâ atq; ſuauitatis, quâcum eæ ad ſenſus affluunt, & illabuntur, gratâ recordatione pellicit, & excitat. Atq;, vt mittam diuinas hominis functiones ad intelligentiam pertinentes, quis neſcit quanta ſenſibus ipſis nobis cū brutis cōmunibus voluptas, titillatioque ſit adiuncta? Iiſne autem hominem, altioris quippe naturæ, & ad maiora natum quàm bruta, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit, vti fruique deceret diu quæſitum eſt. Stoici certé, qui hominis naturam in eo vicerunt, quòd pane, aquâ, caſeo, tunicâ, lucernâ contenti cetera ne concupiſcebant quidem; & in iis Cynici, qui eādem exceſſerunt naturam, (An imitati chori magiſtros, qui tonum leuiter excedunt, vt reliquos ad concentū reuocent?) nuntium omni voluptatū generi affectatâ quâdam ſeueritate potius, quàm veritate impulſi remiſiſſe videntur; admirabiles certé potius in eo, quàm imitabiles. Contrà enim reliqua omnis ſapientiæ ſchola cenſet; & non ſolùm guſtum, ſed vſum voluptatū modò certâ moderatione temperatum permittit, atque indulget. Pythagoras Princeps Philoſophiæ præcipiebat *modum in cibo, potu, & exercitiis vt adhiberemus, modum autem appellabat quantùm nihil doloris, aut moleſtiæ pariat.*

Ἀλλὰ πολὺ τε μέτρον, καὶ σίτου, γυμνασίων τε
ποιεῖσθαι, μέτρον δὲ λέγω τόδ' ὃ μή σ' ἀνιήσει.

Et Phocylides pariter monebat,

Σωφροσύνην δὲ ἀσκεῖν, αἰσχρῶν δ' ἔργων ἀπέχεσθαι
Μέτρῳ μὲν φαγέειν, καὶ πιεῖν, καὶ μυθολογεύειν.
Edens, bibenſq; Temperantiam cole
Obſcœna vitans facta, dicta & turpia:

Platonis autem hoc fuit conſilium, *ἄριστον δὲ τὸ περὶ τὰς ἐπιθυμίας μὴ ἐπτοῆσθαι, ἀλλὰ ὀλιγόρως ἔχειν, καὶ κοσμίως. Optimum fuerit nullo circa voluptates ſtupore, ſed leuiter ac modeſtè affici.* cuius conſilii exemplum memorabile diſertus vir Aulus Gellius dedit his verbis, *Plato*, inquit, *primo & ſecundo de legibus non ebrietatem commendauit, ſed largiorem paulò iucundioremq; vini inuitationem multis ex cauſſis, tùm quia, cui Libentiæ Gratiaq; omnes conuiuiorum incognitæ ſint, quiq; illarum omnino expers ſit, ſi eum fortè ad participandas eiuſmodi voluptates, aut voluntas tulerit, aut caſus induxerit, aut neceſſitas compulerit, deliniri plerumq; & capi, neq; mentem, animumq; eius conſiſtere, ſed vi quadam nouâ ictum labaſcere. Congrediendum igitur cenſuit, & tanquam in acie quadam cum voluptarijs rebus, cumq; iſtâ vini licentia cominus decernendum, vt aduerſum eas non fugâ ſimus tuti, nec abſtinentiâ ſed vigore animi, & conſtanti præſentia moderatoq; vſu temperantiam, continentiamq; tueamur, & calefacto, refotoq; animo ſi quid in eo vel frigidæ triſtitiæ, vel torpentis verecundiæ fuerit diluamus.* Sibi igitur habeãt & oſtẽtent licet Stoici Diogenis dolium, putidum Xenocratis caſeum, Senecæ tunicam, aut Epicteti lucernam: modò ciuili homini, cuius quippe magna pars vitæ ſenſus eſt, concedant tot tant arũq; rerum, quot & quantis natura præſentem inſtruxit vitam atq; dotauit, commodis permiſtiſq; delicijs honeſtè fruentem ad ſupflua non ſudare, & gratijs cum Epicteto habitis Naturæ *(quæ neceſſaria parabilia effecerit, difficilia autem paratu non neceſſaria) conuiuijs vti non ſumptuoſis cum triſtitia. ſed hilaribus cum frugalitate, vt neq; per corporea animæ deceptæ perturbentur, neq. corporeas voluptates contemnant, & deinde lætentur diuitijs quidem ad præſens luxuriantia, impoſterùm vero morbis affligenda corpora.* *τὰς σιτήσεις ποιοῦ μὴ πολυτελεῖς καὶ σκυθρωπὰς, ἀλλὰ λαμπρὰς καὶ εὐτελεῖς, ἵνα μήτε διὰ τὰ σωματικὰ αἱ ψυχαὶ παράπτωνται, μήτε φενακιζόμεναι πρὸς τῶν σωματικῶν ὀλιγωρῶσιν, ἔπειτα βλάπτωνται, τρυφῶντα μὲν παραυτίκα πλοῦτον, νοσοῦντα δ' εἰσαῦθις τὰ σώματα.* Cui & Antiphon, & ipſi Stoæ proceres Ariſtippus & Seneca minimè reclamant. *ὅστις δὲ τῶν αἰσχρῶν* ait Antiphon *μήτε ἐπιθύμησε, μήτε ἥψατο, οὐκ ἔστι σώφρων, οὐ γάρ ἐστι ὅτου κρατήσας αὐτὸς, ἑαυτὸν κόσμιον παρέχεται. Qui turpia neque concupiuit, neque attigit, is certè non*

Lib. 15. c. 2.

Senec. epis. 91.

non eſt temperans; nihil enim eſt, à quo ſibi temperauerit, vt temperans & continens dici mereatur. Ariſtippus autem, κρατεῖ ἡδονῆς, inquit, οὐχ ὁ ἀπεχόμενος, ἀλλ' ὁ χρώμενος μὲν, μὴ ἐκπεριεκφερόμενος δὲ, ὥσπερ καὶ νηὸς, καὶ ἵππου οὐχ ὁ χρώμενος, ἀλλ' ὁ μετάγων ὅπου βούλεται. *voluptatem vincit, non qui abſtinet ſed qui vtitur quidem; at non effuſe: ſic & nauem & equum regit non, qui non vtitur, ſed qui quò libitum fuerit ducit.* grauiter verò Seneca, vt cetera; *voluptatem natura rebus neceſſarijs admiſcuit, non vt illam peteremus, ſed vt ea, ſine quibus non poſſumus viuere, gratiora nobis illius faceret acceſſio. Si ſuo veniat iure, acceſſio eſt.* Et iterum, *pariter quemadmodum delicatas res deſiderare luxuriæ eſt: Ita vſitatas & non magno parabiles fugere dementiæ eſt. Frugalitatem exigit Philoſophia, non pœnam. Poteſt autem eſſe non incompta frugalitas. Magnus ille eſt, qui fictilibus ſic vtitur, quemadmodum argento; nec ille minor eſt, qui ſic argento vtitur quemadmodum fictilibus. Infirmi animi eſt pati non poſſe diuitias.* Quæ cum ita ſint, Temperantia profectò, quæ componit voluptates & dolores ad ſenſum tactûs, guſtuſque præſertim attinentes, minime æſtimanda venit contemptu & ſpontanea earum rerum, quæ ad vitæ commoditatem ſpectant, & iucunditatē, reiectione, ſed moderato illarum vſu, naturæque conſentaneo. *hæc enim eſt habena voluptatis, eiuſque duæ partes, Verecundia in fuga turpium, & Honeſtas in obſeruatione decori Hæc inter libidinem & ſtuporem poſita voluptatibus imperat, alias odit & abigit, alias diſpenſat & ad ſanum modum redigit, nec vnquam ad illas propter illas venit; ſcit optimum eſſe modum cupitorum non quantum velis, ſed quantùm debeas.* Atqui ſi a priuato quoque ſummopere coli debet Temperantia, maximè profectò digna eſt Principibus viris, qui nominis ſui dignitatem cum ſalute publica coniunctam retinere, vt debent, cupiunt. Enimuerò *quis per Deum immortalem! imperium in ceteros homines ei tribuat qui ne homo dici mereatur ſi verum eſt quod ſapientes perhibent iſtas voluptates guſtus atque tactus, id eſt libidines in cibos atque in venerem prodigas ſolas eſſe hominibus communes cum beſtiis, & idcirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur quiſquis eſt his ferinis voluptatibus prauinctus. Voluptas bonum pecoris eſt. Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo ac Dijs ſecundo, mutis aggregetur Animal pabulo lætum.* Quis illum libertate, nedùm imperio dignum cenſeat, qui ſibi ſuiſq; voluptatibus imperare nequeat, & qui voluptatibus turpiſſimis dominis ancilletur & pareat; quibus voluptatibus ſeruire lōgé grauius eſſe, quàm Tyrānis impotentiſſimis Pythagoras dictitabat, δουλεύειν πάθεσι χαλεπώτερον, ἢ τυράννοις. ἐλεύθερον ἀδύνατον εἶναι τὸν πάθεσι δουλεύοντα, καὶ ὑπὸ παθῶν κρατούμενον. *Si non vis inter ſeruos repu-*

epiſt. 116. *epiſt. 5.* *epiſt. 88.* *Idem ep. 92.*

tari, monet Epictetus, *ipſe liberator ſeruitute; eris autem liber, ſi cupiditate fueris liberatus.* εἰ βούλει δούλων ἐκτὸς ὑπάρχειν, αὐτὸς ἀπολύθητι δουλείας, ἔσῃ δ' ἐλεύθερος, ἐὰν ἀπολυθῇς ἐπιθυμίας. Etenī *etſi difficile eſt*, vt idē grauiter monet, *eum qui ſit diues, eſſe tēperantē, aut eum qui temperans eſt eſſe diuitē*; δυσχερὲς ἄρα οὖν πλουτοῦντα σωφρονεῖν, ἢ σωφρονοῦντα πλουτεῖν; Omninò tamen capeſſenda eſt Temperantia Principi, qui ſuæ famæ & æſtimationis curam habet, memorque eſt Curionum, Fabriciorum, & Scipionum nomina ſobrietatem, & temperantiam magis commendaſſe, quàm tot alia præclara facinora ab iis patrata: tùm verò non oblitus illius acroamatis Alexandri magni, quo ille ſollicitatus ab Epheſtione, vti Regiâ muliere bello captâ potiretur, reſpondit *turpe fore ei, qui victor tot virorum fuiſſet a mulieribus vinci & domari; aut eundem, qui in aliorum incontinentiam pro officio deberet animaduertere, ſeruire incontinentiæ.* Quòd ſi Principes viri velut in Reipub. puppi ſedentes curſum rectum, ſeu in vndoſo mari tenere minime poſſunt, niſi & prouidentiâ variâ tanquàm clauo hanc nauem gubernent, & validis animi, ac corporis viribus tanquàm remis veliſq; moueant, & eandem quibuſdam authoritatis ſuæ anchoris firment: quantò Temperantiam ſtudio excolere Principes debeant, res eſt profectò tàm clara, quàm quæ clariſſima. Etenim Temperantiæ vim ineſſe ſiue ad prudentiam, ſiue ad robur animi, & corporis, ſiue ad cetera naturæ, fortunæque præſidia, ſine quibus nihil præclarum, nihil magnificum perfici poteſt, omnium ſapientum communis vox eſt & ſententia. Pythagoras, qui tot annos ſingulari imperio Siciliam rexit, *robur animæ in Temperantiâ poſuit, eamque lumen animæ paſſionum expertis eſſe*, Ῥώμη ψυχῆς σωφροσύνη. αὕτη γὰρ ψυχῆς ἀπαθοῦς φῶς ἐστιν. Et inde nomen ei Σωφροσύνη à ſapientibus inditum eſt, quod eſt, *prudentiæ incolumitas.* & præclaré Heraclitus, Ἀνὴρ ὁκόταν μεθυσθῇ, ἄγεται ὑπὸ παιδὸς ἀνήβου σφαλλόμενος οὐκ ἐπαΐων ὅκη βαίνει, ὑγρὰν τὴν ψυχὴν ἔχων. Αὔη ψυχὴ σοφωτάτη, καὶ ἀρίστη; *Vir ebriatus vacillat, & ab impubere puero ducitur; animam habens humidam, ignarus quò eat, eſt autem anima ſicca ſapientiſſima & optima.* Ariſtoteles autem ſeriò monet, *voluptates prudentiam impedire eoq; ampliùs, quò quis magis eis indulget, vt in venerearum rerum voluptate qui occupatus nemo*, inquit, *quicquam intelligere poteſt. Vinum autem*, ait alter, *clauo caret, dementat ſapientes, facit repueraſcere ſenes.* meritò igitur *ſalubrium conſiliorum parens ſalubritas dicitur.* Equidem ſatis mirari nequeo, quod de Apollonio Thyanæo ſcriptum reliquit Philoſtratus; ille enim incantationis per Dæmones inſimulatus cum cauſſam pro ſe apud Domitianum diceret, vnius contrà Temperantiæ beneficio, quidquid præſtaret admirabile, ſe

7 Ethic.

ſe perficere affirmauit, & ſobrietatis hâc laude falſũ crimen deterſit
lenibus, inquit, *& tenuiſſimis cibarijs veſcor. hæ mihi lautæ dapes. Hoc, ô
Rex, admirabilem quandam & arcanam perſpicuitatem tribuit ſenſibus,
nec turbidum quicquam aut obſcurum apud nos manere patitur, & facit vt
tãquã in ſpeculo claré videam facta & futura.* Iam verò quantum eadem
roboris animo addat, quantaſque opportunitates ad ceteras virtutes
capeſcendas, & quàm ſyncerum in animis gaudium pariat, cùm expe
rientia ſatis docet, tùm ex ei contrario vitio ſatis ſuperque omnibus
notum eſt. Quid enim magis emollit & effœminat hominũ animos
voluptate? *Animo per libidinem corrupto nihil honeſtum ineſt. Debilitatem* Tacit. 11. An.
induxere deliciæ blandiſſimæ dominæ. Teſtem te appello Annibal, teſtes
vos Athenienſes, & noui Quirites. neque hoc latuit magnum illum
Xerxem, qui Babylonios á ſe deficientes vt in ordinem cogeret, & à
rebellione reuocaret, nullum aliud ſupplicium grauius in eos ſtatuit,
quàm quód deliciarum & voluptatum omne genus eis indulſit, ar-
miſque & militaribus exercitijs, atque laborioſis muneribus inter-
dixit. *Maximas virtutes iacere omnes neceſſe eſt voluptate dominante.*
Virtus in voluptatis regno non poteſt conſiſtere. nam, vt aij Sapiens, *altum* Cicer. 2. de finib.
quiddam eſt virtus excelſum, regale, inuictum infatigabile. Voluptas humi- Senec. l. de beat. v.
le, ſeruile, imbecillum; cuius ſtatio ac domicilium fornices, ac popinæ ſunt.
Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulueru-
lentam, coloratam, calloſas habentem manus: voluptatem latitantem ſæpius
ac tenebras captantem circa balnea ac ſudatoria ac loca Ædilem metuentia,
mollem, eneruem, mero, atque vnguento madentem. pallidam, fucatam, &
medicamentis pollinctam. vndè meritò Socrates iubebat *eum, qui ad vir-*
tutem tanquam patriam feſtinaret, voluptates tanquam Syrenes præteruehi.
Δεῖ ὥσπερ Σειρῆνας τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν τὸν σπεύδοντα εἰς ἀρετὴν ἰδεῖν ὥσπερ
πατρίδα. Quî enim virtutes maſculæ pati poſſint molle & effœmina
tum voluptatis imperium? ergò illæ ſponte ſuâ exulent oportet, aut
excutiant turpiſſimæ ſeruitutis iugum; quod iugum quàm aſperum
& intolerandum ſit, perturbatio inquietudoq; animorum ſub vo-
luptatis imperio, & malorum, quæ ſecum trahit, Ilias euidenter de-
monſtrat.

Ita natura comparatum eſt, vt voluptatem mæror ſequatur. Plaut.
Quemadmodum ſcelera etiamſi non ſint deprehenſa cum fierent, ſollicitudo Sen. ep. 97.
non cum ipſis abit: ita improbarum voluptatum etiam poſt ipſas pœnitentia
eſt. Non ſunt ſolidæ, non ſunt fideles, etiamſi non nocẽt, fugiunt. Imo in hoc nos
amplectuntur voluptates vt ſtrangulent. Corpuſculum hoc etiamſi nihil fi- ep. 85.
eri ſine illo poteſt, magis neceſſariam rem crede, quàm magnam; vanas ſug- ep. 28.
gerit voluptates, breues, pœnitendas, ac niſi magna moderatione temperen-

tur in contrarium abiturus. Ita dico, in præcipiti voluptas, ad dolorem vergit. Vt flu nina dulci aquâ manantia in mare triſti ſalſugine ingratũ ſpõte decurrunt, ſic mel voluptatum in fel vertit:

Plaut. *Amor dulce amarum propinat.*

Eleganter & breuiter Iſocrates hoc virtutis, & voluptatis diſcrimen expreſſit his verbis. ἐν μὲν γὰρ τῷ ῥᾳθυμεῖν καὶ ταῖς πλησμοναῖς ἀγαπᾶν, εὐθὺς αἱ λῦπαι ταῖς ἡδοναῖς παραπεπήγασι. τὸ δὲ περὶ τὴν ἀρετὴν ἀεὶ πονεῖν καὶ σωφρόνως τὸν αὑτοῦ βίον οἰκονομεῖν ἀεὶ τὰς τέρψεις εἰλικρινεῖς καὶ βεβαιοτέρας ἀποδίδωσι. *In vita ſecordi & epularum ſtudioſa mox dolores voluptatibus coaleſcunt. Virtuti autem vacare, & vitam ſobrie inſtituere gaudia ſyncera ſemper diuturnioraq; reddit.* nã quid dicam de rei familiaris dilapidatione, ærarij exhauſtione, ſine quibus nequeãt inſaturabilis võter, & profunda libido expleri; aut cetera mala cõmemorem, quæ ab iis non ſolũ in priuatas domos, ſed in publicã erũpunt perniciẽ, factiones clandeſtinas, euerſiones rerũ publicarum? Exemplũ fuerit inreſta-

Sallu. in Catil. bilis Catilinæ coniuratio, *lubido ſtupri* (inquit eius nobilis ſcriptor) *ganeæ, ceteriq; cultus non minor inceſſerat, viri pati muliebria, mulieres in propatulo pudicitiam habere; veſcendi cauſsâ terra mariq; omnia exquirere, dormire prius, quam ſomni cupido eſſet, non famem aut ſitim neque frigus neq; laſſitudinem operiri, ſed ea omnia luxu antecapere. Hæc iuuentutem, vbi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant: animus imbutus malis artibus haud facilè libidinibus carebat: eo profuſius omnibus modis quæſtui, atque ſumptui deditus erat. In tanta tamque corrupta ciuitate Catilina id quod factu facillimum erat, omnium flagitioſorum, atque facinoroſorum circum ſe tanquam ſtipatorum cateruas habebat. Nam quicunque impudicus, adulter, ganeo manu, ventre, pene bona patria lacerauerat, quique alienum æs grande conflauerat, quò flagitium aut facinus redimeret; præterea omnes vndique parricidæ ſacrilegi, conuicti iudiciis, aut pro factis iudicium timentes. ad hæc, quos manus atque lingua periurio, aut ſanguine ciuili alebat poſtremo omnes quos flagitium, egeſtas, conſcius animus exagitabat, hi Catilinæ proximi, familiareſque erant.* Quæ cum ita ſint Principem profectò bono publico natum non ſolùm Temperantiæ peramantem eſſe ipſum oportet, ſed etiam vt eadem à ſuis ſtudioſé colatur, maximoperé ſollicitum eſſe decet. *Bona moderatio*, dicebat Iamblicus, *quæ voluptates certos intra limites coercentur, familias ſimul & ciuitates ſecundum Crathetis ſententiam conſeruat; imò & ad Deorum naturam quodammodo accedit.* ἥδε μέτροις ὡρισμένοις κατέχουσα τὰς ἡδονὰς ἐυταξία σώζει μὲν οἴκους, σώζει δὲ πόλεις κατὰ τὴν Κράτητος γνώμην. ἐμπλησιάζει πως ἤδη πρὸς τὸ τῶν θεῶν εἶδος. Quòd ſi in tantâ fortunæ & rerum omnium abundantiâ Principi nulla potior cura eſt, quàm ſanitatis &

longioris

longioris vitæ (ſanitas quippe eſt optimũ condimentũ dulcioris fortunæ) quo animo is erga temperantiã debet eſſe facilé vnusquiſq; ex eo intelligit quod *ſimplex ex ſimplici cauſâ valetudo multos morbos ſupplicia luxuriæ multa fercula ferunt. Quam longè proceſſerunt mala valetudinis? has vſuras voluptatũ pendimus vltrà modũ, faſq; concupitarũ. Ipſæ voluptates in tormenta vertuntur, epulæ cruditatẽ inferunt, ebrietates neruorum torporem, tremoremq; libidines pedum, manuum, articulorũ omnium deprauationes.* Contra *Tẽperantiâ Socratẽ fuiſſe tanta traditũ eſt vt omnia ferè vitæ ſuæ tempora (octogeſimũ autem annum vitæ ſuperauit) à valetudine inoffenſâ vixerit.* Diogenes autem mirificé oppidò exultat & triumphat de hâc laude apud Epictetũ his verbis. *Diogenes idem medicus et velut Æſculapius quidam, qui ſtatim demõſtrare poſſet & illos, ſi curatione ſua vtũtur. ſanos fore, & ſuam valetudinem in argumentum proferre. Conuenite omnes, inquit, qui é pedibus, é capite qui febri laboratis. cõuenite cæci, amentes, ac videte me ab omni malo expertem & ſaluum. Non rem habeo, agros, domum, non vxorem, liberos, familiam, imò nec ſtragulum, aut tunicam, aut aliud vaſum; videtis tamen quàm ſanus ſim.* Quid quòd Ichthiophagos ſcribit Diodorus vitam totã ſine morbis viuere, & Joſephus Eſſæos quietiſſimã vnaq; longiſſimã agere, quod apud eos potandi & edẽdi modus ſaturitate definiatur, vnoq; genere cibi vtãtur. Poſtremò *pueros, impuberes compertum eſt ſi plurimo cibo, nimioq; ſomno vterentur, hebetiores fieri, aduertimuſq; hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, vt ex obſeruatione medicorum & philoſophorũ* narrat Varro libro de liberis educandis vnde. *apud Romanos inoleuit poſtea mos Principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus ſedentes veſci propinquorum, propria et parciore menſé.* O vitæ Temperantia dux, ó prudentiæ ocellè, ô virtutum omnium parens, ô maximum donorum diuinitus homini conceſſorum ſapienti optabile!

Στέργοι με Σωφροσύνα
Δώρημα κάλλιστον θεῶν.

Quid ſine te non modo res, ſed omninò vita hominum eſſe potuiſſet? *τράπεζαν πολυτελέα μὲν*, dicebat Democritus, *τυχὴ παρατίθησιν, αὐταρκέα δὲ Σωφροσύνη. Menſam ſumptuoſam fortuna apponit, frugalem verò & præſentibus contentam exhibet Temperantia. Simplici curâ conſtant neceſſaria, in delicijs laboratur. Ad parata nati ſumus; nos omnia nobis difficilia facilium faſtidio fecimus.* Tu frænum voluptatis homines impuriſſimis, fœdiſſimiſque vitijs liberaſti. Tu magiſtra morum ac diſciplinæ fuiſti, ac veluti ſol exoriens nubium caliginem diſſipat, veluti ſidus Caſtoris & Pollucis exortu ſuo maris rabiem, tempeſtateſque diſpellit: Ità tu diuinitùs exorta ſpumeſ-

Senec. epi. 95
ep. 24
A. Gell. lib. 15
A. Gell. 4 c. 19
Tacit. 13. An.
Senec. ep. 91.

centes, & ebullientes in nobis cupiditates abſterſiſti, & illo tuo ſalutari fulgore procellas ſeditionum ex animis noſtris diſpuliſti. Socrat. *ἡ αὐτάρκεια καθάπερ ὁδὸς βραχεῖα ϗ ἐπιτερπὴς χάριν μὲν ἔχει μεγάλην, πόνον δὲ μικρόν. frugalis & rebus ſuis contentus animi habitus ſimilis eſt viæ breui & amænæ; multum enim gratiæ, parum laboris habet.* Tu & vitæ tranquillitatem ac dulcedinem nobis largita es, dolorum acerbitatem atque amarorem leniſti, edulcauiſti, Σωφροσύνη, ait Democritus, *τὰ τερπνὰ ἀέξει, καὶ ἡδονὴν ἐπιμείζονα ποιεῖ; Temperantia quæ iucunda ſunt auget, & voluptatem maiorem facit.* Tu inclyta Panacæa immortalem mortalem naturam noſtram reddidiſti; tu diuinum & cœleſte pharmacum Democrito in ſecretioris magiæ myſterijs erudito adinuentum, quo ſanos, pulchros, fortunatos, prudenteſq; homines effici iactabat. Meritò igitur ab hâc laude Agapetus commendabat ſuum Juſtinianum, *& illum verum eſſe Regem affirmabat, vt qui regere poſſet voluptates, eiſq; moderari, & corona Temperantiæ eſſet redimitus, atq; iuſtitiæ purpura eſſet indutus: etenim ceteros principatus mors quidem ſequitur huiuſmodi autem regnum in omne æuum extenditur; Atque cum alij in hoc ſeculo ſoluantur, hic principatus ab æterno ſupplicio liberat.* *βασιλέα σε κατ' ἀλήθειαν ὁρίζομαι, ὡς βασιλεύειν ϗ κρατεῖν τῶν ἡδονῶν δυνάμενον ϗ τὸν στέφανον τῆς Σωφροσύνης ἀναδησάμενον, ϗ τὴν πορφύραν τῆς δικαιοσύνης ἀμφιεσάμενον. ἡ μὲν γὰρ ἄλλη ἐξουσία τὸν θάνατον ἔχει διαδοχήν. ἡ δὲ τοιαύτη βασιλεία τὴν ἀθάνατον σώζει διαμονήν. ϗ ἡ μὲν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ λύεται. ἡ δὲ τῆς αἰωνίας κολάσεως ῥύεται.* Atqui, ſi rectè anteà temperantiam ſuis circũſcripſimus cancellis, vniuerſa profectò CAROLI III. vita raræ in Principibus Temperantiæ illuſtre eſt argumentum. Enimueró cum illegitimas & naturæ minimè conſentaneas, atq; turpes inprimis voluptates tanquàm Syrtes toto vitæ ſuæ curſu ſapiens Princeps ſedulo eſſet prætervectus, tùm rebus omnibus ad vitam ſiue neceſſariis, ſiue commodis, ſiue iucundis, eâ vſus eſt moderatione ſemper, vt neque quemquam re vel exemplo offenderet, neque in ſe peccaret, & ſuæ ſanitatis, famæ, vel officii publici eum caperet obliuio; atq; in earum porró vſu potiùs, quàm fructu talem conſtantiam & æquabilitatem retinuit, vt cum non fugeret adiunctam voluptatem, non tamẽ quærere, nedùm albis (quod aiunt) quadrigis currere ad eam videretur: neque verò easdem res vnquam ita eſt amplexus, vt ſeſe iis totum proluerit, & quaſi immergeret; aut plenis deuoraret faucibus; ſed ſummo duntaxat digito tãgeret, ac primoribus veluti labris guſtaret; non illis ſe ſe ſubiiceret; ſed ſibi illas, & ex earum cõplexu dulcedinem, & remedium acerbitati curarum eluendæ accommodatum, ſeu laxamentum interiorum ſtudiorum & quietem capeſceret,

atque

atque ex quiete maiores vires reſumeret, non aliter atque ex ſomno alacritatem nos referendi ad intermiſſa negotia quærimus: à blandimentis denique falſis, & titillationibus voluptatum ſibi seriò ſeduloque ita cauit, vt & latens in iis venenum nuſquàm imbiberet exugeretque, & miſerias, quas trahunt ſecum, prorſus effugeret. Quis enim, vt ſingillatim curſimque omnes Temperantiæ partes attingã, quis neſcit illum honeſta quidẽ pro amplitudine ſuâ, ſed frugali mẽſâ contentum, atque victui puro, & delicato ex præcepto Pythagoræ aſſuetum, expertumque moderari ventri primum, & ſomno, libidinique, & iracundiæ?

Εἰθίζου δὲ δίαιταν ἔχειν καθάρειον, ἄθρυπτον
Κρατεῖν δ' εἰθίζεο τῶνδε
Γαστρὸς μὲν πρώτιστα, ϗ ὕπνου, λαγνείης τε, ϗ θυμοῦ.

Cibum ſcilicet quemcunque facile parabilem, & nuſquàm non obuium pro familiari habere, veſcendi cauſſâ terrâ marique nihil quicquam præ rerum domeſticatum faſtidio exquirere, exquiſita ingenia cœnarum contemnere, ſalſamenta, condimentaq; & cetera gulæ irritamenta deſpuere, adeò vt domeſticos reliquiis principalis menſæ victitantes faſtidium ſimplicitatis eius, ſatietaſq; ſæpé caperet, cum herum ipſum nunquam: hoc certé maximopere ſerioque ſtudere ſemper; vt neque per delicias, aut ſumptus pecuniæ illuderet vnquã, neque quas diuitias honeſté habere, quibuſque vti liceret, iis per turpitudinem abuti properaret. Atq; cum cibo vteretur, qui vires conſeruaret, non opprimeret; edendi bibendiq; finis illi erat, quem ſapiens præſcripſit *deſideria naturæ reſtinguere, non implere aluum, & exinanire.* Non ille ſaginâ grauis vnquam abdomini curas publicas poſthabere, & niſi iis poſtquam mature prouidiſſet, ac ſæpé ſæpius dapes corrumpi monitus menſæ accedere, eique exiguum tempus concedere, ac nunquam ad multam noctem producere. quis namque frugi Principem iuxtà ſiccum atque ſobrium non ſemper vidit, & à comeſſationibus, atque repotiis plurimùm abhorrentem, & fortunam Principatus inerti luxu, ac prodigis epulis nõ præſumẽtẽ? Iàm verò à luxu in veſte cum modeſtus Princeps longé alienus eſſet, nec affectabat quidem ſordes, nec exquirebat munditiam muliebrem, aut in purpurâ, in auro, in gemmis, in lætiore & amæniore cultu pompam regiam oſtentabat Calligulæ, aut Grçcorum Imperatorum æmulus, ſed Auguſti potius, & Cari modeſtiam in cultu, in victu, in comitatu præſeferebat; atq; veſtem pretioſam & excellentem, ſigna, aulæa, tabulas, & eiuſmodi, quæ ſunt vexillum ſuperbiæ, & nidus luxuriæ, omnino parui faciebat, *ratus in ſe præter animũ nihil eſſe mirabile, cui magno*

Senec. lib. de beat. v.

id. ep. 8.

Ep 4. *nihil eſt magnum nihilq́ ſtultius quàm in homine aliena laudare, nemi*
nemq́; gloriari niſi ſuo debere, atque turpe eſſe ſapienti cum animum habeat
captare laudes ex corpore; quod fuit acroama Iuliani Imperatoris: deni-
q; vnà cum Seuero reputãs *Imperatoriã maieſtatem virtute conſtare non*
corporis cultu Ergò cum à nitido, venuſto, nimiſq; accurato veſtitu, &
à cetero abhorreret luxu noſtri æui (de quo vt intolerãdo meritò cũ
Fauorino cõqueri licet *quando ſtratus auro, argento purpurá amplior ali*
quot hominibus, quã Dijs immortalibus adornatur) leuiter & ſine curá ſe-
ipſum habebat, non ab apparatu, ſed animo Princeps, & introrſum
a plebe differens, extrorſum vel gregariis ſimilis videbatur. Quid
quod modum familiæ poſuit quem ſua maieſtas permitteret, & ſcur
ras, Dionyſiacos artifices, atque id genus ſeruitiorum dehoneſtamen
ta ſemper eſt aſpernatus plurimùm. Age quod ad ceteras voluptates
pertinet, cum eas faſtidire, atque deſpuere non niſi bardi & ſtupidi,
vel diuinioris & auguſtioris cuiuſdam mentis eſſe videatur (nam &
poetæ olim cum ceteros omnes Deos Veneri ſubdidiſſent, in Miner
uam modo nihil ei, nihil Cupidini iuris eſſe voluerunt, & hodie inter
homines qui eius imperio non pareat, præter paucas quaſdã excel-
ſas, & generoſas mẽtes, quæ vt iugũ acerbiſſimæ ſeruitutis Veneris á
ſuis depellerent ceruicibꝰ, Deoq, ſeruitutẽ ſeruirent gratiorẽ, ſe ſe ve
luti caueæ clauſtris vltro ſepſerũt, ſenſuumq; omniũ cõmercio ſpõ-
te ſeipſos veluti caſtrarunt, reperias neminẽ) non parua ſané virtus eſt
in earum voluptatum fructu modum ſeruaſſe in principibus maxi-
mè viris, quibus ſi lubet, licet, ſed ea tanto clarior, quò *cupiditatem*
ad eas nobis altè inſitam coercere, & moderari; quàm iraſcibilis in nobis vis
impetum refrenare difficilius eſſe Heraclytus & Ariſtoteles cenſuerunt.
huius itaq; mediocritatis quàm amantiſſimus fuerit noſter Princeps
quid neceſſe eſt pluribus cõmemorare, cum ſpectata omnibus fue-
rit ſingularis eius caſtitas in matrimonio in ipſo etiam prurientis æta-
tis ardore, & eximia in dilectiſſimam vxorem Sereniſſimã Principem
Claudiam Valeſiam caritas? Cuius autem ille iam cœlebs, & iuga
libus vinculis pleriſq; grauiſſimis ſolutus, cuius honeſtæ, inquã, mu-
lieris pudicitiam tentauit, obſedit, expugnauit, violauit vnquam? An
obſoletos, cynædos, lenones, & eiuſmodi aulæ dedecora fouit, coluit?
An ærariũ exhauſit, vt abdomini, & turpiſſimæ parti corporis inſer-
uiret, gratificaretur? An oſtentui habuit potentiam in flagitioſâ vitâ
vt Herculẽ ferunt de quinquaginta Danai filiabus vnâ nocte cõpreſ-
ſis triumphaſſe? An deniq; luxui & saginæ mancipatus, libidiniuè de
ditus ſeſe per licita & illicita fœdauit, ac minimé ad curas Imperii in-
tentus ſtupris, & adulterijs Principẽ egit? minimè profecto, longéq;

ſemper

ſemper àbfuit plurimũ ab omni flagitio & turpitudine, nec niſi ſummâ cautione, atq; animi moderatione voluptates vllas guſtauit, libauit. ſed de Temperantiâ ſatis ſuperq; omnib⁹ perpecta hæc ſint ſatis. Quò nobis facilior aditus iam patet ad reliquas virtutes, quæ cum ea coniũctæ in diuitiis, fortunæq; bonis, quibus ceu inſtrumẽtis voluptates corporis quærũtur, comparandis & erogandis, vt decet, & in exundantibus opibus ornatum ad vrbis & poſterûm gloriam conferendis verſantur, & LIBERALITAS, atq; MAGNIFICENTIA cluent, ad quas certè eò lubẽtius noſtra ſe cõuertit oratio quód earum fructus vberes, & eximios in omnes Reipub. partes longè latéque diſperſos video, omneſq; in ordines redundaſſe vt, quocunq; me vertam, tot illuſtria magnificentiæ CAROLI III. ſe ſe mihi exempla obiiciant. Equidem mihi in inæqualem hominum ſortem in fortunæ ſeu potius Dei Opt. Max. muneribus diligentiùs intuenti ſæpenumerò non temerè, viſum eſt nihil ea inæqualitate æqualius.

Τὰ δ' ὐκ ἐπ' ἀνδράσι κεῖται· (canit Pindarus) Pyth. od. 8.
δαίμων δὲ παρίσχει,
ἄλλοτ' ἄλλον ὕπερθε βάλλων
ἄλλον δ' ὑπὸ χειρῶν
μέτρῳ καταβαίνει.
Ne mortalis opes vindicet vt ſuas
Quiſquam, dant ſuperi cuncta, vel auferunt,
Per quos ille ſolo tollitur arduus,
Ille æquo ſpatio deprimitur gemens.

Pleriſq; honeſta quidem, ſed parca res familiaris & priuatus cenſus breuis; commune autẽ magnum, certè quibus maximæ curæ, ſummaq; Reipub. onera incũbunt, iis perãplæ opes fortunæ fauẽtiâ, & ad nutũ affluunt omnia bonorum genera, quibus ſeu fulchris Reſpub. ſuſtineri queãt. Qui enim Reges, & Principes maieſtatẽ ſuam retinere poſſunt, niſi magnificentiâ? θεῷ ὅμοιον ἔχει ὁ ἄνθρωπος τὸ εὐποιεῖν, ὅταν τὸ εὐποιεῖν μὴ καπηλεύηται, καὶ τὸ εὐεργετεῖν καὶ ἀληθεύειν, dicebat Democritus, *Deo ſimile hoc habet homo benè facere, ſi modo id non cauponetur, beneficiaq; praſtare, atq; veritatem colere. Quid autem? non proximum Diis immortalibus locum tenet Princeps, qui ſe ex Deorum natura gerit beneficus ac largus, & in melius potens? hoc affectare, hoc imitari decet: maximum ita haberi, vt optimus ſimul habeatur.* Sen. 1. declam. Iam qui Principes ſuorum beneuolentiã demereri poſſunt niſi beneficentiæ beneficio? *liberalitate qui vtuntur*, ait vir Politicus, *beneuolentiam ſibi conciliant, & quod aptiſſimum eſt ad quietẽ viuendũ, charitatẽ.* Cic. 1. off. Qui fœdera & amicitias cũ exteris ſibi adiungere, niſi munificentiæ munere? *liberalitate nihil eſt natura hominis* Senec. lib. de bene.

accommo-

Sen. de Breu. V. *accommodatius : & omnium dulciſſimum eſt accipere.* Quî imperium retinere & firmare? *Melius beneficus imperium cuſtoditur quàm armis.* Quî denique magnum nomen, & gloriam ſibi immortalem ad poſteros tranſmittere niſi Magnificentiâ? *Salluſt. Iug.* *Reges armis quàm Munificentia vinci minus flagitioſum eſt.* Quò ſanè quã ſuæ famæ illi benè conſulant Principes, qui quam opulẽtiam diuino munere acceperunt, eius vſum (nam, vt ait ille,

χρῆσις γὰρ πλούτου μάρτυς Ἀπολλόφανες
Fidelis vſus teſtis Appollophanes
Opum videtur)

Eius, inquam, vſum ſibi ſuiſq; miſero quodam anguſtoque animo inuidẽt, ipſi viderint, & inprimis meminerint ſentẽtiæ ſapientis Poetæ.

εἰ δέ τις ἔνδον νέμει
Pind. Iſth. od. 2 *πλοῦτον κρυφαῖον*
ἄλλοισι δ' ἐμπίπτων γελᾷ (*).
ψυχὰν Ἀΐδᾳ τελέων οὐ
φράζεται δόξας ἄνευθεν.
Quod ſi quis auri pondera conditi
Proferre in vſus egregios timet,
Inglorius; viſoſq; clara
Famæ auidos homines cachinnat.
Non mente læua cogitat inſcius, (:)
Vbi Orcus illi lumina clauſerit,
Se laudis exortem perennes
In tenebras animam daturum.

Certè omnem humanitatem exuiſſe illos Principes non temerè quis *Pub. Syr.* dixerit, quibus *tam adeſt quod habent, quàm quod non habent*, quorum *diuitiæ*, vt Socrates dicebat, *non magis quàm Sol poſt occaſũ, mortales oblectant*, qui aliis benefacere damno potius quàm lucro apponunt, vt ab iis *beneficium iuxta quærendum ſit, quàm à mortuo colloquium.* ὁ τῶν φιλαργύρων πλοῦτος, ὥσπερ ὁ ἥλιος καταδὺς ἐς τὴν γῆν, οὐδένα τῶν ζώντων εὐφραίνει. οὔτε παρὰ νεκροῦ ὁμιλίαν, οὔτε παρὰ φιλαργύρου χάριν δεῖ ζητεῖν. Verum qui *diuitias habens ſe quoque habet, nec in rerum ſuarum poteſtate eſt, ſicq; habet* *Sen. ep. 99.* *tanquam non vtique ſemper habiturus, & tanquam non futurus ob hoc miſerior ſi habere deſierit*, quique diuitias non aſſectuat, nec vt κτήματα, ſed potiùs χρήματα cũ iudicio effũdit ſuas opes, & inprimis neq; indignis temerè & opertis oculis *quibus dare in eodẽ ponẽdũ vitio, atq; neutquã dare* Alexãder monebat, *vnde male eũ perire* Democritus iubebat, *quòd Gratias virgines efficeret meretrices*, καλῶς ἀπόλωλεν ὅτι τὰς χάριτας παρθένους οὔσας πόρνας ἐποίησας) multò autem minus malis elargitur (*quibus*

benefacere.

benefacere, atque ſerpentem alere Plutarchi iudicio *perinde eſt, ſiquidem eorum venter vllo beneficio ad beneuolentiam trahi poteſt*, ὄφιν τρέφειν καὶ πονηρὸν εὐεργετεῖν ἴσον, οὐδετέρῳ γὰρ χάρις εὐνοίαν γεννᾷ. ſed potius qui bonis ſiue bellorum ſocijs, periculorum conſortibus, ſiue de ſe atque Repub. benè ac fortiter, ſed in togâ meritis, tùm ad exemplum, tùm ad præmium benè facit: nec paſſim & affatim, ſed cùm modo, ne liberalitate liberalitas pereat, & pænitentia ſubitæ largitionis comes ad ſeram in fundo parſimoniam impellat tandem, vel alienis bonis manus cogat adferre, is profectò ſapiens iure Princeps habendus, qui & ſibi magnum theſaurum paret: *pulcher quippè eſt theſaurus apud virum bonum debita gratia*, Τοὺς ἀγαθοὺς εὖ ποιεῖ. καλὸς γὰρ θησαυρὸς παρ᾽ ἀνδρὶ σπουδαίῳ ὀφειλομένη χάρις. Age ergò eā CAROLVS optim⁹ Princeps hac in parte tenuit moderationē, quam ſapientia ipſa præſcripſit ab auaritiâ & prodigalitate maximè remotam eſſe oportere. enim verò non ignorabat *paupertatem quidem non rei familiaris anguſtiam eſſe, ſed inſatiabilitatis magnitudinē*, quæ fuit Platonis & Epicuri doctrina. πενίαν ἡγητέον εἶναι μὴ τὸ τὴν οὐσίαν ἐλάττω ποιεῖν, ἀλλὰ τὸ τὴν ἀπληστίαν πλείω. *Non qui parū habet ſed qui plus cupit pauperē eſſe: diuitias vero non poſſeſſionis incrementū ſed cupiditatis decrementū eſſe*, quæ fuit Socratis doctrina; Σωκράτης ἐρωτηθεὶς πῶς ἂν γένοιτο τις πλούσιος, εἰ τῶν ἐπιθυμιῶν, ἔφη, ὀλιγώτερος. *Magnas diuitias eſſe lege naturæ compoſitam paupertatem, legem autem naturæ hos nobis terminos ſtatuere non eſurire, non ſitire, non algere parabile eſſe quod natura deſiderat, ad ſuperflua ſudari.* his itaq; præceptis Philoſophiæ informatus maluit auito dominio beatus eſſe, illud modicè & honeſtè colere, & omnem eius fructum ad vtilitatem tùm domeſticorum, tùm publicam referre, quàm ſuum non ſolum tundēdo, ſed deglubendo pecus, lucrumue ex omni occaſione odorando, illud quidem abſcondere, quod & illiberalis, eoq; miſeri animi foret; cum

Si quæ tenemus, illa nos recondimus,
Si quis caremus anxiùs nos quærimus,
Fortuna nos illis, vt his nos ipſimet
Priuamus vltro.
ἐὰν οἷς ἔχομεν τούτοις μηδὲ χρώμεθα
Ἃ δ᾽ οὐκ ἔχομεν, ταῦτα ζητοῦμεν
Ὧν μὲν διὰ τύχην, ὧν δ᾽ ἑαυτοὺς ἐσόμεθα ἐστερημένοι,

Et timidi ac puſilli velut magnum bonum intra ſinum continentis; & verò valde imprudentis, *cum magnæ opes properantibus ad bonam mentem non ſecus, atq; ſarcina & veſtes talares ſint impedimento*, vt dicebat Socrates, ὡς μὲν ποδήρεις ἐσθῆτες τὰ σώματα, οὕτω οἱ ὑπέρμετροι πλοῦτοι τὰς

Iſocrat. (margin)
Senec. ep. 2. (margin)
Id ep. 4. (margin)
Philem. (margin)
Senec. (margin)

ψυχὰς ἐμποδίζουσι. Et multó minus contra ſtatuit vanâ quadam ambitione non alium eius lucri fructum habere, quàm profuſionem, priuatim largiens quod auidiùs de Repub. ſumeret, & hiantes in in magnâ fortunâ amicorum cupiditates expleret. ità igirùr habuit diuitias vt hæ apud illū in ſeruitute eſſent non in imperio, nec illis luderet, ſed prouideret illarum periculū, vt nec ſordidè cuſtodiret, nec prodigé ſpargeret. Facerem equidem iniuriam felici illius memoriæ, ſi quæ luculenta & publica habemus Magnificentiæ eius ſingularis teſtimonia æternitati conſignanda, hîc prætermitterē. non enim minor gloria ex vſu diuitiarū temperato, vel etiā ſplendido, atq; ad vtilitatē publicam collato quàm ex earundē contemptu venit, ſi quidem *Lentulo ſuper conſulatum & triumphalia de Getulis gloriæ fuit bené tolerata paupertas, dein magnæ opes innocenter partæ & modeſtè habitæ.* Neq; enim vereor maleuolorū ſuſurros de gloriā liberalitatis eius tanquā alienis bonis innixæ delibantium. Quod etſi in quoſdam Principes forté ſtatui poteſt, quibus cautius eſt nihil largiri dum nihil auferant; quippe qui nunquā tāta ſtudia poſſunt aſſequi eorum, quibus dederint, quanta odia eorum, quibus ademerint: tamē ea opulentia fuit noſtri Principis, & auitum patrimoniū tàm amplum, vt de ſuo largiri pleniùs (*beneficentia nāq; ſicut Luna nunquā pulchrior apparet, quám cum plena eſt*, ἡ χάρις, ὥσπερ ἡ Σελήνη, ὅταν τέλεια γένηται, τότε καλὴ φαίνεται) & vbiq; ſuā oſtentare Magnificentiā citrà vllam iniuriæ externæ ſuſpicionem ei sēper pronum fuerit. Sinite enim me præterire quantā priuatim erga ſuos ſeu domeſticos, ſeu exteros, quorū fidelē operam pace & bello erat expertus, liberalitatē exercuerit sēper, & quàm *libero animo (á quo liberalitas nominata eſt)* quà erogando ſæpé magnā nummorum vim, quà penſionem quotannis pendendo, quà ius nobilitatis, aut immunitatis concedēdo, quà villas & fundos, quà prædia clientelaria, & beneficiaria, aut iura meri dominij gratificando. Sinite præterire quā amplis honoribus & beneficiis nobilitatem patriā affecerit, quàm ſtudioſé iuuētutis ſtudia ad liberales artes, aut militarem ſcienriā annuis penſionibus fouerit, & magnis muneribus inuitarit, quā benigné ex eā quotquot eleganriores aut generoſiores in ſuam familiā & domum admiſerit, quàm deniq; prudenrer cōſeruationi & diuturnitati eiuſdē ordinis lege latâ de maritandis ordinibus, & nouis nobilibus mortuis prope ramalibus & areſcentibus truncis antiquæ & illuſtris nobilitatis inſerēdis, atq; minorū gentium familiis in maiorum gentium penates & iura trāſmittendis cōſuluerit. Priuata & nouiſſima ſuæ Magnificētiæ exēpla hæc duo ſatis ſit meminiſſe. Pridie quàm in morbum ſupremum incidiſſet munificus Princeps no-

Tacit. 4. ann.

Iſocrat.

Senec. lib. de benef. v.

biliſſimo iuueni ſibi ob modeſtiæ laudē & aſſiduũ ſeruitium pergrato equum fortè à ſe dono petenti per cubiculariũ miſit ſexcentas libras; alteri paulò ante forti iuxtà & clariſſimo viro ſex mille libras alio nomine ſuæ Celſitudini ab illo debitas remiſit, quòd is ab externo Principe penſionē annuā duarum mille librarum vltro oblatā accipere recuſaſſet. infinitum profectò eſſet ſingula eius priuatæ liberalitatis exēpla recenſere. ſeriò certé cum Poetâ loquar verbum veraci mente peperiſſe nullam centum intra annos ciuitatem

φίλοις ἄνδρα μᾶλλον
εὐεργέταν πραπίσιν ἀ-
φθονεστερόν τε χέρα, *nec vllum* — *Pindar.*
Principem prudente benigniorem
CAROLO *dantem, neq; largiori* *Munera dextrâ.*

An vero eſt vllum in vniuerſâ ſuâ terrâ ſeu oppidũ, ſeu pagus, quem ſi quādo tēpeſtas calamitoſa afflixiſſet, ei de cenſus eo anno debiti magna parte non faceret gratiam? Quid quod de omni plebe tum ruſticana, tum vrbana optime ſemper mereri ſtuduit maxime quà otium cunctis gratiſſimum faciendo, quà pacem per tot luſtra quoad licuit per vicinorum modeſtiam colendo, propriæq; domus amplitudini præferendo, quà pacis artes magni faciendo, quà vindicando à potentiorum iniuriis & vſuris, quà deniq; tributis ab omnibus niſi neceſſitate cogente leuādo? Quid quòd nundinas inſtituit in celebri traiectu Diui Nicolai totius Galliæ & Germaniæ vmbilico, vt ampliſſimum eſſet ſuæ ditionis emporium, è quo vniuerſi ordines ſuppellectilem omnis generis familiæ neceſſariam coemere & ſibi comparare poſſent; ibidemq; magnificum extruxit forum? Quòd commeatum non ſolùm eo tēpore omnibus liberum, ſed & ſēper in vniuerſâ ſua ditione prouidit præfectis rerum capitaliũ & quæſitoribus acerrimis ei muneri præpoſitis? deniq; quòd vias regias & publicas lapide ſtrauit, reddiditq; vt tutas ita & faciles? Quæ ſi cui dominia, repotia, cænaſq;, & ludos, aut palatia ſuperba, & id genus inſaniæ luxuriæq; regiæ excremēta deſideranti pro amplis & magnificis non habētur, is aduertat quæſo ad hæc illuſtriora, & publice vtiliora Magnificentiæ exēpla. Enimuerò *ſi ius & æquitas vincula ſunt ciuitatũ*, quāti eſt in Ducatu Barrenſi Curiā ſupremā, in quâ nouē integerrimi, & cōſultiſſimi Iudices in fano Diui Michaelis conſidentes ius dicerēt, redderētq;, & ſũmos infimis pari iure retinerēt fundaſſe? Quāti eſt in Lotharīgiæ Ducatu & numerum Senatorũ Prætorii ſanctioris & Iuriſdictionē Tribunitiā Nācei ſedentē amplificaſſe? Si *in legibus ſalus ciuitatis* ex Philoſophi decreto *ſita eſt* ἐν γὰρ τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως; quanti eſt

Margin notes: *Cicer. Parad.* — *1 Rhetb.*

eum leges ſanxiſſe,ſuiſque reddidiſſe, quibus & præmia virtutibus, & ſupplicia vitijs eſſẽt propoſita,& vniuerſi in officio continerẽtur? quanti eſt ius moribus conſtitutum antiquum illud quidẽ & obſcurum explicaſſe,variũ & anceps firmaſſe,incertumq; & inconſtãs certis diſtinxiſſe legibus,& fixiſſe,idemq; in ſenſu & capite paucorum retentũ ſcriptis conſignaſſe,euulgaſſe,& omnibus propalaſſe?Iàm verò quanti eſt hanc, quam habemus florentiſſimãAcademiam,ſcholam litterarum & bonarum artium, pietatis, & virtutum omnium ſeminarium,iuſtitiæq; ſacrariũ,atq; Apollinis ædem Magnificũ Principẽ fundauiſſe,atq; ad tantum celebritatis culmen ſuâ munificentia euexiſſe?Liceat hic amplitudinem tanti beneficij longẽ maiorem,quam plurimi parùm æqui iudices ſuſpicantur,paulò attentiùs cõſiderare. Etenim præclare & prudenter optimus ille moderandæ Reipub.magiſter Plato lanificij cuiuſdã textori Regem æquiparaſſe mihi ſemper viſus eſt,regiæq; texturæ ſtamen in fortitudine ciuium,ſubtegmen in temperantia ſtatuiſſe,atq; ad mores adeò natura diſſimiles componendos gemina tribuiſſe Principi vincula,quorum altera humana in corporũ fortium cum tẽperatis connubio,& coniũctione eſſent ſita; altera autem diuina in laudandarũ,atq; honeſtarum artiũ inſtitutione,quibus animi fortes manſueſcerent, ac tẽperantes excitarentur, & vigerẽt. Enim verò ſapientiſſima illa Mens rerũ omnium Architectatrix in ipſis naturæ primordijs cum hominẽ ceterarũ rerum principem ac moderatorẽ ſtatuiſſet,altiſſimo ſanẽ conſilio animã diuinæ particulã auræ cum corpore copulauit; ac ne illa cæleſti ſemine concreta terrenæ partis conſuetudine & contagione langueret, ſcientiã & virtutem eſt impertita,quibus corpoream molem non excoleret modo,ſed etiam in ſocietatem immortalitatis aſſereret, & tanquàm animal ceteris,quibus dominaretur ſanctius ,mentiſq; capacius altæ ſeſe ſupra caduca quidem efferret, diuinis autem obnixiùs ſubmitteret, & obſequeretur religioſius. Sed vt ferè *nihil in humanis rebus felix, idemque diuturnum*, non ità multò poſt animus hominis , vt ex Pythagoreorum myſterijs accepimus, rerum commercio ſenſus delinientium faſcinatus omnem diuinitatis ſenſum ferẽ exuit,deteriorisque ſui partis nutui obtemperans , & rationis imperium detrectans denſiſſimis ignorantiæ, vitiorumque tenebris ſe ſe paſſus eſt obnubilari, ac circumfundi. hinc naſcimur omnium ignari rerum, rudes, inculti, & prô dolor animis feroces, ad libidinem procliues, & abdomini nati, veluti pecora, quæ natura prona,atque ventri obedientia finxit. Luſtrate quæſo mecũ magnas terræ plagas, & percurrite vaſtiores orbis partes; illic paſſim vagantur homines

in agris, aut in plauſtris habitant victu ſibi ferino propagantes vitam legum exortes, & iuris diuini, humaniq; expertes, nec ratione animi; ſed pleraque viribus corporis gerunt. Atqui quanquàm omnes æquè duris ijs obnoxij legibus ſolum premimus, tamen optimus ille, & maximus Parens quaſdam diſpoſitiones, habituſque virtutum, ſpecies & notiones multarum artium, & ſcientiarum tanquam plantulas quaſdam generóſas in animis noſtris implantauit. Quemadmodum autem magni refert arbores vbere & familiari ſolo, eoque ſedulò expurgato, extirpato, & elapidato locari, quia humoris, quem fibræ radicis ſiticuloſæ trahunt, conditionem fructum ſequi neceſſe eſt, ſed & de cetero diligentem, & aſſiduam ſollicitudinem requirunt, quæ in radice, trunco, ramis, foliis, flore, & fructu verſatur: ità ſanè vt animi noſtri à naturâ bruti, atque feri ad cultum manſuetudinemque traducantur, optimum eos & ſalutarem haurire ſuccum doctrinæ, & virtutis oportet; ſolumque ipſum animorum ſedulò expurgandum, euellenda radicitùs latentia vitiorum ſemina, radiculæ omnes à natiuis inquinamentis exeodicandæ; truncus iuſtitiæ cultello enodandus, furſumque adducendus, ne flexuoſus fiat, & intortus, idemque & temperantiâ fouendus, ac ſarriendus, ne mureſcat, ac contabeſcat; & fortitudinis pedamentis alligandus, ac fulciendus, ne deorſum lapſus, & humi ſerpens puteſcat: paſſiones verò, & affectus animi quaſi luxuriãtes, & male nati rami cõtinuâ putatione, & falculâ prudẽtiæ reſecandi; deniq; opera tanquã fructus vinculis coercenda legũ humanarũ, diuinarũq;, quarum officium eſt variarum conditionũ motus, & affectiones vagas, & ebullientes refrenare. Sed enim verò, vt omnis ſpes à radicis curâ pendet, ità ſanè omnis vitæ regula in adoleſcẽtiæ educatione eſt poſita, quæ ſi proba eſt, vitæ quoq; decurſus melior, & cõmodior eſt futurus. Illa benè affecta iàm iàm florere, & indicia præbere ſolet ſpirantia futurarum virtutum odorem, quæ iuuentæ virorem honeſtãt & rerum præclarè geſtarum fructu vario ætatem exornant virilem, atq; gloriâ immarceſſibili beant ſenectutem. Atqui quàm neceſſariã ad perfectam virtutem conſequendam præcurſionem adhibeant litteræ, ex eo profectò licet intelligere, quod *virtus etſi quoſdam impetus a naturâ ſumit*, vt præclare ſcripſit Declamator Romanus, *ea tamen perficiendæ doctrinâ eſt neque plenè ſatis ea contingit*, vt ſapienter monet Seneca, *niſi animo inſtituto, & edocto, & ad ſummum aſſiduâ exercitatione perducto.* nam litteræ nos è nutricum auulſos vberibus titillatione quadam honeſtiſſimæ voluptatis primùm ad fabellarum, & Poeſeos lectionẽ alliciunt; *quis enim tàm agreſtibus inſtitutis viuit, aut quis contrà* Quintil. epiſt. 90. Cicer. 3 de fin.

ſtudia naturæ tàm vehementer obdurauit. vt à rebus cognitione dignis abhoreat, eaſq; ſine voluptate, aut vtilitate aliquâ non requirat, & pro nihilo putet? eædem autem litteræ allectos præceptis ſaluberrimis complēt, non tantùm benè dicendi, verũ etiam benè viuendi cōmonſtrant vias, excitant in animis noſtris igniculos gloriæ; quantus ſit in virtute ſplendor, quanta in vitijs deformitas, edocent: quæ qui ſemel benè penitus imbiberint, ij nunquàm non poſtea, & vitii turpitudinē omni ſtudio refugient, & officii, honeſtatiſq; rationem rebus aliis omnibus anteponent. Nam Muſæus, Linus, Orpheus, Homerus, cum Sapiētiæ ſtudia coluiſſent, verſu & fabellarum velis eadem tecta ad poſteritatem propagarunt, auguſtius & maieſtati rerum aptius rati carminibus ea complecti, & grandiore ſono efferre. *Omnis Poëſis Homeri,* inquit Baſilius, *laudatio virtutis eſt, & omnia ipſe eò dirigit, niſi ſi quid parergon, & ornatus cauſâ accedit.* Eædem verò litteræ, vbi infirmam illam ineuntis ætatulæ teneritatem robur adoleſcentiæ excepit, animum per ſe feracem emolliunt, frangunt; efferentibus ſeſe cupiditatibus, quibus ea pars vitæ inſigniter agitari ſolet, frænos iniiciunt; & præclararum rerum ſtudio accendunt. pulchrè Plutarchus. οὐδὲν γὰρ ἄλλο Μουσῶν εὐμενείας ἀπολαύουσιν ἄνθρωποι τοσοῦτον, ὅσον ἐξημερῶσαι τὴν φύσιν ὑπὸ λόγου, καὶ παιδείας τῷ λόγῳ δεξάμενον τὸ μέτριον, καὶ τὸ ἄγαν ἀποβαλλοῦσαν. *Nihil maius ex Muſarum placido commercio homines capiunt, quàm quòd naturam mitigent, & manſuetam faciant ratione & doctrina amplectentem ex ijs modeſtiam, & quod nimis eſt fugientem;* itaque idem ille ſcriptor Marcio Coriolano, & Caio Mario hoc defuiſſe oſtendit ſummis alioqui viris, *qui,* inquit, *ſi Muſis, Gratiſque litaſſent, non impetu ablati tàm foedum, & turpem rebus ſuis exitum dediſſent.* Quid quòd cum duo publicorum temporum genera ſint, vnum pacis, alterum belli, & in vtroque prudentia & fortitudine animi omnia geruntur, eæ autem virtutes aut doctrina comparantur, aut certè perficiuntur? Quî enim ciuibus iura deſcribere, quãtum cuiq; tribuendum ſit intelligere, ciuium inter ſe diſſidia componere, verba publicè facere, legationes cum laude gerere, præterita tenere, futura proſpicere, quod in omnibus rebus factu optimũ ſit videre, & ex alijs alia colligere poterit, niſi qui hæc ſibi de litterarũ fontibus haurienda omnia exiſtimauerit. tacitè enim doctrina omnis, & interior ille animi cultus acuit, & iudicij vim format. Recte Ariſtoteles, ἡ μὲν ὄρασις ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῶν μαθημάτων. *aſpectus à circumfuſo aere lumen accipit, mens à doctrina.* Quid quàm multa expreſſa ſunt eruditiſſimorum hominum ſcriptis de virtute, de gloria, de charitate patriæ, de animorum æter-

nitate, de præmiis, quæ poſt mortem manent eos, qui ſe pro patriâ animoſé, ac fortiter geſſerint, quæ tantam ad fortitudinem, & conſtantiam animi vim habent, vt neque qui ea ignorent, veræ laudis habere guſtum, neque qui tractent, veræ ac ſolidæ gloriæ vllam rem omninò anteferre poſſint. *Ecce res magna*, inquit Seneca, *habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei. Incredibilis vis Philoſophiæ eſt ad omnem fortuitam vim retundendam. Nullum telum in corpore eius ſedet: munita eſt ſolidaque: quædam defatigat, & velut leuia tela laxo ſinu excludit, quædam diſcutit, & in eum vſque, qui miſerat, reſpuit.* ep. 53.
Quòd ſi & felicitas publica, ad quam humana omnia referenda ſunt, è ſingulorum ciuium felicitate conſtat, ſingulorum autem felicitas in excolendâ exercendâque virtute præcipue ſita eſt; & verò pietate, iuſtitiâ, temperantiâ, fortitudine, in primiſque prudentiâ conſeruantur ciuitates; atque earum ſunt omnium virtutum quaſi ſemina litterarum prodita monimentis, quis inficiabitur & qui Rempublicam miniſtrant niſi litteris exculti ſint, & ſapientia præditi, multis eos muneris ſui, iiſque præcipuis partibus neceſſario deeſſe; atque niſi in quâ litterarum cultura vigeat, florere abſolute ciuitatem nullam poſſe, & tunc demùm reſpubl. beatas fore, cum aut Philoſophi cœpiſſent regere, aut qui regerent Philoſophari, vt eſt prudenter â Platone ſcriptum? Quod ne quis oratoriè aut vanè dictum potiùs, quàm verè ab eloquentiſſimo Philoſopho putet, ex antiquitatis monumentis breuiter repetere iuuat, & qui Philoſophi rerum adminiſtrationi feliciter præfuerint, & qui Principes fuerint Philoſophati cum laude, aut certe ex conſilio Philoſophorum ſuum imperium rexerint. *Pythagoram* narrat Marcus Tullius, *Græciam, quæ Magna dicta eſt, priuatim, & publice præſtantiſſimis inſtitutis, & artibus exornaſſe. Zaleuci, Charundaq. leges*, ait Seneca, *laudantur: hi non in foro, nec in Conſultorum atrio, ſed in Pythagoræ tacito illo, ſanctoque ſeceſſu didicerunt iura, quæ florenti tunc Siciliæ, & per Italiam Græciæ ponerent.* ep. 90. Architas Tarentinus referentibus Diogene, & Suidâ ſeptem annos patriæ præfuit, cum alii non niſi annum ex lege poſſent. Diogenem Cynicum, Carneadem Academicum, & Critolaum Peripateticum vidit Cicero Lælio & Scipione adoleſcentibus ad Senatum ab Athenienſibus negotii publici gratiâ legatos eſſe miſſos. Poſſidonius Rhodi Rempublicam adminiſtrauit, & ſapientiæ ſtudia, ſcholaſque habuit. Perſæus Zenonis auditor; & famulus ab Antigono Rege Sapientiæ peramante præfectus Acrocorintho, à quâ arce Corinthus ipſa, imò Peloponeſus pendebat. Athenodorus Cananita cognomento dimiſſus ab

Auguſto Cæſare patriam turbatam ordinauit & rexit. Iam verò quis neſcit Cleomenem Spartanum à Sphœro Cleanthis diſcipulo, & Præceptore ſuo inflammatum ad gloriam: & Regem Antigonum Gonatham ſæpé ad Zenonem viſendum, audiendum, fruendum Athenas veniſſe, præmijsque ad ſe vocatum nunquàm mouiſſe; eo autem mortuo proclamauiſſe *quale theatrum perdidi*! quis neſcit Scipionem Africanum poſteriorem familiarem habuiſſe Panætium Stoicum, itaque æſtimaſſe eum, & amauiſſe, vt domi habuerit, nec à ſe dimiſerit etiam cum ad res, aut bella iret. Memorabile eſt, quod de Catone Vticenſi Plutarchus narrat, *Cato*, inquit, *incenſus ſtudio doctrinæ cum audiſſet Athenodorum Cordilionem cognomine in Stoicis excellentem Pergami agere ætate iam grandem, atque eum Regum, & Principum plurium amicitiam, ac contubernia refugiſſe, arbitratus nihil ſe nuntijs aut litteris profecturum, ſumpto in duos menſes iure legationis libera ipſius in Aſiam iuit fretus virtutibus ſuis, quibus ea præda cederet. Quod factum, & expugnatum virum ac de ſententia poſt aliquot ſermones deiectum ſecum in caſtra duxit ouans, ac triũphans ve re præclariſſimâ geſtâ ſplẽdidiùs inſtiuſq; quàm Pompeius aut Lucullus de Regibus aut regni; quæ tunc maxime capiebant, aut vaſtabant.* Cui Catoni idem refert Antipatrum Thyrium Stoicum in adoleſcentiâ doctorem atque adeò in contubernio Romæ fuiſſe. Nam quid commemorem Pompeium Magnum è Syriâ redeuntem Poſſidonij, de quo ſupra, viſendi, audiendique deflexiſſe Rhodum, & percuti de more fores à lictore vetuiſſe, atque faſces ianuæ ſubmiſiſſe eum, cui ſe oriens, occidenſque ſubmiſerat? Quid dicam Athenodorum Cananitam cognomento Auguſti Cæſaris doctorem & familiarem fuiſſe, magnoſque honores ab eo conſecutum? denique Græcorum Imperium hiſtoriæ teſtantur vnà quidem cum litterarum ſtudio & floruiſſe, & ruinam contraxiſſe: euerſum autem ſemel & labefactatum, quod mirandum eſt, poſtea ab ipſis Romanis victoribus fuiſſe ſummis honoribus cumulatum, & priſtinæ libertati reſtitutum. Tantam obtinuit litterarum maieſtas gratiam apud viros martiales pro Græciâ diſciplinarum omnium parente. Quæ cum ita ſint & ſummum agnoſcamus eſſe hoc Magnifici Principis beneficium par eſt, & ſingulari animi gratitudine eximiam eius prudentiam in ſtudijs bonarum artium tanta cum curâ promouendis tanquàm in iaciendis æterni imperij fundamentis exoſculemur. Quidni enim ſperaret æternum illud imperium, quo iuuentus bonis inſtituta artibus, modeſtiæ temperantiæque ſtudioſa, & magnos gerens animos atque alacris, & aſſueta rebus præclaris gerẽdis accederet ad Rempub. capeſſendã? eius nimiùm

peramplæ

peramplæ ſpei locupletes habuit vades duos prudentiſſimos, & fortiſſimos, quos Sol vnquàm vidit Principes, Auguſtum, & Diuum Carolum Magnum; ex quibus ille cum ex Mœcenatis conſilio maximam publicarum ſcholarum geſſiſſet curam, cum ſapientis conſilij fructum reportauit vberrimum, vt templum Iani quadraginta per annos continuos, rem nũquàm anteà viſam, Romani clauſum viderent, & pace fruerentur inſperatâ. Hic diuino quodam numine afflatus, aliàs ipſe græcâ latinaq; linguâ eruditus, nec hæbraicarum litterarum ignarus, Gymnaſiorum Bononienſis & Lutetiani, (quæ inſtituerat, & vndique accitis & liberaliſſimè inuitatis ingenuarum artium, litterarumque omnium magiſtris, & doctoribus inſtruxerat, & exornauerat,) fundamentis vnaquoq; Imperij regniq; Gallici fundamenta iecit ſempiterna. Quanquàm enim fortitudo, atque animi magnitudo ſunt acerrimi libertatis vindices, ad eos tamen non dubitauit noſter CAROLVS ſuorum animos excitare,

Non torpere graui paſſus ſua regna veterno.

Securus ſcilicet omnis ab ijs metûs, quos clementiâ, & beneficentiâ proſequeretur, & in quorum beneuolentiâ vnicum ſuæ tutelæ præſidium ſitum eſſe ſibi perſuaſum haberet. *Hoc fuit ſemper conſilium Tyrannorum*, inquit Pauſanias in conuiuio Platonis, *vt ſubditos litteris potius quàm armis deſtituerent, vti immerſi eorum animi turpi ignorantia cano torpenteſq; & ignaui non vnquàm de reſpirando, & infami ſeruitutis iugo excutiendo atq; aſſerendâ libertate cogitarent.* Quo nefario conſilio inductus Iulianus inimiciſſimus Chriſtiani nominis, ſed prudens aliâs & ſolers Princeps nullâ arte magis Chriſtianos putauit poſſe deuinci, quàm ſi illos publicis ſcholis interdiceret. ſic & olim Mitylenæi, quos bello deuicerant populos, nullam eis aliam pœnam irrogabant. Et noſtris ſeculis Ottomanni, tametſi primis temporibus eorum maiores Mahomed, & Almanſor bibliothecas, gymnaſiaque extruxiſſent, & propoſitis præmijs ad bonas artes ſuorum animos inflammaſſent, adeò vt extinctis Græcorum & Latinorum ſtudiis gloriam literariam velle viderenrur abripere, & hac laude de ceteris gentibus triumphare, tamen Tyrannidis retinendæ ergò neglecto paterno conſilio Aſiam, Græciam, & Ægyptum, quæ olim palmâ litteraria reliquis anteſtabant, ingenuis omnibus diſciplinis ſpoliaruut, & quaſi omni humanitate exuerunt. Neque verò moueri debemus vocibus iniquorum hanc Academiam ſeminarium hominum ad ignauiam & ſocordiam natorum, ſcholamq; rabularum forenſium, & hirudinum populi calumniantiũ. Exeunt fateor multi, & nimium multi ex tot tamq; frequẽtibus totâ Europâ ſcholis, qui doctrinâ ore

tenus exerciti animū bonis artibus non imbuerūt, qui, vt mortuaria gloſſaria, ſcholæ nō vitæ didicerunt; quiq; ignauâ operâ, Philoſophâ ſētētiâ laterunculis ludunt, in ſuperuacuis ſubtilitatem terunt, *ἀντὶ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν*, omnemq; ætatem à Repub. procul habent. Exeunt non pauci, qui pallium Philoſophi, pileumq; & apicem docto ris ſub cucurbitæ capite geſtitant, maiore in litteris iactantiâ, atq; ſophiſtiâ, quàm operâ; incertum ſtolidiores, an vaniores. Exeunt; ó pu dor, non pauci veteratores ſpecie bonarum artium falſi, qui pudore amiſſo, importunâ induſtriâ, corruptis moribus audaces, confidētes linguâ, cetera omnia preterquàm animū procurātes, vitia doctrinæ velo inūbrant, animo perfidioſi, & ſubdoli, auaritiam & libidinē occultant: in quibus maximus Philoſophorum Epictetus litteras, atque doctrinas Philoſophiæ tanquàm in vaſis ſpurcis, atq; pollutis verti, mutari, & corrumpi inclamabat; & *κυνικωτέρως* dicebat vrinam fieri, aut ſi quid eſt vrinâ ſpurcius. Exeunt non pauci (fateor) homines æruſcatores, & quæſtum ſordidum ex nobiliſſimâ arte captantes, æmuli potiùs Apollinis Pſeudoli Varronis ſatyrâ exagitati, ſeu Veio uis ademptâ & detractâ iuuandi facultate indigetati (cuius ſimulachrum in æde Romæ arcē inter, & Capitolium ſagittas tenentis paratas ad nocendum extitit) quàm Opiferi, aut Alexicaci. Verum eſto

Tacit. 4. hiſt. pleriq; anguſti animi operam ſuam ludant negligentes *vſum doctrinæ, qui non eſt ad pompam, aut ſpeciem, nec vt nomine magnifico ſegne otium veles, ſed quo firmior aduerſum fortuita Rempublicam capeſſas, & aliquâ ex parte ciuilem ſocietatem iuues*. an propterea in ceterorum præiudicium ſtudia bonarum litterarum negligenda, & honeſtæ artes funditùs euertendæ? quis mihi mellificium in ignem iniicit, apumque labores damnat, ſi in iis fucos, ignauum pecus, reperit? Et ſi litteris ad ceterorum perniciem abutuntur quidam, an reliqui bonæ mētis ſalutari ſtudio interdicēdi? aut cur non imus vites extirpatū, quia per temulētiā ſalubri earū ſucco pleriq; male vtuntur? an ſi *ſine*

Colum lib 1. *cauſidicis ſatis olim felices fuere vrbes*, his corruptis moribus nō magno

Tacit. 11. Ann vſui, *& rebus ſubſidiū præparatur, ne quis inopiâ aduocatorū potētioribus ſit*

lib. 6. Ann. *obnoxius*? Et in hâc naturæ prope effœtæ infirmitate *eludi debēt*, Tyberij iudicio *medicorum artes atq; ij qui poſt triceſimum ætatis annum ad internoſcenda corpori ſuo vtilia, vel noxia alieni conſilij indigent*? Et vt ita ſit, an non etiam ad reliquum, & varium omne vitæ genus doctrina vſui eſt, quâ ad ſplendorem, ad virtutem, & prudentiam vitæ magiſtram, atq; animi tranquillitatem nihil certe magis cōferre poteſt? ac de ſplēdore quidem, quem ſcientia vel ad ampliſſimas dignitates adiungit, vnus Alexander Magnus locupletiſſimam fidem fecerit, qui cum in

vulgus à Magiſtro editos libros acraomaticos cognouiſſet, atque eâ tempeſtate armis, exercituq; omnẽ prope Aſiam teneret, Regemq; ipſum Darium prælijs & victorijs vrgeret, in illis tamen tantis negotijs litteras ad Ariſtotelem miſit, non cum rectè feciſſe, quòd diſciplinas acroamaticas, quibus ab eo ipſe eruditus foret, libris foras editis inuulgaſſet. *nam qua, inquit, alia re præſtare ceteris poterimus ſi ea, quæ ex te accepimus, omnium prorsùs fient communia? quippe ego doctrina anteire malim, quàm copijs, atq; opulẽtijs.* ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν. *Vnus dies hominum eruditorum plus patet,* dicebat Poſſidonius, *quàm imperiti longiſſima ætas, & otium ſine litteris mors eſt, & hominis viui ſepultura. Nec enim,* vt monet Athenodor⁹ apud Senecã, *ſolus Reipub. prodeſt, qui cãdidatos extrahit, & tuetur eos, & de pace belloq; cenſet: ſed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta præceptorum bonorum inopia virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriaq; curſu ruentes prenſat, ac retrahit, et ſi nihil aliud certe moratur, in priuato publicum negotium agit. An ille plus præſtat, qui inter peregrinos & ciues, aut vrbanus Prætor adeuntibus aſſeſſoris verba pronunciat, quàm qui docet quid ſit iuſtitia, quid pietas, quid ſapientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid Deorum intellectus, quantum bonum ſit bona conſcientia?* Et grauiter multaq; paucis Caſsiodorus, *deſiderabilis eruditio litterarũ, quæ naturam laudabilem eximie reddit ornatam. ibi prudens inuenit, vnde ſapientior fiat, ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur, inde Princeps accipit quemadmodum populos ſub æqualitate componat, nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna quam litterarũ non augeat glorioſa notitia.* Lib. x. ep. 3

.am. *Quid dulcius eſt bene quàm munita tenere* Lucret.
Edita doctrina ſapientum templa ſerena,
Deſpicere vnde queas alios paſſimq; videre
Errare, atq; viam palantes quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate?

Si te ad ſtudia reuocaueris, omne vitæ faſtidiũ effugeris, nec noctẽ fieri optabis tædio lucis, nec tibi grauis eris, nec alijs ſuperuacuus, multos in amicitiam attrahes, affluetq; ad te optimus quiſq; nunquam enim, quamuis obſcura virtus latet, ſed mittit ſui ſigna. Verbo ſtudia optimè & ſenectutem excellunt, & facillime minuunt calamitatẽ, eademq; & ornamenta lætis in rebus ſunt & ſolatia. Senec. lib. de tranq. vitæ 3. Atq; vt hunc ſermonẽ concludã, cum hæc amplisſima ſint ab hac Academia in vniuerſam Lotharingiã, & in vicinas terras profecta emolumẽta; taceo namq; quòd in ea, vt in tuto loco tenera puerorũ (quorũ numero, & multitudine laborat quæq; familia, vt penè caſtitatis cõiugalis tet nens) ætas turbida, curioſa, vaga cõtinetur, & multa diſcrimina fortuita, quib⁹ temeritas eius opportuna, effugit;

et ſi inanis domum redit dedecorans Academiæ & magiſtrorum au-
thoritatem,certé nihil in eam diem mali commiſit,nec ſemina pluri-
um vitiorum & libidinum, quibus commaculari, imbuiq; in do-
meſtico contubernio plerumq; ſolet,contrahere potuit. ſed hæc pri
uata in Eccleſiã,& Nobilitatẽ Patritiam minimè prætermitti debent.
Quàm enim miſerabile fuit (ne dicã turpe)memoriâ noſtrorũ Patrũ
tàm craſſam ignorantiam, & barbariem etiam ſacrum ordinem oc-
cupaſſe,vt qui latinè ſciret loqui, & ritus verbaq; ſacra intelligeret,
vix è millibus vnum tùm reperires.Quanti igitur beneficij loco poni
debet per hanc Academiam Doctorum ſacræ Theologiæ numerum
breui æquatum iri numero Curionum Parochorum? atque cum pe-
nes Patritiam gentem ius meri dominii ſit paſſim, & iuridicorum
conuentuum ſumma poteſtas, intereſt profecto Reipub. eam bonis
litteris,prudentiâq; ciuili in primis inſtructam ad tribunal,iuſq; faci-
endum,& dicendum aſcendere.Viuet igitur æternùm huius tanti be
neficii memoria,Magnificentiamque magni Principis nulla dies de-
lebit,quam vnà cum illuſtriſſimo & reuerendiſſimo Carolo à Lotha
ringiâ Cardinale S^{ti.} Apollinaris,Principe magnâ eloquentiæ & pru-
dentiæ,rerumque geſtarum gloriâ totâ Europâ celeberrimo ille in
fundandâ hàc Academiâ, & ſummis in omni genere doctrinæ vi-
ris ad eam regendam accitis cum amplis honorariis & priuilegiis,
nec non magnificis ſcholis extructis,& magnis præmiis ſtudioſis pro
poſitis exhibuit. Sed enim non committam, vt vnquàm intermo-
riatur memoria beneficii pacis & concordiæ conciliatæ, quò priua-
tim vniuerſum nobilitatis ordinem obſtrinxit.Olim Romæ *Gladia-*
torii muneris magnificentia ſumma habita eſt.at mihi contrà ex eo pror-
ſus ſublato & interdicto ſummam magnificentiæ laudẽ noſter Prin-
ceps CAROLVS reportaſſe videtur. enimuerò quale ac quantum
fuerit eiuſmodi Concordiæ beneficium, quo Illuſtres familias æter-
nùm ſibi ille deuinxit, cùm ex eorum calamitate, qui quòd veſano
quodam furore agitati præuertiſſent eius ſagacitatem,duello nefario
ſeu bello Cadmæo vitam,fortunas,gloriamq; vna cum ſanguine tur-
piter amiſerunt,tùm maximè ex cladibus, quæ in Rempub. ab hoc
fonte dimanant, ſatis intelligere eſt. Quid enim funeſtius accidere
poteſt eo potente,& laté explicito furore,quem noſtra per tot annos
vidit ætas,quo ſcilicet arma gladioſque plerique nobiles mutuam
in perniciẽ,ô tempora!.ô mores! inter ſe diſtrinxerunt ? Quot enim
generoſa capita ſtrauit, & ad Orcum miſit ſceleſta hæc Erynnis?
Quid fœdius quàm videre etiam

Tacit. Ann.

Parentes

Frontibus

Frontibus aduerſis, fraternaq́ cominus arma,
Cognataq́ acies?
μοῖραι δ' ἀφί-
σταντ' εἴ τις ἔχθρα πέλοι,
ὁμογόνοις, αἰδῶ καλύψαι. Pind.
Longè reflectunt Parcæ oculos trucces,
Quandò propinquos impetus aſperat
Veſanus, & collidit ira
Magnanimos Procerum nepotes.

Ego ſic exiſtimo (non temeré vaticinabatur iudicii acrioris hiſtoricus) *quoniam orta omnia intereunt, quà tempeſtate vrbi Romanæ fatum excidij aduentarit, ciues cum ciuibus manus conſerturos, ita defeſſos & exangues Regi aut nationi prædæ futuros, aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ mouere, aut contundere queant hoc imperium.* Sall. Caſ. Quò ſanè plurimùm de nobilitate & Repub. meritus eſt Princeps, qui vt hunc furorem reprimeret, tantumque funus à ſuorum capitibus depelleret, nullis laboribus, nullis pepercit ſũptibus. Quis enim neſcit ſuarum rerum priuatarum, & publicarum etiam curam ſemper huic vni pacis ſtudio poſthabuiſſe, vt ſcintillas diſſenſionum in nobilium inter ſe animis latentes longé ante præuideret, fomenta earum elueret, incendiumque ſemel excitatum reſtingueret, & fauillas ſuperſtites longé eiectaret, atque concordiam firmâ, mutuaq; caritate ſtabiliret? Memini equidem cum inficiatio fruſtratioque debiti ex ludo quoſdam ex iis ad certamen ſingulare iàm iàm compelleret

(Ludus enim genuit certamen, & iras)

liberaliſſimum Principem concordiæ ergo debitorem liberaſſe, aut ſeipſum vadem dando, aut é theſauris ſuis ſuppeditando, & ſoluẽdo ad denarium. O magnum Principem! ô vnicum nobilitatis columen! atqui vt tanti beneficii magnitudo meliùs perſpici poſſit, & ſuum errorem tandem agnoſcat Nobilitas, atq; effrænato & præcipiti huic furori ſerió medeatur, vanitatem huius erroris non pigeat paucis detegere. Etenim mihi in elementa tanti mali ſedulò inquirenti, nulla profectò cauſſa alia quàm peruerſa quædam fortitudinis, & honoris interpretatio nobilem ordinem ad hanc adegiſſe videtur inſaniam. nam cum Nobilitas in virtute omnium ſenſu & conſenſu ſita ſit, & virtutes inter maximé omnium fortitudo emineat, virumq; deceat, ab eâque claritudo nominis præcipue petatur, & decus, fama, gloria maneant; virtutis autem & nota, & præmium ſit honos: hinc qui ſe primos inter mortales putant, & viri cupiunt audire, honoris quoq;

maxime omnium ſunt auidi; atque inter eos, ut honoratiſſimus eſt
quiſque, ita pro nobilißimo & generoſo habetur. hinc nobilitas ho-
norem pari ſtudio, atque claritudinem ipſam generis capeſſit, & vt
nobilitatem aſſerat, ita fortitudinis laudem, atq; ex conſequenti ho-
norem ſeu notam & præmium omni ſtudio atq; animi ardore ſibi
vindicat, eiuſq; tuendi deſiderio iuxtà atq; propriæ vitæ defendendæ,
ſi non etiam acriore tenetur; ac ſæpè dum immoderato impetu ho-
norem captat (honoris namque cupido quamuis intromiſſa non pa
lam, & ſtatim irruit, ſed clã & pedetentim irrepit, deinde quibuſdam
laudis falſæ & blãditiarum præſtigiis illudit ſenſibus, ac poſtremò lu-
mini mentis vndiq; circumfuſa quid rectum, aut prauum ſit diſcer
nere vetat: in tantà erroris caligine tunc animi iudicio velut aurigâ
perturbato ater, refractarius, ac ſternax Platonis equus per ardua, per
decliuia, per plana, per aſpera iugalem alterum fruſtra renitentem,
ſecum abripit, nec ante conſiſtit quàm agitatorem curru excutiat,)
dùm, inquam, immoderato impetu honorẽ captat, quia honor om-
nium voce inferioris quandam ſubmiſſionem ſuperiori præferre
Salluſt. videtur, inde *contemptor animus & ſuperbia commune nobilitatis malum,*
hinc fortitudinis apicem in nulli cedendo, in inferioribus calcandis,
in deprimendis ſuperioribus, in æqualibus ſuperandis, in nihil pati-
endo, nihil æquiter ferendo collocat imprudentiſſime. *Habet namq;*
ep. 74 *hoc vitium omnis ambitio,* inquit Seneca, *non reſpicit, dum quiſque præire*
vult, aliumq; ſe detrahere, & nemo eorum, qui in Repub. verſentur, quos vin-
cat, ſed à quibus vincatur, aſpicit, trudunt ſe vt fluctus fluctum, atq; inde con-
tentio, odia bellum. Dùm enim ambitio tam ſollicita eſt, ne quem ante ſe vi-
deat, quàm ne alium poſt ſe, ſuſpicioſa alias, & querula quiduis malam in
partem trahit, niſi quod palpo percutit, iniuriamque interpretatur
quod ſubmiſſione ſibi, aut deiectione vacat; & vt arquatis omnia
flaua cernuntur, picrocholis omnia amara guſtãtur, ſic illi abeniſer-
mones ceu iniuriæ pleni, ceu faſtidii ſemper plurimumque diſplicẽt;
eademque vt pote tumida, ventoſa, omnium eſt contemptrix, diffi-
cilis, impatiens, maledica, & conuitiatrix, pronaque non ſolùm ad vl-
tionem, ſed præcipua in iniuriam inferẽdam. Quæ ſane veſania non
aliunde fluxit, quàm à craſsâ, aut potius affectatâ quâdam ignorati-
one naturæ & fortitudinis, & honoris. Etenim quâ in re maxime
fortitudo eluceſcit, eam ad ignauiam, & puſillanimitatem referunt,
& contra in quâ maxime animi anguſtia cernitur, robur & magnitu-
dinem interpretantur. *Vitia namque nobis ſub virtutum nomine obre-*
Id. ep. 59 *punt temeritas ſub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignauia, pro*
cauto timidus accipitur in his magno periculo erratur. Si enim meminimus

quæ

quæ ante de fortitudinis & magnanimitatis naturâ dicta ſunt à nobis ex cõſenſu ſapientũ, quorũ cõſtans eſt vox fortitudinis partes eſſe in laboribus & diſcriminib⁹ varijs pro religionis defenſione, pro ſalute patriæ, pro amicis fortiter adeundis, ſuſtinẽdiſq; & in contẽptu eorũ quæ fortuitò euenire poſſũt malaq; credãtur, & maximè iniuriarum eſſe poſitas, certè perorauim⁹. Ex doctrinâ Socratis, (in cuius decretis hoc memorabile fuit κάκιον τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι *peius eſt lædere quã lædi*) *Vir ſapiens & fortis ſuis virtutibus ſatis munit⁹ feriri quidẽ, ſed lædi à quoq; minimè poteſt, nec aduertere iniuriã nedũ capere, aut admittere, neq; viciſſim inferre, nõ enim eam cõtumeliã putat quã improbus faciat, quã patiẽtia firmiter toleret, quia quidẽ naturæ lege in animo eius ſculptũ ſit quod nihil horum poſſit nocere ſapienti, quæ opinantur ceteri mala eſſe.* & Democriti hoc fuit acroama Φρονήσιος ἔργον μέλλουσαν ἀδικίην φυλάξασθαι. ἀναλγησίης δὲ τὸ γινόμενον μὴ ἀμύνασθαι. *Prudentiæ munus eſt cauere ab ijs, qui iniuriam volunt inferre, illatam autem non vindicare. Nullo modo alteri iniuria inferenda eſt,* monet Plato, *nec cum iniuriam paſſus fueris vlciſci debes, vt vulgus putat, ſi quidem nullo modo inferenda eſt iniuria, mala autem inferre hominibus non diſcrepat ab iniuriâ, cum id legibus aduerſetur: neq; igitur vlciſci debes, neq; malefacere cuiquam hominum quodcunque ab alijs ipſe paſſus fueris;* idemq; lege ſanxit *ciuem verbis iniuriâ affectũ non debere verbis illum offendere, ſed modeſtè ſe excuſare, & ſe a vitio expurgare.* Hic auream ita me Deus amet Muſonii orationem ſuper hoc argumento intexere lubet dignam omnium animis inſcribi, quæ tranſmiſſa eſt ad nos per Stobæum huiuſmodi verbis concepta. *Actionem iniuriarum, neque contra alium ſe acturum aiebat, neque id vlli Philoſophiæ vacantium conſulturum: ſi quidem quæ multi iniurias interpretantur eorũ nihil iniuriam eſſe, neq; contumeliam in affecto, vt maledici, conſpui, verberari quod poſtremum indigniſſimum videtur: quòd tamen nihil graue aut iniurioſum nihil contineant, docent Lacedæmoniorum pueri, qui publice flagellis cæduntur, quod illis perplacet. Philoſophi autem ſi verbera, aut contumelias contemnere nequeat, quinam vſus erit, qui & mortem palam ſpernere deberet; opus eſt per Iouem reipſa ſe talem præſtare nec irriſum, aut verberibus, contumeliaue affectum eadem regerendo vlciſci. Demoſthenes etiam oculis quoſdam iniurios eſſe putabat, eamque rem intolerabilem eſſe, & homines indè plurimum affici. Ita qui quod honeſtum, quid reuera turpe ſit ignorant, iniuriam ſe pati cenſent, ſi quis aut toruum ipſos intueatur, aut irrideat, aut percutiat, aut conuitia iactet. at vir ſapiens & cordatus, qualem Philoſophum eſſe decet, nullo horum perturbatur, non tam ipſa pati, quam inferre turpe ducens. Nam qui peccat, is turpitudini obnoxius eſt: qui verò patitur, quatenus ipſe peccatum non admittit, eatenus neque turpis alicuius*

indignitatis particeps dicendus eſt. Quapropter non ad forum & actiones vllus ſanæ mentis conuertetur, vt pote qui nullam ſibi videatur iniuriam accepiſſe. Puſillanimitas enim eſt has ob res indignari, & commoueri intentiùs ſed leniter & tranquillè tolerabit quidquid acciderit. Hoc decorum eſt ei, qui ſe magnanimum profiteatur. Ita palam Socrates erat animatus, qui publica conuitia ab Ariſtophane paſſus non modò non ægrè tulit, ſed obuium etiam interrogauit, nùm ſe rurſus ad ſimilem aliam rem opus haberet. Quám facilè putas inter paucos maledicta ſuſtinuiſſet ille, quem ne publicé quidem in frequenti theatro iactata commouere potuerunt? Ceterum bonus ille Phocion iniuriâ vxori ſuæ factâ tantùm ab authoris accuſatione abſuit, vt cum ille ſponte metu perculſus Phocionem accederet, veniamque peteret prætextu ignorationis eius fuiſſe vxorem, quam ille læſiſſet; his eum verbis compellauit; mea quidem vxor nullam à te iniuriam accepit, ſed fortaſſis quæpiam alia; vt excuſatione apud me nullâ ſit opus. Haberem alios multos veterum propoponendos, qui contumelioſe tractati ſiue verbis conuitioſis, ſiue manibus etiã cum corporis afflictione, nullo tamen pacto vltionem ſunt proſecuti, ſed æquo lenique animo hominum improbitatem tulere. Sané apud ſe animo ſtatuere, qua viâ in eum qui momordit, morſum retorqueas, & iniuriam authori reddas: ferarum potiùs quàm hominum proprium eſſe cenſeo. Mitia & humana ingenia non efferantur in eos, qui peccarunt, vt de quibus meliora poſtea ſperent. Quantò ſatius igitur fuerit ita ſe præſtare philoſophum, vt veniâ dignetur eos, qui aliquid aduerſus eum admiſerunt quàm accuſando & deferendo, ita quidem ſe ire vltum reputare, reapſe autem præter omne decorum ſibi verbiſq; ſuis pugnare. Quod ſi quis magnifica hæc verba mollitiei & leuitati Græcorum tribuenda putet, ecce Romani fortitudinis laude

Gellu. l. 6. ca. apud gentes ceteras clariſſimi in pace beneficiis magis quàm metu imperium agitabant, accepta iniuria ignoſcere, quàm perſequi malebant. Generoſa hæc vox Metelli Numidici fuit in oratione de triumpho ſuo, Quantò probi iniuriam faciliùs accipiunt, quàm alteri tradunt, tantò ille

Lib. de Ira vobis quàm gratiam, mihi peiorem honorem habuit. Seneca autem paſſim fortitudinis primas partes in contẽptu iniuriarũ ponit, Magni animi eſt inquit, iniurias deſpicere. puſilli hominis & miſeri eſt repetere mordentẽ vt mures & formicæ, ad quas ſi manum admoueris ora conuertunt. Imbecilla ſe

de conſ. ad Hel lædi putant ſi tanguntur, inualidum omne natura querulum eſt. Non vt in beneficiis honeſtum eſt merita meritis repenſare, ita iniurias iniuriis; illic vinci turpe eſt, hic vincere inhumanum verbum eſt, & quidem pro iuſto re-

Lib. quod in ſa. non cad. Iniu. ceptum vltio. Qui dolorem regerit tantum excuſatiùs peccat; & alibi, Ignominia tu putas quemquam ſapientem moueri poſſe qui omnia in ſe repoſuit, qui ab opinionibus vulgi ſeceſſit. Vt cœleſtia humanas manus effugiunt & ab his qui templa diruunt, aut ſimulachra conflant, nihil diuinitati nocetur, ita

quicquid ſit in ſapientem proteruè, petulanter ſuperbe ſi uſtrà tentatur. Nunquid autem dubium eſt, quin certius robur ſit, quod non vincitur, quàm quod non laceſſitur, cum dubia ſint vires inexpertæ, at meritò certiſſima firmitas habeatur quæ omnes incurſus reſpuit: ſic tu ſapientem melioris ſcito naturæ & nullius illi iniuriæ nocet quàm ſi nulla ſit. Atqui ne quis iis Philoſophis facilè fuiſſe ita magnificè de fortitudine & patientiâ loqui extra tela ſcilicet iniuriarum poſitis, & venerationi vulgo propioribus quàm contemptui ſuſpicetur, ecce exempla generoſi in iis animi in iniuriis æquiter ferendis illuſtria. Fortè ſcelesſtus quidam, Socratis faciē percuſſerat; quid tùm ille? minimè ſanè perturbatus furioſum hominem vlterius debacchari, & iram exſatiare permiſit, & multis toto corpore exceptis plagis ſilens abiit, hoc tantùm vltus grauem iniuriam, quòd fronti ſuæ ceu ſtatuæ cuidam impudentis & nefarij authoris nomen ſcripſit. *Iſipſus Socrates mulierem acerbam domi perpetiebatur,* A. Gell. li. 2.
inſueſcebat, & exercebatur, vt ceterorum quoque foris petulantiam, & iniuriam faciliùs ferret. Et idē ad fortuitas patiētiæ vices firmamentū id quoq; facere inſueuerat ſtare, ſcilicet ſolitus dicitur pertinaci ſtatu perdius, atque pernox à ſummo lucis ortu ad ſolem alterum orientem inconniuens, immobilis, iiſdem in veſtigiis & ore atque oculis eundem in locum directis cogitabundus tanquàm quodam ſeceſſu mentis atque animi facto à corpore. Euclides Magarenſis cuidam ſibi comminanti & iuranti mortem contrà ſe patienter laturum cum iuramento reſpondit, eiq; ſe porrò quāuis infeſtum conciliatum iri, ſi euaſiſſet mortem. Diogeni Stoico de irâ differenti proteruus adoleſcens inſpuit in os, ille autem ferens hoc leniter & ſapienter, nòn quidem, inquit, iraſcor, ſed dubito tamē, an iraſci oporteat. Quid Seneca ipſe vt tulit fortiter ſæuitiam Neronis erga ſe vel morte ipsâ exercitam? *Intromiſit ad Senecam vnum ex Centurionibus, qui neceſſitatem vltimam denuntiaret. Ille interritus poſcit teſtamenti tabulas: ac denegante Centurione, conuerſus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen & pulcherrimum habebat imaginem vitæ ſuæ relinquere teſtatur. Cuius ſi memores eſſent bonarum artium famam tàm conſtantis amicitiæ laturos ſimul lachrymas eorum modo ſermone, modo intentior in modum coercentis ad firmitudinem reuocat rogitans. vbi præcepta ſapientiæ? vbi tot per annos meditata ratio aduerſum imminentia* ſed hæc fortaſſe non mirabitur aliquis in philoſophis imi ſubſellij viris, huiuſmodi patientiam puſillanimitati potiùs togæ familiari acceptam referens, quàm animi robori. Quaſi ex iis pleriq; non militiam ſint profeſſi, & Socrates viginti ſeptem annos teſte Seneca in bello non fuerit? Prodeant ergò ſi placet in lucem totius Græciæ & Latij proceres principeſq; viri gloriâ militari, ma- ep. 104.

Tac. xv. Ann. (side note, beside "ga ſe vel morte ipsâ exercitam?")

gnitudine animi & potentiâ magni. Lycurgus Lacedæmonius iuuenem ſibi à populo traditum quòd per vecordiam alterum oculorum fodiſſet, vti pro arbitrio puniret, accepit quidem, ſed noxiam remittens optimis moribus inſtituit, & informauit, informatumque populo reddidit: Lacedæmoniis autem admirantibus, dixiſſe hæc fertur, iſtum iuuenem ex petulanti, proteruo, & impudenti, qualem à vobis accepi, iam frugi factum & popularem lubens reſtituo. Pari æquitate Pittacus fuiſſe vſus dicitur erga ſibi obnoxium contumelioſum quendam, & impunè amittens hoc acroama dixiſſe, *Venia vltione melior eſt.* Solon Athenienſium Legislator in ſe deſpuentem quendam ferebat; cum autem quidam eum propterea accuſaret, *Atqui*, inquit, *piſcatores vt gobium vnum capiant patiuntur ſe aquâ marinâ conſpergi, ego idem ferre non ſuſtineam vt hominem capiam?* *Ducebatur* (narrat Seneca) *Athenis ad ſupplicium Ariſtides, cui quiſquis occurrebat deiiciebat oculos, & ingemiſcebat non tanquam in hominem iuſtum, ſed tanquam in ipſam iuſtitiam animaduerteretur. Inuentus eſt tamen qui faciem eius inſpueret; poterat ob hoc moleſte ferre quòd ſciebat neminem id auſurum puri oris; at ille abſterſit faciem, & ſubridens ait comitanti ſe magiſtratui. Admone iſtum ne poſtea tàm improbe oſcitet. Hoc fuit contumeliæ ipſi contumeliam facere.* Homo quidam in foro Periclem probris omnibus inceſſebat, is autem minimè curare viſus toto ferè die ſuſtinuit, deinde veſperi, & tandem diſcedentem cum lumine proſecutus eſt, ne quid in Philoſophiæ ſtudium peccaret. Jam ex Romanis *Marcum Catonem*, vt refert idem Seneca, *in balneo quidam percuſſit imprudens, quis enim illi faceret iniuriam? poſtea ſatisfacienti Cato non memini, inquit, percuſſum me: melius putauit non agnoſcere, quàm ignoſcere: nihil inquis, illi poſt tantam petulantiam mali factum eſt? Imò multum boni, cœpit Catonem noſſe.* Quid Alexander, & Cæſar par incomparabile magnanimitatis? notum vt ille non ſolum in Philippum medicum veneficii crimine delatum apud ſe à matre non animaduerti iuſſit, ſed acceptam potionem non deterritus exhauſit. Nota & illa magnifica Regii animi vox, *Regium eſt cum beneſeceris, mala audire.* Quis verò neſcit Cæſaris illud fuiſſe elogiũ à claro Oratore celebratũ, *quòd nihil obliuiſci ſoleret niſi iniurias*; dicebat autẽ hoc tàm magn⁹ laudator, aut tã magnus adulator: certè talem eſſe debere ciuitatis Principem oſtẽdebat, qualem falsò illum prædicabat. An Cæſar vnquàm Catonem prouocauit in ſingulare certamen, aut viciſſim Cato Cæſarem, quoties ſeſe atrocibus verbis mutuò increparent? Putatiſne autem tot & tàm prudentes viros, tàm fortes & magnanimos principes,

Senec. conſ. ad Helu.

a de ira.

Cic.

veræque gloriæ auidos non fuiſſe vltro ſuas vlti in iniurias, ſi id ſuæ animi magnitudini decorum autumaſſent? reſipiſcite igitur ſerò tandem Nobiles, & errorem hunc veſtrum,

Suus enim cuiq; (ait Poeta) *tributus eſt error,*

agnoſcite mecum vt vanum ac temerarium, & deponite ſi ſapitis atq; euellite ex animis veſtris vt turbulentum, & ſupplicio Mileſio meritò vindicandum.

Ω ταλαίπαροὶ βροτοὶ
Τί κτᾶσθε λόγχας, καὶ κατ' ἀλλήλων φόνους
τίθεσθε; παύσασθ' ἀλλὰ λήξαντες πόνων
Ἄστη φυλάσσεθ' ἥσυχοι μεθ' ἡσύχων
Σμικρὸν τὸ χρῆμα τοῦ βίου. τοῦτον δὲ χρὴ
ὡς ῥᾷστα καὶ μὴ σὺν πόνοις διεκπερᾶν.

O ter ter infelix genus mortalium
Quid mutuis haſtas cruentas cædibus?
Pauſa, laborum deſinas & irritum,
Serua quietus cum quietis oppida.
Præſentis vſus ſcilicet vitæ breuis,
Laboris expertem hanc decet capeſſere.

Euripid. in Supp.

Quæ enim per Deum immortalem! quæ cæcitas de honore & gloriâ, quæ non corporis virium, ſed animi virtutum ſunt præmia, & nullum cum corpore commercium habent; pariterque de veritate, vitæ probitate, ac ceteris animis bonis, quæ & homini propria ſunt & aliis omnibus anteferenda, velle ſolo corporis robore contendere, & belluarum more dimicare? cuius roboris teſtimonio ſolo ſi in certamine de honore ſtandum foret, iudiciumque ferendum, vnus equidem Milo Crotoniates Alexandri, Scipionum, Cæſaris gloriam obſcuraſſet. Quæ temeritas eſt, ne dicam, inſania, vt vnius verbuli inconſideratè, aut iocosè effuſi, vel etiam, ſi vis, acerbiùs dicti iniuriam vindices, decus, vitam, liberos malignitati aliенæ, & temeritati fortunæ, quæ in armis dominatur, ad prædam proponere, & incendii metum ruinâ extinguere? *homo* (exclamat Sapiens) *ſacra res iam per luſum & iocum occiditur.* Quæ iniquitas, vel potiùs immanitas hominem priuatum, nulliuſque iuris de alio, ad cuius ſalutem & ſocietatem ſit natus, iniuriæ vel leuiculæ vlciſcendæ ergò indictâ cauſsâ pro animi libidine præter fas, præterque leges extremum dei oſcere ſupplicium, & crudeliter enicare? *Omne hoc quod vides, quo diuina atq; humana concluſa ſunt, vnum eſt membra ſumus corporis magni natura nos cognatos edidit cum ex iiſdem & in eadem gigneret. hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit, illa æquum iuſtumq; compoſuit. ex illius*

Sen. ep. 95.

ib.

conſtitutione miſerius eſt nocere, quam lædi; ex illius imperio parata ſunt iuuantis manus: non pudet igitur homines, mitiſſimum genus, gaudere Id. de tranq. vit. *ſanguine alterno cum inter ſe etiam mutis, ac feris pax ſit.* Reſipiſce igitur, & euelle feriò errorem illum communem, *cogitaque ſapientem non reſpicere quod homines turpe iudicant, aut miſerum, non ire quà populus, ſed vt ſidera contrarium mundo iter intendunt, ita ſapientem aduerſum omnium opinionem vadere.* Reſipiſce, & proiice tela, ô Sanguis clare, & firmâ deinceps concordiâ ſanctâque amicitiæ mutuæ ſtabilitate non fuiſſe à benigniſſimo Principe tuæ dignitatis vindice in ingratum & contumacem collatum tantum beneficium oſtende; ac vide diligenter ne tam munificus Seruator tot tuâ causâ ſuſcepiſſe labores fruſtrà videatur, & porrò edictum Mileſi inimiqui od Sereniſſim⁹ & Clemētiſſim⁹ Princeps HENRICVS II. cōpoſuit ſalutari conſilio & glorioſâ æmulatione laudis, quam ſibi apud poſteros ſimili edicto Chriſtianiſſimus & Inuictiſſimus Galliarum Rex Henricus IIII. im mortalem peperit, quo nullum ſanctius & opprimendo tàm graui malo præſentius excogitari potuit, magna impoſterùm fide & conſtantiâ fidelis obſequii colito: nec non gratâ animi beneuolentiâ teſtificator te tanti meriti partem & gratiam non mediocrem debere illuſtri Baroni & magnanimo viro Joanni Porcellero Maillanæo; cuius Magiſtri Equitum fideli opera prudentiáque ſingulari in hoc ærumnoſo labore ferendo pacificus vterque Princeps ſemper vſus eſt his nouiſſimis temporibus, quibus primùm hæc Alecto,

Dy talem auertite peſtem!

bacchari & laté has diſcordiæ flammas cœpit ſpargere. Atqui cum hæc egregia ſuæ magnificentiæ exempla ad ſalutem publicam pertinentia dederit noſter CAROLVS in ſuorum animis ad memoriam conſignanda ſempiternam, certé non minora ad ſtabilitatem, & robur imperij maximé neceſſaria omnium oculis ſpectanda monumenta reliquit. nam in limitibus quidem imperij Clarum-montem, Stannæum, Motam, Marſalam, Salburgum, Bythim, Lunæuillam, aliaque oppida, & in ipſo vmbilico Nancæum propugnaculis, aggeribuſque, & munimentis inacceſſis, nulloque ferro quaſſabilibus, foſſiſque vaſtiſſimis, admirandis & omnium oculis ſtupendis operibus cinxit, ſepſit, vallauit, & ſtatiuis firmauit præſidijs: quin ipſum Nancæum palatio ſuperbo decoratum & potentiſſimo inſtructum armamentario effudit in nouam, & ampliſſimam vrbem, viciſque latis & pluribus foris diſtinxit, & omnis generis artificibus iiſque magni nominis frequentem celebrem-

quæ reddidit. ille enim profectò pomerium vrbis augendi ius habuit *more priſco, quo ijs qui protulere imperium etiam terminos vrbis propagare datur.* qui ſcilicet latè fines imperii præſertim Germaniam propter terrà Bythenſi, Caſtro Palatino, Vmburgo, à ſancto Auolo, aliiſque ditionibus ei adiunctis prolataſſet. Quæ magnifica æternaque Magni Principis opera ſi accurate & æquis oculis minimeque inuidis contemplemur, tanta ſunt profectò, vt ab iis nunquam intermorituram nominis eius memoriam, & immortalem gloriam ſperare debeamus. *Tac. 12 Ann.*

CORONA EX PALMA ET MYRTO,

ſeu Iuſtitiæ, & Comitatis.

AD

SERENISSIMAM ELISABETAM A LOTHARINGIA VTRIVSQVE Bauariæ Ducem.

EVTERPE.

QVIS credat terris auerſos lumina Diuos
Immenſo conſidere cœlo,
Segnia, ſeu ſomno, ſeu nectare dulcè ſepultos
Ambroſio, otia ducere, & illum
Non magni fallit mundi pulcherrimus ordo,
Æterna & conſtantia rerum?
Ergo quibus Diuûm maieſtas perpete curâ
Inuigilat, mortalia circà
Facta hominum, cum plurima relligione colenda

Sint, animo & veneranda ſilenti
Munera, Iuſtitiæ cultus, ſemperq; benignus
Noſtrûm amor, ô miſerate labores
O toties noſtros, faſtigia ſumma tenetis:
Voſq; lubens, & lætus adoro.
Tu iuſtaſq;, piaſq; animas præſentibus auctas
Ante bonis, accumbere Diuûm
Das menſis, ô Iuſtitiæ immutabile numen,
O ſancta Omnipotentis alumna. (Typhæa,
Tu Tytium, atq; Mimam, Rhœcum, Enceladumque,
Horrenda & quæ monſtra tulere
Sæcula priſca, Giganteo tu clara triumpho
Deiecisti fulmine ad Orcum.
At Diuinus amor Cœlum, Titaniaq; aſtra,
Hanc & quam terimus Tellurem
Antiquo eduxitq; Chao, nobiſq; dicauit
Sedem, communemq; Parentem,
Auro prægnantem, fœcundamq; vbere glebâ
Delicias & mella fluentem.
Hic fert afflictis & opem, condonat & idem
Errores, noxaſq; caducæ
Naturæ, miſeros recreat, chariq; parentis
Omnes inſtar alitq;, fouetq;.
Juſtitiâ ergò homines Diuinum numen Amori
Iunctâ temperat, atq; coercet.
Atqui ſi qua Dei Reges in ſceptra-gerentes
Cura atq; imperium, illa timendos
Cura gregem in proprium reges decet, imperiumq;;

Iuſtitia, affectusq; benignus
In populum, præclara ſient diademata Regum,
Auro, & præfulgentia gemmis.
Scilicet indomitam frenare licentiam, & artes
Vi legum compeſcere prauas,
Iuſtaq; virtuti decernere præmia, dignas
Criminibuſq; repoſcere pœnas;
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos,
Hæ ſunt claræ Regibus artes.
Scilicet inſanùm bacchantem in viſcera claræ
Ordinis orco includere Erinnyn,
Jurgia nobilium malè ſana, iraſq; cruentas
Sedare, atq; imponere morem
Pacis, & inſonti populo defendere noxas
Atq; iniuria facta potentum,
Necnon reddere cuiq; ſua, & facere otia cunctis,
Hæ ſunt dignæ Regibus artes.
O fortunatam nimiùm, tua ſi bona noſſes,
Cui Princeps, Auſtraſia, cœlo
Miſſus Iuſtitiæ cuſtos, rigiduſq; ſatelles,
Et patriæ præclarus amore
CAROLVS, *humanus congreſſu, comis & idem,*
Vultuq;, & ſermone benignus.
Illi mens iuſtiq; tenax, & conſcia recti;
Verax lingua, & conſona cordi,
Jncorrupta fides, componere neſcia fraudem.
Non animos ſibi iungere dulci
Compede doctior aut quiſquam, vinctoſq; tenere,

Aut cunctis gratarier illo
Siue manu, ſeu conſilio, ſeu gratiâ, & illis
Seu meritis, ſiue immeritis; ſic
Et lumen gratum, & fœcundos Iuppiter imbres
Fundit iuxtà boniſq; maliſq;.
Ergò tibi meritò debetur CAROLE PALMA
IVSTITIÆ *nota* PALMA *potentis:*
Et tibi debetur Veneri gratiſſima MYRTVS
Humani nota MYRTVS AMORIS.
O fortunatos nimiùm, ſua ſi bona noſſent;
O Bauaros iugum amabile nactos
Iuſtitiæ intemeratæ, flexanimæ bonitatis,
Colla quibus ſubmittere veſtra,
Atq; dare optatis legum ſtringenda catenis
Tuta ſalus, & gloria magna.
Hanc equidem gentes inter Germania palmam
Conſtantis, iuſtiq; tenacis
Seu fidei, ſeu propoſiti ſibi vindicat; At vos
O Bauari Magnum quid ad aſtra
Principem ad aſtra Pium ceſſatis ferre, precari
Proſpera; quò non iuſtior alter
Viuit, amans æqui; quo non generoſior alter
Aut viuit ſapientior, & quem
Maxima Cæſarei ſceptri, Imperijq; potentem
Accipiat Germania votis
Omnibus? O Bauari quid Principem ad aſtra Serenã,
Quid Lotharo de ſanguine cretam
Vos ceſſatis humo nunc tollere Principem ad aſtra?

Quâ non vlla benignior, vlla
Mitior extiterit, raro formæue decore
Gratior, & virtute ſecunda,
Quas Charites vſquam gremio fouiſtis amico,
Et Venus, & tu docta Minerua.
O Bauari veſtram quid Principem ad aſtra Serenam
Iàm ceſſatis ad aſtra referre?
Cuius vel ſpecies (ſinerent ſi fata) potentem
Antè potens ſibi iungere Regem;
Quamque ſacro Magnus thalamo dignatus amaret,
Germanûm ſpes vnica, Princeps?
Comis & ingenii; cui cedat blanda paterni
Gloria, cui duplexque CORONA
Gratior accedat, Capiti ſacrata paterno,
Cui que fauens illa applicet aures.

AGE enim contemplemur ſeriò ceteras, quæ ſuperſunt virtutes, Iuſtitiam, & Prudentiam, quæ cum hominem maximé informēt qualem ſe ſe erga reliquos gerere debeat, eò maiorem commendationem merentur, quòd ad honeſtatem publicam etiam adiungunt vtilitatem, eoq; magis ornant Principem, *cui non aliorum ſeruitus, ſed tutela tradita eſt, & beata omniū vita propoſita eſt*; nam vt Socrates apud Xenophontē monet, *Rex eligitur non vt ſe ſe molliter curet, ſed per ipſum ij, qui elegerint benè beateq; viuant.* καὶ γὰρ ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμέληται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι δι' αὐτὸν εὖ πράττωσι.

memor. 3o.

[illegible] 1. off.

Principiò igitur conſtat IVSTITIA *ciuitates initio fundatas eſſe, & fruendæ iuſtitiæ cauſâ bene moratos Reges eſſe conſtitutos:* nam & conuenerunt homines, & vitam vna colere decreuerunt, cum ſe æquo iure

vſuros

vſuros, & quod ſuo labore ſibi peperiſſent, eo ſine metu fruituros eſſe, neque mœnibus magis, quàm legibus à vi atque iniuriâ tutos fore conſiderēt. *ineſt nimirùm ad humanam ſocietatem iuſtitia fida cuſtodia*. quin ſe vltrò alieno imperio ſubmiſere, vt eſſent, qui vim coercerent, tenuiores a potentiorum iniuriis defenderent, ſuum cuiq; tribuerent, iuriſque æquabilitatem inter omnes proportione tuerentur. Enimuerò à Iuſtitiâ in omne hominum genus leges, & iura manarunt, quæ legum cuſtodia βάθρον πόλεων, *fundamentum vrbium dicitur, vrbeſq. continet.* Id 2. de fin bo Pind Oly od 9

Τὸ γάρ τοι συνέχον ἀνθρώπων πόλεις
τοῦτ' ἐσθ' ὅταν τις τοὺς νόμους σώζῃ καλῶς. Eurip.

Eadem Iuſtitia benefactis honorem & præmia, malefactis ignominiam proponit, ſtudia bonorum excitat, malorum improbitatem coercet, *ius & æquitas vincula ciuitatum. Iuſtitiâ enim remotâ quid sūt regna, niſi magna latrocinia? imò eius tanta vis eſt, vt nec ii quidem, qui ſcelere, ac maleficio paſcuntur, ſine vlla particula Iuſtitiæ viuere poſſint. Iuſtitiâ ſublata non domus vlla, neu ciuitas, non hominum inter ſe ſocietas ſtare, ac tueri ſe punctum temporis poteſt.* denique vt magnificé iuxta ac verè Polus Lucanus Pythagoreus, *Iuſtitia ceterarū omnium virtutum parens, & altrix vocanda mihi videtur, neque ſine ea fieri poſſe, vt quiſquam aut temperans ſit, aut fortis, aut prudens: eſt enim harmonia quædam, & pax totius animi cum apto & compoſito motu. illius autem quanta ſit vis magis è ceterorum habituum inſpectione cognoſci poteſt. Nam ceterorum vtilitates ad vnum modo pertinent huius ad omnia quæ compoſita ſunt, & ad multitudinem. Ea igitur in mundo quidem prouidentia vocatur, & harmonia, & ii dictum, & mens Deorum, qui ita ſtatuerunt: in ciuitate autem pax & bona legum conſtitutio meritò dicitur: in priuata domo viri quidem & vxoris mutua concordia, ſeruorum autem in Dominos bonus animus & vicißim in Dominis amica & beneuola ſeruorum procuratio. in corpore autem & animo primùm quidem ea, quæ omnibus chariſſima ſunt vita, & bona valetudo, integritas virium: tùm autem ſapientia, omniſque ſcientia. quæ igitur vnum, & totum, & partes ità regit, & ſeruat efficiens omnia inter ſe concordia & amica, quid ni communis omnium parens & altrix omnium ſuffragiis prædicetur?* Ci er parad 1 c. Aug. C. 61. ff. Quò ſanè Iuſtitia sūmopere principi cōmendabilis eſſe debet, ſi & diuturnitatis imperii, paciſq;, & æſtimationis non inis curā (vt habere debet) impensā capeſſit. Nam vt rectè Ageſilaus cenſuit, *Iuſtitia lōge fortitudini præſtat, quippe cum hæc ad perniciē tantū valeat: illi autem ſi pareāt omnes huius certe vſus nullus futurus eſt:* & reipsâ ſemper cōpertum eſt non tam vi, atque metu, quàm Iuſtitiâ & æquitate imperia à paruis,

& humilibus profecta principijs breui tempore ad magnam potentiam peruenire, & diutiſſimé retineri: contrá ſine Juſtitiâ florentiſſima, & opulentiſſima breuiore tempore penitùs concidere. Iàm tranquillitatem Iuſtitiâ retineri Princeps Lyricorum ſatis docet, cũ *eam Iuſtitiæ filiam* indigetauit, *eandemq́; maximarum vrbium fundatricem, & conſiliorum, atque bellorum claues ſupremas tenentem*;

Pind. Pyth. o. 8
Φιλόφρον Ἡσυχία Δίκας
ὦ μεγιστόπολι
θυγάτερ βουλᾶν τε καὶ πολέμων
ἔχοισα κλαΐδας
ὑπερτάτας.

Cic. 3. off. Denique *fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ iuſtitia eſt ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile*, & præſertim in Principe, quem virtute ſuis prælucere par eſt, & tanquàm fontem omnis boni, é quo vniuerſi affatim hauriant, iugiter decurrere. quod Perſæ certé non ignoraſſe videntur qui Principi ex Regijs Liberis natu maximo, quique in ſpem Regni educabatur, cum alios ad virtutem magiſtros darent, tùm vnum in primis, qui iuſtitiam ei inſtillaret. Age ergò tametſi fœlicitas huius imperij atque amplitudo diuturnâ cum pace coniũcta ampliſſimum eſt teſtimonium egregij erga iuſtitiam in clariſſimo Principe CAROLO animi ſi vera ſunt, (vt ſunt veriſſima) quæ a nobis de vi iuſtitiæ ſunt prælibata, placet tamen adiungere alia non minus nobilitata æquitatis in eodem ſingularis documenta. Quæ vt melìùs percipi poſſint, ex Philoſophiâ repetendum eſt Iuſtitiam aut vniuerſalem quandam eſſe, & germanam, quæ conſtans, & varietatis neſcia regulæ inſtar Polycleti vnum ſpectat honeſtum, & vnam rationem; cuius tamen ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus, vmbris & imaginibus vtimur tantùm; aut vero cognatam quidem aliam, ſed molliorem, & flexibilem, atque humanæ infirmitatis, & impotentiæ conſciam, quæ ſpectat miſcetque quoad licet cum honeſto vtile, & regulæ inſtar Leſbiæ ſe ſe aptat ad vſus & negotia, perſoniſque accommodat: cuius & duplex eſt ſpecies, quarum vna eſt arctiſſimé legibus obnoxia, & æquitatis ſemper retinens, altera æquitatis quidem amans, ſed legum moderatrix, *cuius expoſitio emendatióq́; eſt exponens ſenſum, emendanſq́; defectum*: quarum hæc quidem Principem decet, illa autem magiſtratum. Principalis igitur Juſtitiæ ita ſanè apprimè ſeruans noſter CAROLVS fuit, vt ex æquo, & bono omnia fecerit, vixeritq; ſemper. nam, vt ordiar ab eâ Iuſtitiâ, quam quiſque erga ſe ipſum agitare debet, quis illo vnquàm ſe ſibi ipſi æquiorẽ præbuit? non ille officij ſui negligens ad iocum, & ludum genitus, &

in nullum otium reſolutus; ſed ad ſeueritatem potiùs natus, & animi intentus maximo imperio maximam curam impendebat: ita tamen intentus, vt ſibi ſemper valere & viuere doctus ex vitâ ſeriâ fructum dulcedinemque perciperet cum honeſtate & gloriâ coniunctam. & quanquam illi remiſſus animus nunquàm tamen ſolutus; & potiùs relaxatus quàm remiſſus(ſiquidem *remittere animum eſſe quaſi amittere* veré dictum à Muſonio.) quippè ille non ignarus illius Marci Catonis præclaræ veritatis ſententiæ; *vitam humanam propé vti ferrū eſſe. Ferrum ſi exerceas conteritur, ſi non exerceas, tamen rubigo interficit. Item homines exercendo videmus conteri: ſi nihil exerceas, ignauia atq; torpedo plus detrimenti facit, quàm exercitatio.* Atque cum ex præcepto Sapientis, *vt poſſit per ordinem ſuum Principis maximi officium geri, quieti animi ſit maximé vſus*; non ille ſe vanis macerare curis, non lætitiâ paſſim geſtire, non ægritudine contabeſcere, non iracundiâ paſſim furere, aut amore inſanire, non feruere auaritiâ, aut luxu ſe perdere, non expectatione ſuſpendi, aut metu debilitari, non pœnitentiâ factorum angi, & mutabilitate ingenij euertere facta, non maiora domeſticis cupere, non malis ſuis ingemiſcere, nuſquàm de fato ſuo queri, non vana ſpe lactari, *Senec. de conſ. ad Polyb.*

Quam nimiam ſcilicet *inanis* *Pind. Ne. od. 8.*
exitus angit; κενεᾶν
δ᾽ ἐλπίδων χαῦνον τέλος.

non denique in ſumma fortunà licentiam tantùm vſurpare, & id æquius quod validius ducere; ſed æqualem ſibi & propitium conſiſtere, ac ſecum morari (*primum argumentum compoſitæ mentis*) & futuri ſecurum præſentibus (*quibus ſemper infeſta eſt leuitas*) qualiacunque eſſent lætum, contentum, atque amicum, & gaudentem rebus ſuis nunquàm attollere ſe, aut deprimere: ſed ſic *viuere cum hominibus, tanquàm Deus videret; ſic loqui cum Deo tanquàm homines audirent*; deniq; eſſe placidum, lenem, & humanis, diuiniſq; pariter æquum, omninoque eo animo, qualis mundi ſtatus ſuper Lunam *Senec. ep. 2. Id. de tranq. an.* *Id ep. 10.*

Perpetuum nullâ temeratus nube ſerenum.

Nam vt illa pars mundi ſuperior, & ordinatior nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem, omni tumultu caret; eodem modo ſublimis animus quietus ſemper, & in ſtatione tranquillâ collocatus, modeſtus, venerabilis, & compoſitus, quâ compoſitione nullum certius, illuſtriuſq; bonæ mentis argumentum deſiderari potuit in Principe. *Non enim fruſtrá præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus, & ictus, quando & corpora verberibus, ita ſæuitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceratur.* exem- *Id. ep. 59.* *Tacit. ad An.*

Mar. Ant. plo ſit *Nero repente cunctos per artus tremens, ſeu numine exterrente, ſeu facinorum recordatione nunquã timore vacuus.* Atqui neq; iuſtus Princeps alteram tametſi deteriorem noſtri partem, corpus ſcilicet, *cuius membra ſenſuſq; non comites ſolum virtutum ſed miniſtri etiam videntur,* ſuiq; Cicer. 2 de fin bon. deq; habuit, ſed illud ſi non tanquàm Tyrannus mancipium, certé vt dominus ſeruum liberaliter tractauit, atq; aluit quidem, ſed non ſaginauit, & cum neceſſarijs rebus non defraudaret, aptauit ad ſeruitutẽ, moderatiſq; exercitijs cum frugali victu coniunctis ſanum, & valẽs retinuit, atq; oſtendit non illi ſe viuere, ſed eo abſq; tamen viuere non potuiſſe. Iàm verò non minus iuris & æqui in alios, quàm in ſeipſum (de pietate enim eius in Deum ſuo à nobis dicetur loco) cultorem fuiſſe eximium noſtrũ Principem ex ſequẽtibus vnus-quiſq; intelligere poteſt. nimirùm non ſolùm ille neminẽ læſit, iniuriâue affecit, nõ magnitudinem ſuæ fortunæ peccandi licentiæ metitus eſt. ſed potius nihil prius, aut antiquius habuit quàm vt omnes iuuaret, prodeſſetque cunctis, & talẽ ſe præberet cuſtodẽ, *qualem* Philoſophus optat *Principem, ſub quo nec opulenti iniuſtũ aliquid paterentur, nec plebes contumeliam acciperet,* βούλεται ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι τὰς οὐσίας μηθὲν ἄδικον πάσχωσιν, ὁ δὲ δῆμος μὴ ὑβρίζηται μηθέν. Nam cum plebeculæ ſeu vrbanæ, ſeu ruſticæ niſi ſummâ vrgente neceſſitate tributa, aut vectigalia, eaq; modica imponeret, tùm nuſquàm à ſuo iure obtinendo rebuſq; repetendis ab opulentioribus eam prohibuit, & ab omni iniuriâ (quod in ſe fuit) vindicauit: nobilitatis autem dignitatẽ & authoritatem non tantùm aduerſus plebis *(quæ alienam felicitatem ægris plerumq; oculis ſolet intueri,* vti eſt à Poëtâ obſeruatum,

Pind. Oly. od. 13

> Ἀστῶν δ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύ-
> νει μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.
> *Spectantem adurit ſaucia pectora*
> *Ægroſq; ſenſus alterius decus*)

querulas murmurationes, criminationes, & factiones *(nam linguæ temeritas ſæpè peruenit ad gladios)* ſemper obnixè tutatus eſt, ſed etiam ei antiqua iura, & priuilegia ſuæ quamuis maieſtati iniquiora auxit potius, quàm imminutum iuit. Quin pari æquitate vicinorum optimâ conditione prædia commiſſa, fiſcoq; addicta ſæpè reſtituit nedùm tẽtauit, afflixit ſciens & volens, aut de eorũ libertate quicquã detraxit. Memini equidem me audiuiſſe à Reuerendo admodũ Patre Iacobo Commeleto, cum apud Principem grauiter libereq; pro ſuo more (vt ſummũ Diuinæ legis interpretem decebat) agitaret, ſemelq; & iterũ iuſtas multorum ex omni ordine querelas de iniuriis miniſtrorum Principaliũ præter ius falſoq; res ſibi ſuas, aut iura eripientium, ac fiſco

addicentium

addicentium exponeret, tùm Principem ſeriò apud eum fuiſſe teſtatū id ſuorum facinus ſummo ſibi dolori eſſe, deteſtabileq; talem iniuſtitiam, & maximopere cupere id genus turbinum, & tēpeſtatum pacis, otiiq; alieni acriter coercere grassatorum ſcilicet & expertum vafrum ingenium, atq; inſatiabilē eiuſmodi hominum auaritiā fraude graſſari, qui frōte graui, ſupercilio triſti, falsâq; ſpecie egregij & cōtumacis in fiſco amplificādo per fas & nefas animi, non ſolùm interim prædæ ipſi partē ſuam in ſinum conferrēt, ſed etiàm odii flammam, iniuſtitiæq; notā illi concitarent, pluſq; inuidiæ, quàm virium adderent (vnde vicinia Principis iuxtà, atq; vagi fluminis, & ſubdoli Aduocati vulgari veriuerbio in malis numeratur) & Diuinum quoq; numen, & potentiores Principes ad vlciſcēdum vindicādumq; iritarēt. Atqui ſi æquus Princeps huiuſmodi turbidos cōprimere non potuit, at voluit; certé (qui enī fraudiū miras artes detegere valuiſſet?) nemini ab iis læſo aditum ad ſuum ius repetēdum in iudicio vnquā interclusit, & cognitâ causſâ vltrò ipſe iuit reſtitutum. Quid plura? non ſolum propriis ſeu ſeruis, ſeu mercatoribus, domeſticis, exteris, ſed etiam iis, qui ex familiâ ſiue ſemper-colendæ Parentis, ſiue chariſ. filii Illuſtriſſimi Cardinalis ſtipendia, merita, commoda, penſiones, muneraq; gratuita, aut quoquo iure debita perſolui, retribuiq; accuratè, quod in ſe fuit, prouidit. Iàm verò quoniam & ſapiētes Eunomiam Iuſtitiæ ſororem eſſe volunt,

ἐν τᾷ δὲ γ' Εὐνομία ναίει, κασίγνη- Pind. Py. od. 9
ταί τε, βάθρον πολίων.
ἀσφαλὴς Δίκα, καὶ ὁμό- (1)
τροπος Εἰρήνα, ταμίαι
ἀνδράσι πλούτου, χρύσεαι
παῖδες εὐβούλου Θέμιτος,

Lex vbi, & æquitas
Cum pace confedere, quarum
Alma Themis genitrix ſororum
Hæ ciuitatum mœnia fulciunt, (2)
Dant temperatâ diuitias manu,
Faſtumq; pellunt inſolentem,
Copia quem peperit redundans.

Et verò *maximum quoddam ciuitatis bonum legē ſtatuunt Politici, vt pote ſine quâ coli humana ſocietas nullo modo poteſt*, vt ſcriptum eſt à Platone, ἴδε; οὐχ ὡς ἀγαθὸν μέγιστον πόλει τιθεῖσαι τὸν νόμον οἱ τιθέμενοι, καὶ ἄνευ τούτου μήτ' εὐνομίας ἀδύνατον οἰκεῖν ἀληθῆ λέγεις. *Quasq; leges conſtat ad ſalutē ciuium ciuitatumq; incolumitatē, vitamq; hominū & quietam, & beatam in-* In Hipp. mai. Cicer. 2. de leg.

uentis

uentis eſſe, eaſq; qui primùm eiuſm odi ſcita ſanxerunt populis oſtẽdiſſe eaſe ſcripturos, atq; laturos, quibus illi adſcriptis, ſuſceptiſq; homines honeſti, beatiq; viuerẽt. ità equidẽ noſter Princeps cũ vixiſſet sẽper, vt præter & cõtra leges nihil agendũ ſibi putarit vnquã, & Lycurgi, Ageſilai, Regumq; Romanorũ æmulus sũmo leges ſtudio coluerit tùm verò ad earũ cuſtodiã pœnis, multiſq; adhibitis, & omni arte, ſed præcipuè exẽplo ſuos inuitarit, perfecitq; *„vt ſi pauperes non neceſſitas, diuites ſatias in melius, certè pudor omnes ferè mutaret: obſequiũ ſi quidẽ in Principem, & æmulandi amor validiora, quã pœna ex legibus & metus.* Quin moribus antiquis, receptiſque inſtitutis, & legibus ferè contentus ratus *non vertenda ſapienter reperta, & ſemper placita,* (cui enim bono tot Leges? *nam ſi velis quod nõ dum vetitum eſt, timeas ne vetere: at ſi prohibita impunè tranſcenderis, neq; pudor eſt:*) patrias conſuetudines diſertis verbis; & maximè perſpicuis expoſitas in vnum corpus compilari iuſſit, & promulgari, omnemq; litigandi ſtudio honorem, fomitemque quoad potuit dempſit; ac ne illud deinceps vigeret tanquàm conceſſum latrocinium, pretijs Aduocatorum & Cauſidicorum vacationibus certis, modiciſq; conſtitutis prouidit, atque à numero & turbâ eorum ceu labe fori non mediocriter ſe ſe abhorrere ſæpiùs ſignificauit. & memini cum quidam è domeſticis benemeritus vir, ſed proletarius penſionem in gratiam promouendorum vnius, & alterius è liberis ad ſtudia litterarum ab eo efflagitaret, reſpondiſſe ſeriò Principem. quid mihi tot rogati viri? mallem palliatos & commodos mercatores; cùm Catone ſcilicet optantem *forum muricibus ſterni.* Porrò autem cũ æquiſſimus Princeps nullum diem vel etiam feſtum intermitteret, quo ius ſuis non redderet, cauſſasque grauiores cognoſceret, atque regium ſuum munus hâc in parte pro virili exequeretur, (ſcilicet

Tacit. 3 Ann.

Ibid.

Heſiod.

Hâc vnâ Reges olim ſunt fine creati
Dicere ius populis, iniuſtaque tollere facta:
Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λάοις
βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι.)

Et verò nullius vnquàm pannoſi quamuis & ſordidi ſupplicem libellum reijceret, memor quippè & Philippum Regem à vetulâ quâdam, ſibi ius vt redderet, rogatum, moráſque cauſſantem ab eâdem porrò juſſum de ſolio ſublimi tollere ſe, regiâque authoritate vltiò abdicare; & Demetrium Regem ob ſupplices libellos è ponte in profluentem temerè deiectos regno à ſuis exutum, ſpoliatumque non ſine dedecore: tum verò iuridicundo præfecit integerrimos viros, iuriſque conſultiſſimos in Ducatu quidem Barrenſi erectâ, inſtitutâque Curiâ Parlamenti; in Ducatu autem Lotharingiæ partim Tri-

bunitiâ

bunitiâ Iuriſdictione ampliatâ: partim ne qua ſuſpicio inceſſeret poſ-
ſe ius labaſcere per tribunitiam iuriſdictionem (nam, vt ait Poëta,

κέρδει καὶ σοφία δέδεται, Pind. Pyth. o. 3

Vincitur heu præſtans etiam ſapientia donis;

peſſimumq; veri affectus, & iudicij venenum ſua cuiq; vtilitas) iudicij eius Tacit. 4 hiſt.
corrigendi, formandique, antiquo iure relicto nobilium Proceribus,
quorum ingenia minus obnoxia auaritiæ *quæ fidem & probitatem duo* Salluſt. Cat.
recti iudicij inſtrumenta euertere ſolet; partim denique ne qua nobilium
fauoris, *qui ſemper iudicio officit*, ſuſpicio ſupereſſet, ſibi pro laudabili Senec. de tranq. vit. c. 8
more Imperatorum, & Regum, ſanctâque Caroli Magni conſtitutio-
ne ſupremâ ſeruatâ poteſtate. *Principi namq;*, inquit author grauiſſi- Tacit. 6 Ann.
mus, *ſummum rerum iudicium Dij dederunt, nobis obſequij gloria relicta eſt.*
Quid plura? An non iuſtitiæ officia & partes eas, quæ in præmiis vir-
tuti, ſuppliciiſque vitio decernendis ſunt poſitæ, ſuſcepit, ſuſtinetq;
cum laude? Ità ſanè & eò maiore quòd cum paſſim Iuſtitiæ vis omnis
in pœnis exigendis poſita eſſe videatur, adeò vt Iuſtitiam facere, ei-
demue ſubiici ad pœnam duntaxat vulgò trahatur, vt potè cum ma-
lignitate nobis inſitâ iniuriarum, quàm beneficiorum magis ſimus
memores: contra æqui amantiſſimus Princeps proniorem ſe ſemper
in virtutibus exornandis, quàm in vindicandis ſceleribus ſe oſtendit
longèque magnificentiorem in officiis, meritiſq; ſuorum iuſto remu-
nerandis beneficio, quàm ſeuerum in rependendis pœnis flagitijs, &
facinoribus eorum dignis geſſit. Ille ad compenſandum vltrò & ſæ-
pe inuocatus accurrere, ſed ad caſtigandum lento pede claudoq; in-
cedere; ille neminem benemeritum ſinere à ſe indonatum abire: vni-
us autem improbi ſupplicio multorum improbitatem coercere. quā
certè æquitatem principis Euergetis erga benemeritos non ſine sū-
mâ animi voluptate reapſe quotidie mihi probare contigit proli-
xam & nobilitatam maximè gratuitis ſeu ad ſtudia honeſta, ſeu ad
amplas dignitates & præfecturas promotionibus Liberorum egre-
giâ ſpe iuuenum parentibus ſuperſtitum, quos ferè innumerabiles
nouimus, & ſuperuacaneum eſt nominare. Sed de beneficentiâ
eius ampliſſimâ in benemeritos de ſe, aut de repub. domi militiæque
vt & de incredibili eius lenitate ſatis hactenus multa. nam quid bene-
uolentiam eius atq; benignitatem erga ſuam familiam ſingularē, aut
ſummam in patriam charitatem, quæ non infima pars eſt Iuſtitiæ in
laudato Principe, commemorare eſt neceſſe, quàm tot & tanta in om-
nes ordines beneficia egregii eius animi teſtes omni exceptione ma-
iores ſatis ſuperque prædicant? Ita ſanè erga vniuerſam ſuam famili-
am munificus fuit, vt nullus non ex benemeritis domeſticis eius

liberalitatẽ grata animi recordatione lubens quotidie recolat. accepi à fide dignis ſæpé Principem ad eos, qui è ſuâ familia morbo premerentur, aut aliquâ domeſticâ inopiâ, clam ſolitum miſſitare munus aliquod argentarium, quo illi egeſtatem ſuam ſubleuare poſſent. cuius ſingularis benignitatis èrga ſuos non indiligẽs fautor extitit Illuſtris admodùm vir Erardus de Borbonne Præfectus prætorio, & Decurio Cubiculariorum meritiſſimus. Ego certé non poſſum nec debeo ſilentio prætermittere egregium optimi Principis erga me animum, & charitatem non vulgarem, quam (vt omittam plura beneficia, etſi ferè in amicorum commodum, dictò citiùs, & vltrò meâ gratiâ conceſſa, & diuturna meritiſque maiora ſtipendia) non ſolum benigno vultu, ſed impensâ meæ valetudinis curâ ſignificauit. quoties enim in quotidiano eius comitatu itineris longitudo ſeu difficultas ſuſpicionem ei tantulam laſſitudinis, laboriſque mei iniecisſet, toties ille ſeruitij gratiam vltrò faciens ſtatim vt domum me reciperem, & quiete laſſitudinem reficerem; quoties per dies caniculares nox æſtuoſa intemperiem diei ſequentis magnam portenderet, toties iniuriam, inclementiamque diei maturiore profectione vti præcauerẽ, vltrò imperabat. Quid quòd maluit ille aliquoties vel magnam noctis partem acerbitatem doloris nephritici tacitè ferre, quàm me intempeſtæ noctis iniuriæ exponere: quâ charitate, eaque maiore cæteros domeſticos, quippè de ſe maiora meritos fuiſſe complexum optimum Principem prudentia, probataq; eius benignitas ſingularis, ne ambigam monent, ſeu iubent. An non verò otium, & pax, amplaq; felicitas omnium ſubditorum curis vigiliiſq; & laboribus Principis partæ, atq; otio & cõmodis proprijs ab eo antehabitæ charitatis erga patriã in eo eximiæ memoriam poſteris relinquunt nunquàm intermoriturã? Tene ô Sanguis clare diuinæ eius in te charitatis vnquàm capiat obliuio, quâ charitate diſcordiam in tuo ordine inteſtinam toties diſſipauit, & in mutuum exitium cæco ruentes ardore iuuentutis animos compoſuit, atq; ad amicitiam reduxit; quam charitatem tot impenſis curis, & laboribus eſt teſtificatus, vt officij ſui reliqui, victuſq; etiam proprij curam omnẽ vni huic tuæ curæ ſemper poſtponeret, & non dies vnos, aut menſes, ſed annos quoq; ſtabilitati tuæ daret? Quid multa? pudore et liberalitate õnes in officio retinuit, iuſto moderatoq; imperio tanquàm Parens patriæ ſuos ſemper rexit, & nuſquàm ſuâ abuſus potẽtia verã beneuolẽtiam omnium, & firmam ſecuritatem ſibi cum immortali laude parauit. Hîc mihi quiſquam forté FIDEM in noſtro Principe deſiderat, & meritò certè; ſiquidem *fides Iuſtitiæ fundamentum eſt, ac ſocietatis humanæ*

vinculum

vinculum,quâq; nulla res vehementius Rempub.continet,eoq; tùm omnibus ſummopere veneranda.*Sanctiſſimum quippè humani pectoris bonum*, tùm maximè glorioſum dignitatis regiæ ornamentum, Cicer. 1. & 3. offi. Senec ep 89. Syl ep.14.

Fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis:
Optimus ille
Militiæ,cui proſtremum eſt,primumq; tueri
Inter bella fidem. lib 14

Contrà *perfidiâ nullam malitiam eſſe à conuerſatione hominum magis alienam* Philoſophus ſtatuit: *nihil fœdius in Principe eſſe* Bralidas docuit, *turpius eſſe* ſtatuēs *fraude honeſtâ circumuenire,aut lædere quàm vi aperta.* nimirùm quò Principi liberius eſt fidem dare,cò ſeruare illam magis videtur obnoxius, vt iuramento par pondus, et momentum quilibet Principis ſermo habere debeat. Atqui æquiſſimo Principi quavis etiam vtilitate propria Fidem fuiſſe antiquiorem,hoc vnum memorabile,ne plura variaq; exēpla in re minimè dubiâ cōſecter, ſatis locupletem fidem fecerit. Attritis valdé ſuis per diuturnum bellum rebus,exhauſtoq; ærario venit olim in mentem Principi ſeriò agitare cum Proceribus de iis in integrum reſtituendis: poſt maturam eâ de re deliberationem magna pars eorum qui aderant conſilio,ſtatuit è repub. eſſe vt Princeps fœnore leuaretur,& ingentis pecuniæ vſura ex ſeptunce lege latâ fieret quincunx. Quod conſilium pro tempore tamet-ſi maximé opportunū & Princeps eſt ſeriò auerſatus, & authoribus sūmæ authoritatis viris,ſed ex eorū numero, qui modò potentiā conſequantur,recta & honeſta ſuſq; deq; habent, Illuſtriſſ. Comes Ioannes Salmenſis acerrimus iuſtitiæ vindex fortiter obſtitit, manu etiā vindicaturus pro ſuâ animi magnitudine tantā in Principis fidem iniuriā,ſi authores pertendiſſent,ſciebat ſcilicet *perfidioſum & nefariū fidem frangere,quæ continet vitam*;& inpoſterū *adimi ſubſidiū inopiæ temporariæ,quâ communis hominū vita indiget & maxime Principū ſi perfidia debitorū eluderet*,vt Sextus Cæcilius cautè monet. *Quis enim neſcit infirmatis violatisq; pactis tolli inter homines commercium?* Themiſ l. eſſ. modo

Atq; ſi quis hanc in rem plura deſideret,citetur teſtis eximiæ in iuſto principe fidei VERITAS(eſt namque teſtimonio Poetæ, Cic 3 offi. apud A. Gell lib 20 c 1. Ariſt libe. ad 2 li c. 15

Iuſtitiæ ſoror
Incorrupta fides,nudaq; veritas) Horat.

Ad eas ſiquidem quæ ſuperſunt ex virtutū choro,minores licet virtutes tempeſtiuum eſt accedere, Veritatem,Comitatem,& Vrbanitatem,quæ ad appetitum iraſcendi pertinentes in omniū ſiue ſermonum,ſiue actionū hominis communitate cùm ad cœtū & cōgreſſum

accommodaté, tum ad vtilitatem aut iucunditatem apté verſantur. Enimuerò etſi à Platone ſcriptum eſt *non indecorum eſſe Magiſtratibus, & Medicis mentiri*, ἰατροῖς, ἢ ἄρχουσι προσήκει ψεύδεσθαι; & proprium munus ciuilis Prudentiæ ſit vti foro, ſeruire tempori, induere Theraminis cothurnum, mutare velificationem pro ratione tempeſtatis, verſare naturam ſuam ac tegere, quæ omnia Aquilianiâ doli mali definitione continentur, *cum aliud agitur, & aliud ſimulatur; decipere*, inquit Plinius, *pro moribus temporum prudentia eſt*: ita tamen id intelligendum eſſe, ſi ſalus, aut ſubditorum commodum ſuadeat honeſtum quoddam & miſericors mendacium eſſe, & ipſe Plato diſertè monet, & magni viri non refragantur. συχνῷ τῷ ψεύδει, inquit Plato, ἢ ἀπάτῃ δεήσειν χρῆσθαι τοὺς ἄρχοντας ἐπ᾽ ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων *crebro mendacio & fraude vti imperantes debere ad commodum ſubditorum.* Diphilus Poëta,

ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
λεγόμενον, οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές
Cauſá ſalutis eloqui mendacium
Habere quidquam non ego credo mali.

Sophocles,

καλὸν μὲν οὐκ ἔστι τὰ ψευδῆ λέγειν
Ὅτῳ δ᾽ ὄλεθρον δεινὸν ἡ ἀλήθεια ἄγει
Συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστὶ καὶ τὸ μὴ καλόν.
Eſt indecorum prôloqui mendacia,
Quòd ſi malorum veritas occaſio
Sit, danda certè falſa narranti venia.

Et Euripides,

καιρῷ τιθέμενον κέρδος εἰς καρπὸν φέρει
Quàm fructuoſum in tempore eſt mendacium!

Scilicet idem iubet, vt

Neceſſitatem, ſi pericula inſtant tibi,
Majore quàm legem colas reuerentiâ.
ἐγώγε φημὶ καὶ νόμον γε μὴ σέβειν
ἐν τοῖς δεινοῖς τῶν ἀναγκαίων πλέον.

Quas extra cauſas mendacio quid turpius, aut pernicioſius in Principe reperiri poteſt? *Turpe eſt*, inquit Sapiens, *aliud loqui, aliud ſentire.*

Senec. ep. 24.

ψεῦδος ἀνελεύθερον, ἀλήθεια γενναῖον.
Illiberale eſt obloqui mendacium:
Generoſa contrà veritas ſemper cluet;

Imò diuina; Pythagoras interrogatus, quid Deo ſimile facerent homines? reſpondit, *cum veritatem excolunt* λέγουσιν ἄνθρωποι θεῷ ὅμοιοι, ἐὰν ἀληθεύωσι.

4. de Rep.

ἀλήθεια Θεῶν ὁμόπολις, exclamat Poëta. *Menand.*
μόνη θεοῖς συνδιαιτωμένη.
O quæ Deorum ſola gaudes nectare,
Ciuisq; Olympi ſola nuda ô veritas.

Enimuerò ſi fides, quam pariter in Capitolio Iouis opt. max. vicinam, Juſtitiæ quippe conſortem,

tacitumq́; in pectore numen,

Romani eſſe voluerunt, ſi fides ante demonſtrata eſt maximé neceſſaria, & ſalutaris ei Principi, cui ſua, aut publica res fuerit chara, quid peſtilentius eidem mendacio, quod omnem labefactat fidem, eneruat certè? Democritus *quid tandem mali mendaces ſortirentur?* interrogatus, *quod ne iis vera quidem dicentibus fides impoſterum haberetur*, reſpondit. Atqui Veritas contrà (ſi Platoni fides) cum Diis, tùm hominibus ad vniuerſa bona optima dux eſt. huius quiſquis felix & beatus eſt futurus, particeps omninò ſit par eſt, eamque in vniuerſâ vitâ colat, ſi fide ſe dignum eſſe cupit; nam is profectò indignus, qui mendacium ſponte ſectatur, vt omninò demens, qui etiam coactus. Ergó quàm ſimplicis amicus Veritatis fuerit Candidus animi Princeps CAROLVS, cum ingenuus in eo vultus, aperta frons, & promptus in fronte animus, oratioq; ſenſibus abditis haud diſſonans; tum vero facta dictis minimé diſcrepantia, vitaq; eius omnis priuata ſine fuco, ſine falláciâ nemine reclamante luculenter teſtantur. *quæ ſincera & per ſe ornata ſimplicitas nihil obtendens moribus ſuis plurimum* ſapientis iudicio *habuit voluptatis*. de publicâ enim alias, quam certè multis ſimulationum inuolucris tegi; & quaſi velis quibuſdam obtēdi maximè intereſt eorum, quibus commiſſa eſt Reſpub. qui vt ad effectum conſiliorum ſuorum veniant, multa inuiti ſimulent oportet, & diſſimulēt cum dolore. equidem cum in omnes eius ſermones ſerio animum plerumq; intenderē, ſemper cōperi in omni oratione ſummâ cum curâ limare veritatem, & in omni deliberatione eandem intueri; atq; ſolemni ſibi huic verbo Per fidem Ingenui hominis, foy de Gentilhomme, tàm ſanctè ſuam alligare fidem, atque ſi eandem ſanctè obſtrinxiſſet iureiurando. quis autem vnquàm expoſtulare iure potuit cum illo caſſam, aut fluxam fidem, vbi aliquid ore ſeu capite ipſe annuiſſet, ſi modo per ærarium exhauſtum non ſtetiſſet? Ità ſane ſigno quouis dato, vel nutu omnes ab illo diſcedebāt alacres, ac ſi iam voti compotes per eius magnificentiam fuiſſent. Quid porrò refricem memoriā ſolemnis illi alterius verbi, Nos viderimus, paſſim vſurpari ſoliti. vbi quid annuerene deberet rogantibus, an ſecus, haud ſatis apud illum conſtabat; quoque indicabat prudenter magnæ ſibi eſſe *Sen. de tranq. vit.*

 cautioni

cautioni, ne aut mutata cum vno ſua fides deinceps apud ceteros labefactaretur tota, certe leuaretur; aut ipſe ſeram & inutilem ſubitæ largitionis ageret pœnitentiam. Denique omnes iuxtà mecum ſciūt difficillimis etiam ſuperioribus temporibus, ſummâq; rerum omnium anguſtia per belli diuturnitatem illatâ nuſquàm eius fidem apud quenquam afflictam, aut promiſſa, ſeu data verba pro ambiguis, aut vanis habita fuiſſe, ſed integritatis vt in vita, ſic in oratione, vel vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantem ante collectam famam conſeruaſſe, ſerioque huic ſapientis Poetæ præcepto obtemperaſſe.

Pind. Pyt. od. 1

μὴ παρίει καλά. νώ-
μα δικαίῳ πηδαλίῳ ςρατόν. ἀ-
ψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμον χάλ-
κευε γλῶσσαν.

Rerum gubernaclum aſſiduè manu
Conuerte iuſtâ, linguâ Hieron tibi
Incude conformata verâ
Vſq; ſonum referat fidelem.

Ac certé quanquàm incidit in ea tempora difficillima, eaſque rerum anguſtias, quæ nonnihil fidem, aut veracitatis cōceptam opinionem ab aliis minuere, dubiamue reddere poſſent; tanta fuit tamen HVMANITAS COMITASQ; in benigno Principe, quæ beneuolentiā omnium illi præſtaret, quæ omnium animos conciliaret, quæ non ſolū voluntates ſibi adiungeret, adſtringeretq;, ſed etiam opes, fortunaſq; & vitam ipſam ſui quodammodò iuris faceret: veré enim orator Romanus, *Suauitas ſermonum, atq; morum haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ: & difficile dictu eſt quantopere conciliet animos hominum Comitas, Affabilitaſq; ſermonis.* Vnde Poſſidippus gloriabatur propter artem familiares ſibi multos comparaſſe, at propter mores longé pluſimos amicos: & Socrates hanc morum Comitatem maximopere affectabat ſibi, & vt ad eam ſuam omnem ille vitam componeret, ex induſtriâ in moroſæ vxoris, & iurgioſæ intemperie æquo animo ferendâ ſe ſe plurimùm exercitabat. *Quantam autem vim in Principe habeat Comitas docent epiſtola Philippi ad Alexandrum, Antipatri ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippum filium trium prudentiſſimorum (ſic enim accepimus) quibus præcipiunt (* verba ſunt oratoris ethici *) vt oratione benignâ multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant; militeſque blando appellando ſermone deliniant.* & trita eſt omnium ore Regis ſapientiæ gloriâ celeberrimi hæc vox, *Mollis oratio confringit oſſa.* Prudentiùſne noſtri ab occidente, & ſeptentrione Reges ſibi conſulant. qui omne ignotum pro magnifico reputantes, ac

Cic. de Amic. & off.

Ib.

Salom.

metuentes ne continuus aſpectus minus verendos ipsâ ſatietate faciat, maieſtati ſuæ maiorem ex longinquo reuerentiam, atque receſſu quærunt, & non niſi per cannam cum ſuis loquuntur, ipſi viderint. Certè ſeueritate nimiâ amorem diminui certiſſimum eſt, et ciuilem blandamq; vitæ rationem ad gallicam niuem, ingeniaq; mitia & candida re compertum eſt eſſe apriorem. vt vt ſit tamen, hoc apud me conſtat cum noſter Princeps CAROLVS corpore ingens, verbis magnificus, omninoque viſu & auditu (qualem Germanicum Tacitus deſcribit) iuxtà venerabilis, & magnitudinem ac grauitatem ſummæ fortunæ haberet, omninò illi è re ſuâ prudentiâq; fuiſſe natiuam illam grauitatem arte quâdam temperare vt triſtitiam exueret, & arrogantiam, & quod caput eſt, inuidiam odiumque ſuorum effugeret. Quod ſane haud difficile fuit Principi, in quo magnam & auguſtam corporis molem benigna aliàs mentis temperies infuſa agitaret,

Illi quippe fauis, & nectare dulcior Hybla
Mens hilarans conuiuia; Pind. pyt. od.

γλυκεῖα δὲ φρὴν
καὶ συμπόταισιν ὁμιλεῖν
μέλισσαν ἀμείβεται τρητὸν πόνον.

Et qui in aulâ Gallicâ ad omnem elegantiã & blanditiã nata educat⁹, quaſi vna cũ lacte nutricis ſuauitatẽ morum teneris annis imbibiſſet, qui mores vnà cũ ætate deinceps ità adoleuerãt, vt & dignitate Principibus grauiſſimis, & facilitate infimis par eſſet, atq; humanitatis laude ceteros lõgè anteiret. nam amœnũ illi ingeniũ, delectabile, minimeq; agreſte; aditus clemẽs, & familiaris, cõgreſſuſq; & ſermo comis, minimeq; acerbus: benignus vultu omnes ſalutabat benignè, vnumquẽq; comiter appellabat, tractabatq; clemẽter, ac mitiorem in partẽ cuncta interpretabatur: ſeruitus ſub illo prouinciam ſalutariter iuxtà, atque comiter adminiſtrante clemens, atque coniunctio cum nobilitate humana & arcta; denique plena omnia in eo manſuetudinis, humanitatis, & comitatis: ſic cum inferiore viuebat, quem admodum ſecum ſuperiorem vellet viuere; viuebat cum ſeruis ceu hominibus contubernalibus, ceu fidelibus amicis; viuebat cum ſeruis clementer, & ex præcepto ſapientis in iter, in ſermonem, in conſilium admittebat, & quandoque in conuictum: viuebat irà, vt contrà prouerbium non tot hoſtes, quot ſeruos, ſed obſeruãtiſſimos & obnoxios haberet ac familiares; viuebat ità vt cum ipſe ſe non tan quã dominum, ſed patrẽ familiæ gereret, illi eum colerent, non timerẽt. Neq; verò à facetiarum & VRBANITATIS oratorio quidem, non tamẽ ſcurrili ſermone aliena fuit humaniſſ. Principis oratio, ſed ſale ac

venuſtate

venuſtate affluebat mirificâ, quâ non tàm ad oblectamentum, quàm ad remiſſiones, & leuamen curarum, quas maximas magno impendebat imperio, quandò animus eius interſtitione aliquâ negotiorum datâ laxari indulgeriq; potuiſſet, ſinebat decipi paſſim inter menſas, aliàs rarò, vt cum ad ſeria negotia refectum & firmatum magis intendere poſſet. *danda eſt remiſſio animis* conſilio ſapientis, *meliores acrioreſq; requieti ſurgent. Naſcitur ex aſſiduitate laborum animorum hebetatio quædam & languor.* Vel enim hoc quàm lepidum & venuſtum'é menſâ forte ſurgenti Principi nouus quidam nuptus à ſecretis eius ſupplicem libellum chirographo authorandum porrexerat, cum calamo & atramentario, ſed inani & exſucco, quem dùm ſemel & iterùm ſic cum quippe, fruſtrà chartæ admouet, ſubridens tandem reiicienſq; oſcitantem iuuenis hoc ioco caſtigauit, Ignoſco tibi equidem lubens quem non ità pridem peruigilium Veneris celebraſſe memini. Neque enim plura de virtute minus regiâ dicere par eſt, quia

Senec. l. de trã. c.15

Etiam graue eſt impenſius laudarier,
βάρος τι κἂν τόδ' ἐστὶν αἰνεῖσθαι λίαν;

Euripid.

Et duæ virtutes regiæ ſuperſunt pluribus explicandæ; nam, vt canit Lyræ Princeps,

ἀρεταὶ ἀεὶ μεγάλαι πολύμυθοι.
Virtutes ſequitur tenuis non gloria magnas,
Multaq; laudes addecent.

Pind.

CORONA EX MORO,

Siue Prudentiæ.

AD

SERENISSIMAM ANTONIAM A LOTHARINGIA CLIVIÆ, IVL. &c. Ducem.

THALIA.

ILLI robur, & æs triplex
Circa pectus erat, quiſquis adhuc vagum
Atq; errans hominum genus,
Et ritu pecorum libera vinculis
Legum colla gerens, ſuo
Viuens impete, iuris dominum & ſui
Egit primus in oppida.
Qui conſtans animi, quiq; ſui potens
Vulgi ferre animos truces,

Vndoſos, malefidum ingenium, leue
Ceruice indomita ferum;
Et doctus rabiem ſpernere ciuicam,
Motus ſiſtere publicos.
Qui non inuidia tela perhorruit
Atro felle madentia.
Illum crediderim numine percitum
Diuino, ac ſapientiâ
Adflatum eximiâ, & grandiloquâ virum
Auſum tantum opus aggredi,
Inſtillaſſe animis acre modeſtia, &
Virtutis ſtudium ardua;
Immutaſſe bonis moribus aſperos
Cultus, legibus, & probis,
Recto & compoſuiſſe ordine publica.
O PRVDENTIA *ciuica*
Theſauris Arabum, & diuitis Jndia
Intactis opulentior
Creſces *laude nouâ, verſibus & meis*
Æternùm decorabere.
Tu claro nebulas mentibus inſitas
Noſtris lumine diſiicis,
Virtutumq́; choro temperiem, & modum
Tu gratâ vice diuidis;
Priuataſq; domos, Regna potentia,
Pacem, bellaq; temperas.
Per te nec dubias ſumma vices timēt,
Fortuna inſtabilem & rotam,

Ac per

Ac per te ima ſolent & magis & magis
Culmen creſcere ad vltimum.
Non tot Carpathio ciuerit Africus
Decertans Aquilonibus
Fluctus in pelago; turbida ciuitas
Excuſſo SAPIENTIAE
Clauo, quàm variis motibus incuti,
Quaßariq; ſolet modis.
O præclara igitur gloria ciuicæ,
Magna & laus SAPIENTIAE.
Nimirùm duce te ſplendida CAROLI
Virtus auſpiciis bonis
Regnauit, modici longiùs imperj
Fines, nomen & inclytum
Laté conſtituit, ſol habitabiles
Quá terras videt aureus.
Mentem namq; nouis Relligionibus
Auertit, veteris tenax,
Vindex atq; Deûm numinis, & frequens
Cultor. Quin Pater vrbium
Subſcribi ſtatuis, dignus & omnibus
Clamari Patriæ Parens,
Non torpere graui paſſus ab otio
Ciues moribus & probis,
Claris & duce te inſigniit artibus.
Flammis è mediis, diu
Et latè miſeros depopulantibus
Vicinos, rapuit ſuos

Princeps te duce PRVDENTIA CAROLVS,
Optatiſque bonis dedit,
Frondentiſq; oleæ muneribus frui:
O dos maxima ciuicæ,
O præclara etiam laus SAPIENTIAE!
Atqui tu SAPIENTIÆ
Æternam Patriæ tu vna fidem facis,
O rarâ Sapientiæ
Famâ, & iudicio Filia nobilis,
O ANTONIA CLIVIAE
Princeps magnifica, & magnanima, & pia
Te regnante diu ſatis
Felix, atq; ſatis Cliuia floruit,
Felix Iulia floruit,
Diuinæq; tuæ tùm ſapientiæ
Ductu pinguia paſcua
Circum errans, Cereris muneribus potens,
Fortunâ ebria dulciùs
Ridebat tibi, quæ te poſitâ procul
Ludum experta gemit grauem,
Abſentemq; ſuis te miſeris vocat
Rebus præſidium vnicum:
Fruſtra. ſic placitum magnanimo Ioui,
Sortes qui regit omnium,
Æquo atq; imperio temperat omnia.
Quo tu ô maxima Principum
Fulgens eximijs Palladis artibus,
Iure es lecta mihi, fores

Quæ MORO *viridi cingere dignior*
Frontem magnanimi Principis, & patris,
Frontem olim venerabilem,
Auguſtamq́; domum altæ SAPIENTIAE.

HVC uſque earum virtutum, quæ more comparantur, & in Principe viro ſummopere deſiderantur, pauca illa quidem, ſed clariſſima ex vniuerſa Herois magni CAROLI IIII. vitâ repetita exempla exhibui; decerpens (vt loquitur Poeta) ſummitates ex ſingulis virtutibus, *Pynd. oly. ode 1.*

δρέπων μὲν
κορυφὰς ἀρετᾶν ἄπο πασᾶν,

Quæ virtutes cum à PRVDENTIA vitæ humanæ magiſtrâ veluti animentur reganturque, dici profectò non poteſt quanta ſuperiori noſtræ de iiſdem orationi lucis futura ſit acceſſio, ſi accuratam eximiæ ſapientiſſimi Principis prudentiæ contemplationem adiungamus. Enimuerò ſi virtus omnis in conſtante iuſti congruique medii prælectione ceu principio omnium honeſtarum & laudabilium actionum viget, illa autem prælectio, prudentiæ & rationis munus eſt quid factu ſit optimum, quidue honeſtum & decorum dictantis, nulla certe virtus quanta quanta eſt, niſi à prudentiæ oculo veluti ducatur, conſiſtere vllâ ratione poteſt. Prudentia namque rerum appetendarum fugiendarumque priuatim & publicè notitiam, & dilectũ complectitur, rectoq; quodam iudicio *honeſta à deterioribus, vtilia ab noxiis diſcernit*, eligit, præſentia ordinat, futura prouidet, præterita recordatur, *atque deſpicit, conſulitq́ ea quæ ſibi & aliis ex vſu ſunt*; fallere non vult, & falli non poteſt. Hæc eſt Ariſtoteli & Iamblicho ὄμμα ψυχῆς, *oculus mẽtis*; hæc eſt *animæ concinnitas* Socrati dicta, ἐναρμοσία ψυχῆς; hæc *magnus Deus qui nos mouet, & regit*; Ἀλλ' ἡ φρόνησις ἡ ἀγαθὴ θεὸς μέγας. *Tacit. 4. Ann. Ariſt. 4 Ethic.*

Cicer. 5 fini. 8. hæc virtutis eſt dux & rector, *hæc regula, & ars viuendi, vt medicina valetudinis*, hæc probitatis omnis parens. οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως, *fieri non poteſt, vt quiſquã verè probus ſine Prudẽtia audiat.* Hæc omnium bonorũ fons.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν πάτερ ἐκ ἀνθρώπου φύσει
Μεῖζον λογισμοῦ. τῷ διαθέσθαι πράγματα
ἕκαστός ἐστιν καὶ λογίσασθαι κατὰ τρόπον
Ἄρχων, στρατηγός, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος, ὁ διαφέρων λογισμῷ, πάντα ἔχει.
Natura nil fert (ô Pater) mortalium
Ratione maius. Quiſquis hâc negotiis
Duce ordinandis, rebus & ponit modum,
Dux, Imperator, atq; conſiliarius;
Omnia penes hunc, quem penes Prudentia.

Hæc deniq; *felicitatis primas tenet,*

Sophoc. πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας πρῶτον ὑπάρχει.

Quid plura? Homini in hâc mundi arenâ ſtanti certamen cum multis
Pythag vndiq; circumfuſis hoſtibus cernendum; & ecce *robur, murum, & arma ſapienti Prudentia præſtat,* ἰσχὺς. καὶ τεῖχος. καὶ ὅπλον σοφοῦ ἡ φρόνησις: res etiã humanas fortuna pro ſuâ libidine regit, noſq; homines vt ludos
Plaut habet; & ecce *Sapiens Pol ipſe fingit fortunam ſibi.*
Iuue. *Nullum numen abeſt, ſi ſit Prudentia.*

ô liceat in hoc humanæ vitæ tutiſſimo portu placidè, tranquilleq; sẽper agere. Quòd ſi prudẽtiæ tàm amplus eſt ad res omnes humanas vſus, & per eam priuati homines ſunt, & dicuntur Reges;

Famulatur omne quidquid eſt Prudentiæ:

quis non videt quàm neceſſaria ſit in Principe viro Prudẽtia? itâ qui-
Ariſt. 3. Polit. dem, *vt Principũ propria, & vnica virtus Philoſopho perhibeatur,* ἡ φρόνησις ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη. Jlla ſcilicet eſt fulchrum regnorum, atq; inexpugnabile munimentum; Illa eſt principum ſcutum; Jlla eſt Regum
Phocyl. gladius, Ὅπλον τοι λόγος ἀνδρὶ τομώτερόν ἐστι σιδήρου,
Ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε Θεός. φύσιν ἠερόφυλον
Ὄρνισι μὲν πολλὴν ταχύτητ' ἀλκήν τε λέουσι,
ταύροις δ' αὐτοχύτοις κεράεσσι, κέντρα μελίσσαις
ἔμφυτον ἄλκαρ ἔδωκε. λόγος δ' ἔρυμα ἀνθρώποισι.
Non qui latera habent grandia, & longas manus
Et cunctis Deus arma dedit, Volucrum generi aurâ
Ocyus, aereum corpus: ſed magna Leoni
Corporis, atq; animi vis: dura at cornua Tauro,
Spicula acuta Apibus: nobis Prudentia telum,

Illi

Illi quippè *vis adiuncta eſt vſui, ſine eâ abit in noxam.* Ῥώμη γὰρ μετὰ φρονήσεως ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε, inquit Iſocrates; imò potentiâ ipsâ regiâ potentior, & fortitudine principali fortior.

οὐ γὰρ οἱ πλατεῖς
οὐδ' εὐρύνωτοι φῶτες ἀσφαλέστατοι,
ἀλλ' οἱ φρονοῦντες εὖ κρατοῦσι πανταχοῦ.
Μέγας δὲ πλευρὰς βοῦς ὑπὸ σμικρᾶς ὅμως
μάστιγος ὀρθὸς εἰς ὁδὸν πορεύεται.
Non qui latera habent grandia, & longas manus
Securiores credo, ſed ſapientiâ
Magnis fidelis eſt comes victoria.
Ceruice taurus, cernis, immani ferus
Virgâ pueri duce vt premat veſtigia Eadem?
Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ. *Eurip.*
Mens vna ſapiens plurium vincit manus.

Quò ſapienter ſané Homerus Diomedi validiſſimo Heroi Palladem adiungit, vt indicet fortes viros humanâ Prudentiâ, & conſilijs indigere, & Vlyſſes Mineruæ ſeu Prudentiæ auxilio fretum ſatis ſe tutum ſperat.

Αἴ κέ μοι ὣς μεμαυῖα παρασταίης γλαυκῶπι
Καί κε τριηκοσίοισιν ἐγὼν ἄνδρεσσι μαχοίμην
Σὺν σοί, πότνια θεά, ὅτε μοι πρόφρασσ' ἐπαρήγοις.
Atqui ego, ſi mihi ſic aſſiſtas Cæſia Diua,
Vel tercentum contra homines concurrere pugnâ
Auſim te fretus comite, ô Dea, & adiutrice.

Denique Plato in politico tradit hoc quaſi arcanum ciuilis ſcientiæ ſcilicet *in publicis adminiſtrationibus fortes, animoſoſq; homines cum modeſtis, & prudentibus copulari oportere; vt inde quoddam vel ingeniorum tēperamentum exiſtat maxime vtile, & opportunum rebus gerendis.* Age igitur cum reliquarum virtutum Princeps, & moderatrix ſit Prudentia operæ pretium eſt, quàm egregia & excellens in CAROLO III fuerit Prudentia, accurate ſeduloq; attēdere, vt & fides ijs quæ à nobis hactenus de Heroicis eius virtutibus dicta ſunt; maior accedat, & in hoc ſermone, quo ſummi, & omnibus numeris abſoluti Principis ideam conſilium eſt exprimere, nihil deſiderari poſſit amplius. Enimuerò *ſi indicat opus quemq;*, vt ait Poëta, τεκμαίρει χρῆμ' ἕκαστον. *Pind.*

effectaq; à ſuis cauſis, vt logici docent, capiunt lucē, & eandem in illas refundunt viciſſim, quibus autē ex principiis in animis hominū ingenerari ſolet Prudētia, eorū omniū mirifica fuit in ſapiēte principe conſpiratio; & quæ maxime illuſtria humanæ prudētiæ reputātur effécta,

fuere clariſſima in vniuerſa eius vitâ, cauſsã profectò apud æquos rerũ iudices certò obtinuimꝰ. Principiò igitur, quod ceteris præclarisque ibuſq; rebꝰ inſitũ eſſe experimur, vt non niſi eæ ex plurium rerũ per ſe magnarũ, & præſtãtium coalitu ſuã obtineant integritatẽ, id in Prudẽtiâ nemo (credo) mirabitur, quẽ non pigebit dignitatẽ eius, & magnitudinẽ ex ſuperiori oratione repetere. nã, cum ipſius Prudentiæ vis in moderandis efflorescat humanis actionibus, quarum laus perfectioq; petitur à fine, qui ſumnium bonum ſeu priuatum ſeu publicum ſpectet; finis autẽ notio non niſi ex anticipatâ quâdam cõmuni legũ ac præceptorum rectè viuendi, atq; regendi, quibus humana continetur ſocietas, intelligentiâ, nec non particulari notitiâ rerum ſingularium, in quibus actiones verſantur, quæq; ad actionem pertinent, ſeu exercitatione in rebus cominus noſcendis, & periclitandis, & omnium actorum, & euentorum firmâ memoriâ (ex vniuerſali nãq; cognitione, vt Jamblicus aduertit, omnis conſultationis, practicique Syllogiſmi maior propoſitio; ex particulari vero minor aſſumitur) efficitur profectò ad prudentiæ habitũ gignendum, cuiuſq; noſtrûm & præſertim Principis, cui ſumma rerum incumbit, animum benè conſtanterq; erga laudabilem finem, per diuerſos virtutum habitus ante omnia affectum eſſe oportere, nec non ciuili ſcientiâ, atq; philoſophiâ morali (ex cuius vtriuſq; fontibus cõmunis illa præceptorum rectè viuendi, ſapienterq; regendi doctrina hauritur) tùm verò hiſtoriâ variâ; multipliciq; morum, ac conſuetudinum diuerſarum nationum notitiâ, diuerſorumq; euentorum præſcientiâ et longo vſu experientiâq; (ex quibus fluit particularis cognitio rerum, in quibus ſeu materie verſatur omnis actio) apprimè inſtructum eſſe debere: quæ ſanè nec haberi poſſunt niſi firmâ animus vigeat, tenacique memoriâ, neque verò in vſum reuocari, niſi accedant & inueſtigandi media inueniendique magna ſolertia; & apprehendendi eadem, ac iudicandi perſpicacitas; ex his quippe legitima conſultatio conſtituitur, à quâ recta emanat gnome ſeu ſententia: itaque cum ad Prudentiam hæc tria deſiderentur, animus nimirum memoriâ felici cũ ſolertiâ, & ſagacitate coniunctâ præditus tanquàm idoneum quoddam ſolum, & veri cognitio, comprehenſioque ciuilis ſcientiæ, atq; variarum præceptionum à ſapientibus viris poſteritati relictarum, ceu calor quidam vitalis, cuius influxu animus veluti fœcundatur, vt exiſtimauit Plato; denique vſus multiplex, atque experientia tanquàm cultura eiuſdem, & perfectio, vt credidit Ariſtoteles, ſi has omnes prudentiæ cauſſas non defuiſſe principi noſtro demonſtrauerimus, prudentiam certè ſummam in eo fuiſſe confecimus. At quod

ad naturalem, & inſitam animi diſpoſitionem ad ingenerandam prudentiam neceſſariã ſpectat reuocantibus in memoriam, quæ de eius ingenii memoriæque felicitate, & maxime laudabili ſanitate, (cuius ſoboles Prudentia & τεκμήριον certiſſimum eſt ex Galeni doctrinâ) ſuperuacaneum foret ad fidem Prudentiæ in optimè nato Principe eximiæ vberioria aliunde quærere argumenta. Etſi autem rarum illi, aut nullum cum Sapientum libris præ negotiorum multitudine cõmercium eſſe potuerit, vmbratiliſque illius ſcientiæ fuerit expers; tamen cum per tot annorum decades aſſiduis ſapientium virorum colloquiis fuerit ſemper vſus, ingenio aliàs potens iudicioq; acer, & rebus præterea gerundis, conſilioque publico toto vitæ ſuæ decurſu præfuerit: quis illum in ciuili ſcientiâ non modò non rudem, & hoſpitem, ſed non potius contrà exercitatiſſimum fuiſſe credet, eoque ſapientiſſimum, cùm vſus efficaciſſimus rerum omnium magiſter, imò omnium magiſtrorum præcepta ſuperet, eiuſque ſumma vis ſit ad ceteras artes, & ad ciuilem maximè ex decreto Philoſophi: *καὶ τοῖς ἐφιεμένοις περὶ πολιτικῆς εἰδέναι, προσδεῖν ἔοικεν ἐμπειρίας*, & *quiſquis in re ciuili intelligens haberi velit, opus ei experientiâ*, vt proinde ſapere ac conſulere ex iis eueniat, quæ pericula ipſa rerum docuerunt, non quæ libri. Certè tantâ ſapientiæ laude felicem noſtrũ CAROLVM claruiſſe ſentio, vt iure ſibi illud Poetæ poſſet arrogare,

νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα — Hom. od. 2.
ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρηα. — *Ego noſco, ſcioq;*
Singula quæ bona, quæ mala ſunt.

Etenim cum Prudentia ciuilis, & regia maximè vigeat in notitiâ naturæ, affectuumq; vulgi, & quibus modis temperanter habeatur, vulgi, inquam, ſiue eius cui præſit, ſiquidem

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos, — Mart.

ſiue finitimi, quicum res illi, aut fœdera interuenerunt, quia ſunt *tàm ciuitatum quàm ſingulorum hominum mores: gentesq; aliæ iracundæ, aliæ audaces; quædam timidæ, in vinum, in venerem promores aliæ ſunt*; — Liui. l. 45.
ſiue denique hominum in genere, ad quorum motus & affectus ſeſe componere par eſt: certè ſi vſum ætas adfert, *& ſeris venit ab annis*, perfectiſſimam ſuorum habuiſſe notitiam prudentem Principem fatendum eſt, qui quinquaginta annos cum illis ferè aſſiduus vixit, ſuamque terram vniuerſam tertio quoque anno luſtrare in more habuit. Atque cum Lotharingia quidem, ceu Europæ meditullium, opportuna ſit itineribus & commeatibus diſſitarum toto orbe gentium, eoque cum ingenio earum, tum moribus cognoſcendis percommoda; præterea autem magnam ſuæ adoleſcentiæ partem Se-

reniſſimus Princeps in florentiſſimâ aulâ ſemper honorati ſoceri ſui Henrici II. Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, & deinceps poſteà in aulâ ſequentium Regum frequens fuerit ad magna vocatus negotia; & Germaniam pariter adierit ſæpius, & maxime quò tempore ampliſſimis comitiis, & celeberrimo omnium totius Germaniæ Principum conſeſſu Francofurti Maximilianus denuntiatus eſt, & coronatus Imperator: & nouiſſimè ætate iàm affectâ, quo in itinere fœdus amicitiamque per ciuilia bella interruptam cum ſummis Germaniæ Optimatibus renouauit, confirmauitque, & maxima compoſuit negotia; facilè eſt profectò intelligere quantam ſapiens Princeps affectuum humanorum peritiam à diuturno cum ſuis finitimiſque, & exteris populis vſu habuerit. Ex quo iure hanc gloriam reportauit, vt nihil de rerum euentibus ignorare, ſed omnia longè anteuidere, prouidereque ille iudicaretur; atq; vt antiquiſſimus, ità experientiſſimus ſapientiſſimuſq; ſui æui Princeps audiret. Verè enim Ariſtoteli ſcriptũ *iuuenibus quidem robur, ſed ſenibus Prudentiam Naturam largiri*: & magiſtro eius Platoni *virtutem animi non ante effloreſcere, quàm vis corporis defloreſcat.* Senibus quippè deferbuit ardor ſanguinis, animique perturbationes, à quibus iudicium euerti conſueuit, ſunt omninò ſedatæ; ipſaq; Senectutis temperies inclinat in ſiccitatem, *cuius aridus ſplẽdor ad iudiciũ, & ſapientiam* ex ſententiâ Heracliti *facit plurimũ*. Quod ſi ab iis affectibus, *à quibus omnes eos, qui de dubiis rebus conſultant, vacuos eſſe decet*, irâ ſcilicet, quæ *immodica* iudicio Epicuri, *gignit inſaniam*; & auaritiâ *quæ omnia venalia habere edocet*, tùm verò fiducia, *quæ cum ſapientiâ non commiſcetur, & plerumq; promit conſilia calida, & audacia primâ ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia*; denique cupiditate celeritatis parente, *quâ nihil magni diſcriminis conſiliis tàm inimicum*, ſi inquam, ab his affectibus quàm longiſſimè abfuiſſe bonum Principem & omnes nouerunt, & luculenter ante demonſtrauimus; agnoſcamus etiam oportet illum omnibus, quæ ad Prudentiam requiruntur, fuiſſe abundè à Naturâ munitum. Age verò quis ſummæ in cordato Principe ciuilis Prudentiæ documenta deſiderat luculentiora vel eâ ſui imperii felicitate conſtanti, atque diuturnâ, quantam poſt exceſſum Auguſti rara vidit ætas; vel obedientiâ ſuorum ſingulari cum beneuolentiâ coniunctâ? quantæ enim ſapientiæ fuit hanc terram à communi totius Europæ conflagratione, mediiſque è flammis liberatam, & tot inter tamque diuturnos bellorum tumultus perpetuâ pace beaſſe, ſolis eius finibus huiuſmodi procellarum nimbos ſentientibus? quantæ Prudentiæ fuit hanc gentem antea rudem, & incultam à barbarie vindicaſſe, liberalibus

Salluſt. Catil.
Sen ep. 8.
Salluſt Catil.
Cicer pro leg. Man.
Liui l. 35.
Id l. 31.

omnis

omnis generis artibus informaſſe, atq; præſtantiſſimis inſtitutis,& elegātiſſimis moribus expoliuiſſe,vt nobilis iuuentus poſſit deinceps facilè carere Athenis Gallicis,à quibus gratiā & comitatem, morūq; ſuauitatem,ac facilitatē,& dicendi venuſtatē,ingenuaſq; omnes diſciplinas & elegantiores quaſuis artes hauriat:neq; etiā ſeceſſum longiorem in Italiâ deſiderare debeat,à quâ ſcilicet modeſtiam cum grauitate coniunctam, & Prudentiam ſolertiamque variam accipiat? Quantæ denique Prudentiæ ſuum imperium ad eam felicitatē & gloriā prouexiſſe,quibus allecti multi exteri huc cōceſſerint vltrò,domiciliūq; rerum ſuarū in Lotharingiā feliciter cōſtituerint?equidē ſi *nihil poteſt eſſe omninò beatū,idemq; diuturnum,cui non ſubſit ratio*,vt prudēter Curtius monet,ſatis ex his perſpici poteſt Catum Principem plura in ſummâ fortunâ auſpiciis & conſiliis ſuis, quàm telis & manibus geſſiſſe? Egregius verò ſuorum animus erga illum, prolixaque obſeruantia an non eſt clarum argumentum illum leni, temperatoque cohibuiſſe ſemper eos Prudentiæ fræno, quo nullum aptius reperiri poteſt ad homines *naturâ feroces, quique in nullos magis inſurgunt, quàm in eos, quos imperium in ſe affectare ſentiſcunt*, voluntariè redigendos in obedientiæ gyrum? Quæ etſi ampla ſunt, & laudatiſſima raræ Prudentiæ teſtimonia, facerem tamen felici eius memoriæ non mediocrem iniuriam, ſi ſingularia magis exempla ſilentio prætermitterem. Enimuerò cum omnis vitæ ratio inſtitutioque adiumenta hominum deſideret, & maximè ciuilis & publica rerum adminiſtratio,quòd, vt Xenophon aduertit, *πάντων τῶν ἄλλων ζώων ῥᾷον, ἢ ἀνθρώπων ἄρχειν, ceteris animalibus longè facilius eſt, quàm hominibus imperitare*; certum autem ſit Principem ſuâ ſcientiâ non poſſe cuncta cōplecti,ſed egere adminiculis, ante omnia ſapiens Princeps nihil prius,aut antiquius ſibi eſſe duxit,quàm vt adiutores, ſeu conſiliarios, ſeu miniſtros aſſumeret in partē curarum,& tanquàm præſidia,quibus quaſi ſuis oculis,ſuis auribus, ſuiſq; manibus vteretur. ac quoniā conſilio domus, vrbes, imò regna ſtant, ſemperq; *compertū omnia regna ciuitates nationes, vſq; eò proſperum imperiū habuiſſe dū apud eos vera conſilia valuerunt. vbi q; gratia, timor, voluptas ea corrupere, poſt imminutæ opes, dein ademptum imperiū, poſtremò ſeruitus impoſita eſt*,prudentiſſimè ſe ſe geſſit in Conſiliariorū delectu, & maximè parentiâ; non immemor illius ſapientiæ decreti, *primum eſſe & ſapientiſſimum, qui ipſe quod in rem conſuleret, cuique quod eius ſit veniret in mentem; ſecundum autem, qui alterius bene inuentis obtemperaret:*

ὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει.
ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται

Xenop. in paed.

Ib.

Sall ad Cæſar.

Laudatiſſimus eſt ipſus, qui cuncta videbit;
Sed laudandus et is, qui paret recta monenti.

Etenim cum in primis ſemper cauiſſet ſibi à cubiculariis illis conſiliatijs, quibus omnia Principum honeſta atq; inhoneſta facta laudare mos eſt, qui ceu aulæ mancipia, in aures Regum fictè, & ſimulatè ſui quęſtus gratiâ inſuſurrant; accurateq; prouidiſſet, ne iis de rebus, quæ ad ſui imperij officium, aliquamue Reipub. partem pertinerent, quidquam attingerent: aſſumpſit duntaxat illos, quorum prudentiā, fidemq; cum probitate coniuncta in ipſe ante haberet perſpectam aut quos conſtans fama, & iudicium prudentum claros faceret, hoc eſt, fidos, proboſq;, & ingenio ſapientiâ valido, nec ſolùm animorum prouinciæ, ſed exterarum quoq; nationum, & linguarum non ignaros: non autem eos ex famigeratione vulgi, *cui non iudicium, non veritas, ſed impetus atq; opinio cum quadam temeritate coniuncta eſt*: neque ex commendatione, precibuſue paucorum, aut ſtudiis priuatis, ſed ferè ſponte ad conſilium vocauit, aut admiſit. Nam quòd & paucis quibuſdam iuuenibus (*quorum haſtæ eſſe dicuntur, vt ſenum conſilia*, quiq; vt potè molles, & ætate fluxi dolis haud difficulter capiuntur) aditum ille ad priuatum conſilium permiſerit, id certè non temere factum nullus negabit, qui idem à Romanis eſſe factitatum, prudentiāq; vſu atq; experientia rerum omnium magiſtrâ comparari meminerit. ità enim in animum induxerat ſuum, adoleſcentes etiam ex ſcholis iuris nuper egreſſos in conſilium ſenum oportere introduci, ceu in optimā prudētiæ practicæ ſcholam, in quâ ſaluberrima ciuilis adminiſtrationis præcepta meditata aſſiduo vſu altiùs animis infigerēt; itaq; rebus gerendis poſteà aptiores euaderent. Pari cautione Prudentem Principem memini & Medicorum domeſticorum numero cooptaſſe non quos famigeratio vulgi Apollines celebraret, ſed quos lapis Lydius, id eſt iudicium Archiatrorum ſuorum comprobaſſet: & ad Academiæ à ſe fundatæ præfecturam, atque regimen Patres è ſocietate IESV doctrinæ, virtutis, pietatiſq; conſtanti famâ toto orbe celeberrimos, clariſſimoſq; Iuris-conſultos amplis cum honoribus, & ſtipendiis ex Galliâ acciuiſſe, non ignarum huius conſilii Symmachi, *ſcimus*, inquit, *bonas artes honore nutriri, atq; hoc ſpecimen eſſe florentis Reipub. vt diſciplinarum Profeſſoribus præmia opulenta pendantur*. Iàm in cogendo quidem concilio ità ſe geſſit, vt cum magna in Repub. momenta ſint temporum, & multum interſit idem illud vtrùm ante, an poſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur, ille non niſi maturé ſemper deliberatum de omni graui negotio vellet, glorioſumque nomen Cunctatoris reportaret: in audiendo verò libertate admiſſâ vera non re-

Tac. 1. hiſt.
Cic pro Plant.
Epiſt. 73.

ticendi.

ticendi, aures ita ſuas formaret, vt aſpera æquè, atque iucunda modo ſana acciperent, nec aſſentationi, *quæ Regum opes ſæpiùs, quàm hoſtis euer tit*, ſolùm paterent; tum ipſe ſuis Conſiliariis tantum deferret, ut quanquam iis omnibus non impar, ſed ætate, conſilio, vſuq; rerum, & animi candore longè ſuperior eſſet, nihil tamen ſtatueret decerneret ue, quod vel vltrò illi non ſuggeſſiſsēt primi, vel à ſe propoſitum non prius approbaſſent, Antonini Philoſophi ſcilicet exemplo ratus eſſe æquius, vt ipſe tot taliumque amicorum conſilium ſequeretur, quā tot taleſque amici ſuam vnius voluntatem: niſi forte in rebus magni diſcriminis, in quibus Politici iubent fieri quod deberet cum multis tractare debere principem; quid autem facturus ſit cum pauciſſimis, vel potius ipſum ſecum. Nam quid dicam de ceteris adminiſtris cum in tantâ illuſtrium nobiliumque familiarum Lotharingi ſanguinis multitudine, quorum decora ſi non ſuperant, certè exæquant reliquarum nationum gloriam, fortium iuxtà atque ſapientum virorum qui & bello ſuæ virtutis, & domi integritatis, prudētiæq; multa præclara ſpecimina edidiſſent, magna ſemper adeſſet copia; vt non valdè ei laborandum fuerit in eligendis ſiue præfectis, ſiue iudicibus, ſiue alijs idoneis, & ad quæuis munera opportunis; in quo hoc certè obtinuit fato quodam, an potiùs Prudentiâ dicam, vt ſi non erecta ingenia, certe paſſim recta, & ſi non ſuprà, ſaltem paria negotijs offenderet; ex quo rarò aut nunquā contigit (mirum in tantâ huius æui corruptela) damnare manifeſtos criminis, quos officijs, & adminiſtrationibus præfeciſſet, omninoque ità prouidit (quod illi glorioſum fuit) vt in hac cuſtodiâ Imperij non ſe vnum modò, ſed miniſtros ciuibus, & Reipub. præſtaret. Denique hoc non leue ſingularis cuiuſdam Prudētiæ argumentum fuit, quod in iudicijs, ſeu ſanctioris conſilij, ſeu tribunitijs minime clandeſtinis & tabellarijs ſuffragijs ferri ſententias conſtituit, ſed iudices plures illos quidem, & iuriſconſultiſſimos inter ſe collocutos ſeriò, & penſitatè decernere voluit: nimirùm *cum multi iudices congregati ſunt*, animaduerſione Ariſtotelis, *quamuis ſinguli fort aſſe leues exiſtimentur, in turba tamen valent non aliter atq; conuiuia melius inſtruuntur multorum collatâ pecuniâ, quàm vnius tantummodo impenſis.* accedit quod cùm inter plures Iudices vnuſquiſque partem aliquam prudentiæ virtutiſque habeat, concilium certe, conſeſſuſque diuerſorum hominum videtur eſſe corpus aliquod multis brachiis, multiſque ingeniis, & iudiciis præditum. poſtremò *metuendum eſt, ne tacitis ſuffragijs irrepat impudentia*, vt monet Plinius, *pauci enim conſcientiam verentur: multi viris bonis auſcultantibus perperam iudicandi infamiā timent.* Hic mihi inſanùm ardet animus per alia diuinæ

Curt. lib. 8

Polit. 3.

Epiſt. l. 9.

in ſapientiſſimo Principe Prudentiæ exempla ſingularia excurrere eaque ad imitandum omnibus Principibus proponere. Ac primùm quoniam prima ſe offert curatio rerum diuinarum, & iure, quando *Religio & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem*; meminiſſe equidem iuuat religioſum æque, ac prudentem Principem non ſolùm ſincerè ipſum Diuinum illud, & ſupremum Numen omni modo, omni tempore iuxtà patrias leges coluiſſe, ſed etiam, vt alii illud colerent, accuratè prouidiſſe quà variam Religionum excludendo miſcellam, quà eos, qui aliquid in Diuinis innouarent, coercendo, expellendoque; certè qui priuatim malè de fide ſentirent, primùm quidem errantes ad rectum iter ſuadendo, magis monendo, quàm imperando, aut minando, deinde quibus lentis ſtupidiſque animis cohortatio quieta non ſuaſiſſet, terrore minaci à paucis quidem extorquendo pœnitentiam, pleroſque autem (*vt eſt naturâ contumax humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens*; nec non violatarum Religionum alìubi, atque aliubi diuerſa pœna eſt, ſed vbique aliqua) ſolo exitio puniendo, vt hoc modò membrorum potius aliquod, quàm totum corpus periret; cum non neſciret ex Varronis conſilio *digitum præſcindi opportere ſi ob eam rem gangrena ad brachium non ſit ventura.* Qua in re non mediocrem ſuum in Religionem ardorem tantâ lenitate temperauit, vt cum illis peruicacibus integram ſuarum fortunarum, bonorumq; alienationem, & tranſmiſſionem reliquiſſet liberam, ipſi certe quamuis exules bonitatem, Prudentiamque Principis ex animo prædicarent, eique nihilominus ſe ſuaque omnia darent dicarentque. Teſtes appello Baſileas, Metas, vicinaſque vrbes pluſculis è noſtris honeſtis familiis ſponte præ intemperantiore in nouam religionem zelo ſolum relinquere auitum malentibus. quàm pertinaciam animi deponere, auctiores & populoſiores, quã ante redditas. Teſtẽ etiam appello vniuerſum Clerum quàm ſumma cura cum modeſtiâ ſingulari coniunctâ prudens Princeps ſacra, religionemq; tetigerit, direxerit, aut potiùs inſpexerit; & quàm tuendi magis, quàm cognoſcendi animo. Venio enim ad prudentiam eius circa res humanas occupatam, quæ incredibile dictu, quàm ſollicita & accurata fuerit in iis rebus amplectẽdis, quæ ſui principatus tranquillitatem, ſtabilitatemque afferre natæ eſſent, quamque contrà cauta & prouida in iis euitandis, quas turbæ, aut euerſio rerumpublicarum conſequi ſolet. Principiò igitur, quibus rebus firmitudinem imperiorum maxime contineri conſtat, earum CAROLVS profectò omnium ſemper cupientiſſimus fuit, & apprimè

retinens,

retinens, beneuolentiæ nimirùm ſuorum erga ſe prolixæ, quæ ad rerum omnium adminiſtrationem, & animorum conciliationem magnum Platonis iudicio pondus habet, *διὰ τὸ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὸ πρακτικὸν ἐστι, ab eo quod placeas hominibus, actionum efficacia eſt:* tùm maieſtatis, *quæ & ad faciendam fidem quæritur, & multum in bellis quoque adminiſtrandis, atque imperio valet:* vis denique ipſius *in cuius tutelâ, atque præſidio latent patria, libertas, ciues, atque ipſi Principes.* Enimuerò cum ad lenitatem animi, qua nullum eſt ad animos inter ſe deuinciendos vinculum gratius, & præſertim ſub ditorum voluntates maieſtati Principis obligandas, cui *remiſſius imperanti melius, fideliuſque paretur*, perhumanus Princeps eſſet a natura compoſitus, eamque ſummo excoluiſſet ſtudio, ei etiam adiunxit beneficentiam, quæ non minus eſt potens ad amorem conciliandum pharmacum, ſiquidem compertum eſt Romanos magis dandis quàm accipiendis beneficiis amicitias parando florentiſſimum ſibi Imperium peperiſſe: quibus artibus beneuolentiam cum ſuorum, tum exterorum in ſe tantam eſt demeritus, vt ſubditi quidem ſumma cum animorum propenſione, & reuerentia tanquàm Patrem patriæ & Seruatorem proſequerentur, & colerent; exteri autem, vicinique omnes ſingulari quadam in ſe, ſuumque ſtatum inclinatione affecti, velut ſalutare quoddam numen amarent, & vererentur, atque vtramque virtutem, cuius exempla ſupra ſplendida exhibuimus, tanta temperauit prudentia, vt & nihil apertis oculis donaret, ſed meritiſſimis & cum modo; ne alienis bonis manus afferre coactus, ſtudia quidem eorum, quibus daret, odium autem nullorum (quippe qui nihil aliis adimeret) ipſe contraheret; & virtutes ſpecie diſpares iungeret, reuerentiam ſcilicet, & amorem, illam terrore & ſeueritate, hanc lenitate & humilitate captans; ſic enim lenitatem ſeueritate tanquam ſale condiebat, vt & à nimia illa lenitate, quæ parere contemptum ſolet, ipſe abeſſet plurimùm, & nullam licentiam præberet peccandi, aut facultatem faciendi quod cuilibet viſum. ſeueritatem autem ea manſuetudine leniebat, vt illam, *ſine quâ quippe adminiſtrari ciuitas nulla poteſt*, adhiberet in tempore, ſed raro, & erga paucos, eoſq; ſolùm maximé, quos ad meliorem frugẽ redire poſſe nulla ſpes erat, ne ignoſcendo malis, bonos iret perditum, & vt pœna ad paucos, metu ad omnes perueniente, ſaluti omnium prouideretur, ſiquidẽ *in repub. multò præſtat beneficii, quã maleficij immemorem eſſe, quia bonus tantummodo ſegnior fit, vbi negligas, at malus improbior.* quâ prudentia etiam maieſtatem tuam columnã ſcilicet imperii, ſar-

Epiſt. 4 ad Dio.

Cic. Top

Id pro leg. Mã.

Id pro. Mur.

Senec. 1 de cle.

Cic. 2. offic.

Salluſt. Iug.

tam

tam tectam ſeruauit: & prætorea retinuit formâ regendi partim aſtri-
ctiore, vt tametſi cuncta conſiliis traheret, non ſequeretur tamen,
ſoluſque arbiter rerum maximarum certè, & temporum audiret, par
tim ſtabili, & vno tempore fluente, imitatus Alcibiadem, & Auguſtū
apud Thuc. l. 6. & Dion. l. 11 magnâ ſapientiæ laude claros principes, qui *poſitas ſemel leges etſi paulò*
deteriores, vtiliores his, quæ per innouationem vel meliores inducantur, eſſe
indicabant. Nulla enim contemptus materies frequētior, quàm ſi Prin
ceps ipſe, aut ſecurum ſuarum rerum, ac negligentem ſe monſtret,
muniaque magna tranſmittat, ac effuſé honores diuidat, ſatis beatū
ſe iudicans, ſi ſolutus onere imperii præſentibus fruatur, aut ſi ſubitis
offenſis, vel intempeſtiuis blanditijs mutabilem ſe præſtet, atq; mobi-
litate ingenii leges figat, & refigat. Sed inprimis maieſtatem ſuam au-
xit, tùm moribus, qui eum auguſtum, & venerabilem ita redderent,
vt obuii vererentur potiùs, quàm exhorreſcerent: tùm verò earum
rerum prouidentiâ, quibus potentia, fulcrum imperiorum, paratur
& retinetur, copiâ ſcilicet amicorum, opum, armorum, & conſiliorū.
Plini paneg. Xenop l 8. Salluſt. Iug. Nam cum *non aureum ſceptrum ſit quod regnum cuſtodit, ſed copia amico-*
rum, ea rebus ſceptrum veriſſimum, tutiſſimumq; neq; exercitus, neq; theſau-
ri præſidia regni ſunt, verum amici, ſi Cyrum & Micypſam reges audi-
mus; *cum iis* certe Catus Princeps *fœdus renouauit firmauitq;, aut primū*
pepigit ex conſilio Philoſophi, *qui non mediocri valerent potentiâ, & in*
proximo habitarent, cum potentiſſimis ſcilicet Regibus, & Belgii atq;
Germaniæ Principibus, nec non fortiſſimâ gente Heluetiorum; atq;
in eorum diſſenſione ſocietatem alterius ita induit, vt alterum à ſe
tamen nō alienaret, certe neutrum hoſtē haberet. Opum verò ceu pe
cuniæ, neruorum imperii, bellique, vis, & copia tanta ſuâ prouidētiâ
illi ſemper ad manum adfuit, quanta bello etiam diuturno ſuſtinēdo,
ac tuendæ ſuæ ditioni & amplificandæ etiam vſus fuit: certe fidē eam
apud vicinos pacatos, & abundantes habuit, vt exhauſto ſuo ærario
ab iis auxilium nummarium impetraret facile; pariter virorum & ar-
Tacit xv. An. morum, *quorum faciendum certamen ſæpius, quod ignauiâ magna imperia*
nequeāt contineri, magna illi vis ad nutum ceu iuſſum præſto fuit, qui-
bus fretus ſi non obtinere nouas prouincias, ſuas ſaltem tenere, & ſi
non inferre pericula, certe cauere poſſet; itaque *inter impotentes & va*
Id. de mor. bir m. *lidos etiam, apud quos vbi de manu agitur, modeſtia & probitas nomina ſu-*
perioris ſunt, tuto quieſceret, imitatus *teſtudinem, quæ vbi collecta in ſu-*
Liu 1.Lib 34 *um tegmen eſt, tuta eſt ad omnes ictus, vbi exerit partes aliquas, quodcunq;*
nudauit, obnoxium atq; infirmum habet. nec ignarus fortunam citiùs
reperiri, quàm retineri, & cautior ab exemplo Pyrrhi illius Burgun-
di, aliorumque, qui dum ſe tàm magnos quàm audirent credidére,

attraxere

attraxere ſuperuacua, & in diſcrimen rerum omnium peruentura bella. Nam quid de vi dicam ceu præſidio, quod ad tutelam Principis & ſtatus ſiue arcendis iniuriis externis, ſiuè motibus inteſtinis compeſcendis opportune adhiberi ſolet? equidem cum illi ſatis præſidii, & in promptâ ſubditorum inclinatione, amore, & fidelitate, & in tot potentium amicorum copiâ ſemper fuiſſet, tamen ſuæ prudētjæ fuit vim quoq; ad ſui, ſtatuſq; tutelam neceſſariam minimè negligere, ſimul & decori conſulendo, & inſtabilitati imperii, *arduum ſcilicet & ſubiectum fortunæ cuncta regendi onus.* Itaq; milites inprimis, & cuſtodes pro more laudabili, vel ornamenti cauſsâ, primus tùm ex fideliſſimâ gente Heluetiorum, tùm ex ſubditis ſelectos viros fortes aſſumpſit, qui in forum, in curiam comitarentur, qui ſomnum eius nocturnis excubiis munirent, latera obiecti circumfuſique defenderent, & incurrentibus periculis ſe opponerent: ſed & ordinarios in finibus, & cōtrà hoſtem tenuit ad ſubita caſuum, nec non & arcium, & munimentorum cuſtodiam: quæ ſane munimenta à naturâ & ingenio loci valida, omni tamen arte vallauit, firmauitq; vt à nullo, niſi ab aſello auro onuſto poſſent expugnari. Quibus tot, & tantis præſidiis munito ſtipatoque haud quaquam valdè laborandum fuit prudentiſſimo principi, aut in eâ vi clancularia repellenda, quæ caput ſtatumue eius peteret, quæque ſummas frangit infirmatque opes, hoc eſt, in inſidiis vel proditione indagandis, amoliendis, vindicandis; aut in odio ſuorum ſubditorum, maleuolentiâq; pertinace, & cum cupidine offendendi coniunctâ auertendis, & tollendis (quod odium inſitum animis hominum, & inuſtum, dici non poteſt quantum valeat ad peſtē) aut verò in contemptu euitando, *quam alteram cauſſam* adiunxit *odio* Philoſophus, *ob quam vtramq; inſurgitur in tyrannos*; aut denique in fraudibus & dolis colendis, *per quos* monito eiuſdem Philoſophi *regna euerti, ſic eadem ſeruari ſatis compertum eſt.* Tametſi enim patere vel vnius inſidiis Regem maximé conſtat, ac Regum exitus ſi reputauerimus, plures à ſuis, quàm ab hoſtibus interemptos reperiemus,

Ad Generum Cereris ſine cæde, & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte Tyranni.

Tamen tantùm in animis omnium non ſolùm ſubditorum, ſed etiam hoſtium ſui amorem, & reuerentiam, præclaris ſuis virtutibus, & ampliſſimis beneficiis conciliarat, vt nuſquam fando ſit auditum in hâc morū corruptelâ, fluxâq; & venali militum fide per hæc turbulentiſſima tempora cuiquam tàm ſcelerato, & neſario venjſſe in mētem optimum & clementiſſimum principem, vel etiam verbo criminari, (ea autem rara ſed magnifica laus) nedum gladio pulchrm

Tacit. 1. Ann.

Ariſt. 5. Polit.

Plin in Paneg. Homer.

illam, & candidam ceruicem petere. Scilicet diſcimus experimento, *fidiſſimam eſſe cuſtodiam Principis, ipſius innocentiam*, & quod

Διὶ Κρονίωνι μέλητα

Αἰδοίω βασιλῆϊ.

Magnaq́; Ioui cura eſt Venerandi Principis.

Senec. ep. 104.

Etenim catus princeps *non neſciebat ab homine homini quotidianum periculum, & præſertim Principi, nullum malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius: itaque cum cogitaret, quod ex homine periculum ſit, vt cogitaret ſimul, quod ſit hominis officium*, ex præcepto ſapientis *alterum intuebatur, ne læderetur, alterum ne lædat, commodiſque omnium lætabatur, mouebatur incommodis, memineratque quæ præſtare deberet, quæ cauere; ſicque viuendo priuatim conſequebatur, ne non nocerent, ſed ne fallerent etiam*; publicè autem inprimis longè alienus erat ille ſuâ naturâ à ſæuitiâ, auaritiâ, & rigore, ceteriſque vitiis, quæ ad odia, *quibus nullæ opes poſſunt reſiſtere*, homines inſtigare ſolent; ſed etiam à ſui metu ſuorum animis imprimendo, *quo premente nulla vis imperii tanta eſt, quæ poſſit eſſe diuturna*, imò vel ab opinione & famâ eorum, quâ ſcimus homines vt metuant, aut oderint, non minus quàm certâ aliquâ ratione moueri. quis enim tàm abiecti, aut ſtolidi animi eum metuiſſet principem, quem clementem, ſalutarem, & bono publico natum quotidie experiretur? quis autem niſi extremæ impudentiæ, & veſaniæ illum odiſſet periiſſeque expeteret, execraretur, inſidiaretur, opprimeret, qui & in neminem, vel è plebis fece, aut ex tineis & ſoricibus Palatii, vel verbo acerbior, nedum iniurius fuiſſet, & nullius inuiti reculam tenuiſſet, ſed qui quietem, lætitiam & oblectamenta honeſta ſuis omnibus indulſiſſet? Videamus enim ſi placet, quàm cautè & prudenter ſe ſe geſſerit, & in cenſurâ, & in tributis, ac in ſuppliciis, ceteriſque eiuſmodi, quæ alioqui neceſſaria omni imperio, odia tamen publica fouent, & ſæpè ad rabiem exereſcunt, rectè adminiſtrandis, & ad ſalutem publicam referendis. Nam cum imprimis intelligeret ad felicitatem & conſtantiam imperii virtutem *principi, qui rempub. rectè laudabiliterque inſtitueret regere, eſſe cum ciuibus neceſſario communicandam* ex Platonis præcepto, *& partarum rerum æquatum cælo cumulum ſedem ſtabilem non habere, niſi ſingulis quoque ciuibus officium, ac verecundia ſua conſtiterit*; quia *peſſimus quiſque aſperrime rectorem patitur, bonus contrà, metuens magis, quàm metuendus, & vltrò obnoxius*: maximâ profectò curâ ille cenſuram, ceu animaduerſionem in luxum, moreſque eos, qui legibus diſertè non prohibētur, coluit, atq; exercuit correxitq; ea ſeriò, quæ pœna digna

Cicer. 2. off. Ibid.

Alcib. 1. Valler. Salluſt. ad Caſ. & Iug.

non

nondum eſſent, neglecta tamen, aut inſuper habita multorum ac magnorum malorum cauſſam præbere, ac funditus rempub. trahere ſunt nata. *Sæpe iam audiui*, vir politicus monebat Cæſarem, *qui reges, quæ ciuitates per opulentiam magna imperia amiſerint, quæ per virtutē inopes cœperant.* Id.

Turpi enim *fregerunt ſecula luxu:* Iuuena. Sat. 6

Otium ſimul & beatas Horat.

Perdidit vrbes.

Ii demum verò Penates, ea ciuitas, id regnum æterno in gradu facile ſteterit, vbi minimum virium, Veneris, pecuniæ cupido ſibi vindicauerit. Valer. *Fiunt contra in repub. mutationes cum homines ſua conſumunt prodigè viuentes; hi enim tales res nouas quærunt, & aut ipſi tyrannidi imminent, aut ad eam alios vocāt. Quæ enim ægra, aut moritura ciuitatis indicia,* Arist. 5. Polit. ſi ſapientes Romanos conſulamus, *niſi conuiuiorum luxuria & veſtiū? hæc namq; iuuentutem, vbi familiares opes defecerunt, ad facinora incendunt.* Senec. eps. Salluſt. Catil.

Non auro tectiſue modus, menſasq; priores Luc. l. 1.

Aſpernata fames.

Hinc vſura vorax, auidumq; in tempora fœnus, Ib.

Et concuſſa fides, & multis vtile bellum.

Itaq; ſapiens Princeps, quoniam *hæc conditio eſt principum, vt quidquid faciant, præcipere videātur* obnixè ante omnia ſtuduit, vt ad quam normam recti honeſtiq; aliorum vitam conformandam eſſe vellet, ſuam ipſius inſtitueret, omninoq; effecit, vt quod optat Plinius in principe, *ſua vita cēſura eſſet, eaq; perpetua.* Nam ipſe pudore inſigni conſpicuus à laſciuiâ & petulantiâ linguâ, à libidine plurimùm, & ebrietate continuit animum, & cultu modicus, eoq; antiquo, frugi & ore probo, animo verecundo ſēper fuit, atq; omninò modeſtiæ amās, ac præcipuus aſtricti moris auctor, verūſe ſe veteris diſciplinæ magiſtrum, & magnum moribus præfectū exhibuit. Neq; verò rectè facere ſuos ciues, rectè ipſe faciēdo tantum docuit, ſed & in ſuis luxum in cōuiuiis, in vino, & veſte cōpreſſit, & mores parum decori, modeſtiæq; ciuili, ac probitati cōſentaneos ſibi parum placere ſemper oſtendit, & ad Magnatum profuſiores cœnas inuitamentis rariſſime, & niſi iuſtâ de cauſsâ nunquā reſpondit, ſumptuumq; finem quod in ſe fuit, fecit, atque iuuenturē præſertim aulicam, quæ & diuitiarum, ac pecuniæ non alium fructum putat, quàm profuſionem, & vt olim virtutis modeſtiæque, nunc procacitatis, petulantiæque certamen pro glorioſiſſimo ducit, à laſciuiâ, immodeſtiâque & ſtultitiâ, ac falſis voluptatibus omni retinuit arte, atque vt haberet potius vniuerſa plebes negotia ſua, quibus à malo publico detineretur, ſerio curauit, Paneg.

auaritiamq; fœnebre malum, ne ex libidine potentium agitaretur, cauendo, atq; vt res familiaris iis ſolùm rebus quæreretur, à quibus turpitudo abeſſet, ſedulò prouidendo coercuit, deniq; ebrietates, iurgia, periuriâ in iis, qui non illecebris tantum, ſed ipsâ inſaniâ gauderent, mulctâ grauj vindicauit, atq; omnes in officio honeſtatis, & modeſtiæ legum vinculis continuit. Quæ ſane clementia fuit, ita vt cum in omni populo inſit malignum quiddam, & querulum in imperātes, odium tamen effugerit ſuorum, obtinueritq;, vt nequis ei malefacere poſſet, & cum faceret bené, non malé audiret. Sed age, vt in tributis exigendis, quâ nulla eſt vberior odiorum ſeges, (pecuniā ſiquidem populo eripere perinde eſt, atque vitam cum ſanguine.

Τἀργύριον ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς:

Pecunia anima, & ſanguis mortalibus.)

cum princeps ſapiens tenuerit modúm, qui eorum leniret aſperitatem, animus eſt paúlò attentiùs conſiderare. Principio igitur cum ſalus priuatorum publicæ innitatur ſaluti, quæ ſemper cum principis vſu ac ſalute coniuncta eſt, hoc conſtare debet quanquam tributa ex ſe ingrata, & impenſe grauia ſint, ad imperii, boniq; publici conſeruationem omninò eſſe neceſſaria. Cum enim illa ſint belli ſubſidia, pacíſque ornamenta, nec quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi queant, quæ reſpub. quis ſtatus ſine tributis ſtare poteſt? *Bellum eſt non in armis maximé, ſed in expenſis & ſumptibus per quos efficacia arma, & vtilia fiunt.* Quòd ſi neceſſitati, à qua ſalus publica omnino pendet, parere æquum eſt; & glorioſum; & verò ſapientis monito *ſtare omnes debemus tanquam in orbe aliquo reip.ub. qui cum iam verſatur, eam diligere partem debemus, ad quam nos illius vtilitas, ſalusq; conuerterit;* ſint ſane tributa per ſe laudabilia, ferendaque æquiter fateamur oportet. *Crebris populi flagitationibus immodeſtiam publicanorum arguentis, dubitauit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet: idq; pulcherrimum donum generi mortalium daret: ſed impetum eius, multum prius laudatá magnitudine animi; attinuere Senatores, diſſolutionem imperii docendó ſi fructus, quibus reſpub ſuſtineretur, deminuerentur. Quippe ſublatis portoriis ſequens, vt tributorum abolitio expoſtularetur.* Quòd ſi demùm tributa vſum, atq; decus demunt pecuniæ, fomentaque nequitiæ etiam nolentibus ſubſtrahunt (*opes ſiquidem atq; diuitiæ magnæ affligere ſolent ſeculi mores, merſamq; vitiis ſuis quaſi ſentinâ rempub. peſſundare,*) an non tributa quoque vtilia, iuſteque repetenda ſunt? Adeamus autem oppida & pagos, ſi placet, comperiemus profectò etiam tenuiores é plebe, qui labore quotidiano vitam trahunt miſeram; quibuſque aſpera eſt tributorum vox, res ipſa animis aſperior.

Ex Thuc.

Cic pro Planc.

Tacit. 13. An.

Flor. l. 3. c. 12.

rior, corruptis ita viuere moribus, vt quidquid multorum dierum ſudore meruerint, illud nequaquam lucro apponant in ſenectutis ia mia in inſtantis, aut præſentis liberorum egeſtatis ſubſidium; ſed vel vno die ludo, crapulâ, vel iurgiis diſperdant, deuorent, corrumpant. Quis non rideat aut potiùs non indignetur, ex vrbibus eos tripudiantes, titubantes, & bacchantes, atq; mero & ingluuie diſtentos, ſed ære vacuos redire in caſas, quos paulò antè ad forum frugibus, fructibus, aut lignorum faſce calloſa onuſtos terga, & repādos viderat cō fluxiſſe? Quis non ægris videt oculis vrbanas operas deteriore etiam luxu paſſim labores, & ærumnas dierum plurium vel vnâ horulà male feriatos dilapidare, abligurire? Et iniquo feremus animo vix trigeſimam mercedis menſtrui laboris partem ad ſalutem omnium & imperii ſubſidium à principe exigi, atque ceu ſpicilegium demeti ex vbere ſegete tot fomentorum nequitiæ, & flagitiorum, quibus homines ventri atque abdomini nati ſe ſe, familiamque ſuam dedecorant? Quid verò mihi, ô commodi frugiq; homines, ſi qui eſtis, vos tonderi inuitos à tributis importuniùs vociferamini, ſi exigua ramēta illa veſtra reliquo velleri longè ampliori, & pinguiori vſum optimi tegumenti præſtant, minuuntque inſanum illud *pecuniæ, quam nemo ſapiens concupiuit*, ſtudium, quod auaritia noſtra habet, *quæ quaſi venenis malis imbuta corpus, animumq́, virilem effœminat, ſemper infinita, inſatiabilis eſt, neq; inopiâ minuitur*. Sallust. Cati. Quòd ſi nihilo minus aſpera cuiquam parum in neceſſitatem eorum intento tributa videntur, is ſaltem reputet Dei irâ ob populi vitam omni flagitiorum, & ſcelerum labe contaminatam, ea ſæpe mala ingruiſſe publica, quæ ad hanc neceſſitatem ſui gregis vellicandi, ac ſtrictim, & ad cutem attondendi coegerunt Euergetem principem, & beneficum à naturâ, atque otii & commodi ſuorum ſubditorum peramantem. Penſitate enim ama bò feriò varia, grauioraque onera, & immenſos ſumptus, quibus ſe ſe obnoxium nolens, volenſq; ille vltro addixit, vt nos ſaluos, ſartos tectoſque haberet. Cui enim bono tot munimentis fines huius ditionis defendit, atque in ſtipendia ceu cōmoda plurium præſidiorum, & aliorum fortium ducum penſionem, tantam nummorū vim profūdit, niſi noſtræ tutelæ cauſa? cui bono fœdera, amicitiaſque regum, & potentiorum tàm crebris ad eos conciliandos, demerendos, ſalutandos, aut de rebus proſperis congratulandos (verum enim eſt illud Poëtæ

> ξείνων δ' εὖ πρασσόντων, ἔσαναν
> αὐτίκ' ἀγγελίαν
> ποτὶ γλυκεῖαν ἐσλοί·

Pind. Oly. od. 4.

Ingenui viri
Tangunt ouantes ſidera vertice,
Si res amicorum beatas
Accipiunt ſatin, atq; ſaluas.)

ſiue itineribus, quæ ipſe, Sereniſſimiue eius Liberi confecerunt, ſiue miſſitationibus Legatorum, aut viciſſim Principum exterorum & Legatorum ad ſe, aut ad alios vltrò citroque commeantium ob huius terræ ſitum in Europæ quaſi meditullio ſumptuoſiſſimis hoſpitalitatibus emit, niſi communis vtilitatis, & ſalutis cauſsâ, *cuius derelictio contra naturam eſt, nedum rationem*? Nam quid refricem (quod non poſſum ſine ſummo animi dolore) memoriam belli tàm diuturni, quod ni ſuſtinuiſſet & extinxiſſet, in prædam potentioris ceſſeratis? Suſtinuiſſe autem quî potuit, niſi haſtis argenteis? equidem cū tot & tanta onera mecum reputo, & ſubleuandæ ſuorum miſeriæ cauſsâ recordor nequaquam vel ſuo peperciſſe domanio, quod partim abalienare, partim oppignerare non dubitauit, atque adſtrictam porrò recolo diſpenſationem eius, qualem à bono patrefamilias vel Cato exigeret, quâ de paulò ante dixi, nec non moderationem in exigendis tributis; ingratiſſimos profectò nos omnium mortalium eſſe fateri debemus, ſi non modo non de eorum aſperitate muſſitamus, ſed gratias eius immortalitati maximas, & immortales non habemus vltró, atq; minimè reditus, & prouentus eius acribus oculis intuentes, & ad erogationes, & ſumptus conniuentes ſponte oppigneratas eius terras non imus redemptum, ſuisq; hæredibus reſtitutum? Primum namque ſuæ pecuniæ parcus, publicæ auarus, *in donando eum tenuit modum, vt habere ſinum facilem, non perforatum, ex quo multa exirent, nihil excideret; & conſilio, non caſu, & impetu ſpargeret, hunc promerendo, illi reddendo, huic ſuccurrendo, huius miſerendo: & ſemper bonis donando, aut eis quos facere bonos poterat: deniq; ita beneficium collocando, quemadmodum theſaurum altè obrutum, quem non eruas, niſi fuerit neceſſe*: eamq; porrò frugalitatem ſeruauit, quæ illi⁹ diuitias ſuas eſſe, non ſe diuitiarum oſtenderet, & tot impendiis, tot erogationibus vel ſola ſufficeret: quàm prudenter ille, Mecænatis ad Auguſtum hæc oratio ſatis declarat, *πλοῦτος ἀκριβὴς οὐχ οὗτος ἐκ τοῦ πολλὰ λαμβάνειν, ὡς ἐκ τοῦ μὴ πολλὰ ἀναλίσκειν ἀθροίζεται. magnæ opes non tám multa capiendo, quàm haud multa diſperdendo quærūtur.* Quæ ſanè diſpenſatio ſatis declarabat illum fuiſſe ſatis memorem tàm expenſorum, quam acceptorum rationem eſſe reddendam, ſaltem apud ſe ipſum, quem à Deo ſummo rerum humanarum arbitro conſtitutum ſciret, *φύλακα καὶ ταμίαν ὡς κοινῶν, ἀλλ' ὡς ἰδιῶν, cuſtodem, & diſpenſatorem, vt communium bonorum*

Cicer. 3. off.

Sen. var. locis.

apud Dion. l.11

non

non vt ſuorũ. Hoc ſane ex eo facile intelligere omnes poſſunt, quod ille non ſuis miniſtris tributorum curam, erogationem, diſtributionemque & expenſam commiſit vnquam, ſed tantum ſequeſtribus quibuſdam nobilitate, & vitæ integritate ſpectatis viris; atq; vtinam eorundem collectionem ceu exactionem iiſdem demandare in procliui fuiſſet, non autem neſcio quibuſdã lauernionibus genere Geryonaceo, & δημοβόροις, faxo non tãta odii in tributa materies eſſet. porro cum nuſquã vim, ſed ſuaſionẽ & preces (quæ tamen ab eo, qui iubere poteſt, profectò armatæ perhibẽtur, atq; neceſſitatis vim impor tãt) in impetrandis tributis potius, quàm imperãdis adhibere ille cõſueuiſſet, ſummopere cauit ſẽper ne ea grandia forent crebraq; aut ſordida, ſed rationi quæſtuũ & neceſſitati erogationũ interſe congruẽtibus paria, & pro rerũ anguſtiã modica, eaq; maximè quoad fieri poſſet æqualia, ideoq; ex rebus ipſis, quibus ex quo diuites & egẽtes vtũtur nõ autẽ ex capitibus exigebat, ne cõmoda ſcilicet ciuiũ diuelleret hunc ſubleuando, illum premendo, ſed omnes in eãdem æquitate cõtineret: cui⁹ æquitatis ſtudioſiſſimũ fuiſſe ex eo ſatis liquet, quòd immunitatum, priuilegiorum, & iuris nobilitatis tàm parcus fuit, quàm qui parciſſimus; vt nunquam ſponte non niſi pauciſſimis, iiſq; de ſe, & de repub. optimè meritis, aut in gratiam potentiorum, quorum ſummis erga illum ſeruitiis denegare quidquam iniuſtum ducebat, concederet, idq; tàm grauatè, & illubenter, vt rogantibus ſubirat⁹ ſæpé diceret illos tres ſibi dẽtes ex ore euellere; & ſæpenumero mercaturã, arteſq; quæſtuoſas corã omnibus magnifaceret. quæ profectò ſingularis, & candidæ cuiuſdã prudentiæ, qualem in magno & ſapiente principe ad imperii diuturnitatem, & tranquillitatem pragmatici homines deſiderant, tàm illuſtria ſunt documenta, vt nihil ſupra. Nam quod prudentiam fraude, fallaciis, & mendaciis aſperſam,

Aut pellem aſtutæ vapido ſub pectore vulpis,

in inuictiſſimo Leone quis forte deſiderare potuit, is profectò iniuriã ſummam fecerit alto eius, rectoq; animo, cui vnũ illud ad laudem cum virtute directũ iter ſemper fuit probatum, cuiuſq; alté infixum menti decretum hoc ſapientis Romani, *ne quid inſidioſè, ne quid ſimulatè, ne quid fallaciter, quia nefas rationẽ bono conſilio à Dijs immortalibus datã in fraudem, malitiamq́ conuerti.* Quis enim neſcit illũ aliena, quanquam ſuo ſtatui peropportuna, nunquam concupiſſe quæ non caperet, nedũ per fraudẽ occupaſſe, odiaq; aliorum in ſe traxiſſe? aut in finitimorum turbis (*anguillis enim tũc captura*) aut in mutatione principũ, ac rerum trãſitibus, qui magnis caſibus ſunt opportuni, aut in partẽ accitũ aduerſus omnes valuiſſe: quin potius, ſi quid tũ mouit, aut

Cic. 1. offi. ex 3. de na. De

ſuas res ſibi repetitũ iuiſſe cõmiſſas, ceu fiſco ſuo iure adiudicatas ob legẽ maiſtatis, aut religionis auitæ defendẽdæ, pro quâ mori glorioſum ſẽper fuit; aut ſe ſuaq; tuendi, retinendi, cõmuneq; incendium à
Quint decl.19. ſuâ domo depellendi, atq; parendi neceſſitati, *quæ magũ imbecillitatis patrocinium omnem legem frangit*: minimè autem ſe, ſuaque augendi contrà leges vnquam id feciſſe aut tentaſſe adeo vt calumniam euitare nequaquam potuerit multorum, qui quidquid valdè vtile ſit, id fieri honeſtum, etiamſi antea non videretur, atque de alienis certare regiam laudẽ eſſe putant, apud quos cunctator & parum generoſus audiit, nunquã autem ſons & iniuſtus, ſiquidẽ, vt ait Poëta philoſo-
Sen. in Ae. Oe. phus, *Haud eſt nocens, quicunq; non ſponte eſt nocens.*

Cuius æquitatis vel hoc argumentum eſſe poteſt, quod cum ille pro ſua quidem naturæ bonitate animos hominum ſibi conciliare, pro ſua autem prudentia eoſdem ad ſuos vſus adiungere ſtuderet plurimum, tamen eorum, qui alieni eſſent iuris, in his corruptis deploratiſq; moribus, diuitiarum admiratione animos, aut operas nullo vn-
Pind. oly. od. 13 quam obiecto mendacio, ſuaſione, auroue (quod Poëta δαμασίφρονα *domitorem animorum ferocium* vocauit) induxit, inclinauit, corrupit ſua in commoda; & vt alienæ potentiæ decus, atque libertatem ſuam gratificarentur. Quæ porrò vrbs, quod oppidum, qui vicus in hac terrâ eum iure arceſſere poteſt legũ, aut priuilegiorum antiquorum ſibi ereptorum, quanquam & illa non pro principis bono, & hic pro ſuo iure nec iuxta leges ſolum, ſed legibus, vſu ſic ſuadente, ipſis poſſet imperare? Teſtes mihi vos Barrum, & Pons antiqui veſtri iuris per eius æquitatem non ſolum hodie retinentes, ſed per eiuſdẽ munificentiam amplioribus auctæ immunitatibus. Quis pariter Vaſſallorum, vel ſubditorum ab eo conſcio violatorum iurium expoſtulauit vnquam? quis vel illuſtrium, ceu æmulorum, ceu quorundam
Sallust. dominationis obicum (*virtus enim aliena ſemper formidoloſa eſt dominantibus*) ſe aut aliquem ex ſuis ſepoſitum ſpecie legationis, aut falſo delatum crimine, aut per inſidias, occultaue aliâ quadam viâ ſublatum, ac perditum conqueri potuit, niſi fortè vnus aut alter inquies, & turbo, tempeſtaſq; ſtatus, de quo ſine turbâ vindicari non potuit? Apage verò vt cuiquam perfidiæ alicuius, ſubleſtæue fidei tanto in Principe ſuſpicio veniat in mentem, qui nec cauillis, aut argutiolis, fictiſque interpretationibus eluſerit vnquam pacta, fœderaue, nedũ iuramenta, quibus viros circumueniri tàm familiare huic æuo, quàm pueros aſtragalis. A quibus ſanè etſi ſplendidum eius, & candidum ingenium plurimum abhorrebat, non diſſimulare tamen poſſum aut debeo, & illum non ineruditum vtilia honeſtis miſcere, multa ſæpè

ſimulaſſe inuitum, multa diſſimulaſſe cum dolore, vt ad effectum cõſiliorum ſuorum veniret, ſeruiiſſe temporibus, & cum rectà portum tenere nequiret, idipſum mutatâ velificatione aſſequi conatum, ac honeſtâ & laudabili calliditate quandoque vſum; itaque officio ſemper functum, vt vtilitati hominum conſuleret & ſocietati iuxtà atq; ſuæ ſaluti, & dignitati: denique vt in re, quâ vitâ, ſic in fide lentum fuiſſe intentumque, vt *cum vtrumq; ſit in vitio & omnibus credere, & nulli; quorum tamen alterum dixerim honeſtius, alterum tutius*, mediocritatem in eo ſeruaret, aures quidem faciles præbendo, frontem & vultum aperiendo, ſed aſſenſum in rebus magni momenti ſuſtinendo niſi paucis, iiſque probatæ integritatis, itaque omnia cauendo, & ab iniuriis, atque deſpicatu ſeſe vindicando; — *Senec epiſt. iii*

Quá ſapiente diffidentiâ — *Eurip.*
Non alia res vtilior eſt mortalibus;

Σώφρονος δ' ἀπιςίας
ὐδ' ἐςιν ἄλλο χρησιμώτερον βροτοῖς.

quippe *quæ neruorum prudentiæ eſt inſtar*, vt Epicharmus cecinit.

Νᾶφε καὶ μέμνασο ἀπιςεῖν ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Ex quo elogium illud, quo Pindarus ſuum Meliſſum cohoneſtat, ſapientiſſimo principi iure tribui poteſt, — *Iſthmi od. 4.*

τόλμα γὰρ ἐοικὼς
θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρᾶν λεόντων
ἐν πόνῳ. μῆτιν δ' ἀλώπηξ.

Tu par feroci corde leonibus
horrore ſyluas concutientibus;
Idemq; vulpem conſilio refers.

Quæ ſi ita ſunt, nemini profectò dubium eſſe poteſt noſtrũ CAROLVM cùm ſingulari excelluiſſe prudentiâ quæ pacis tempore in magno Principe deſiderari poteſt, ad quam etiam illum adiunxiſſe prudentiam militarem, quæ boni ducis imperatoria eſt virtus, & præſtat ceteris omnibus, non obſcura hæc ſunt exempla. Nam cum bellum etiam iuſtum omnibus ſit deteſtandum, quia

Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt; — *Senec in Theb*

& ea vnius horæ ſimul parta, & ſperata decora euertere poteſt, atque — *Liui lib 30*

Notum quid cadat calentibus armis
Quantum ira liceat, motuq; quid audeat enſis;

tum maximè Principibus, quòd & eo inſtituto neceſſum eſt illos male audire, & culpari ob damna, & *iydem alieno ſanguini tanquam ærario ſuo parcere debent maximè*, deoq; ſi quâ in re *celeriter deliberata peragenda ſunt, deliberandum autem tardè*, vt monet Philoſophus, id in bello — *Senec. ep. 79.* — *Ariſt. Eth. li. 9*

ſuſcipiendo maximè valere debet, cum omne bellum ſumatur facilè, ceterum acerrimè deſinat, non in eiuſdē poteſtate initium, finiſque eius ſint, νεῖκος δὲ κρεσσόνων ἀποθέσθ᾽ ἄπορον.

Pind. ol. od. x.

Certamen aduerſus potentes
Ponere non facile inchoatum:

Idcirco ſapiens Princeps non temeré, quod belluinū eſt, ſed non niſi poſt maturā, & diuturnam deliberationem, & pro ſuo more cunctā-ter, imò cunctantius quàm vnquam, & tutiùs bellum ſuſcepit, nulliq; illud ſiné iuſtis, & neceſſariis cauſſis intulit, & quamuis haud timeret, nuſquā tamen prouocauit; neq; vnquam auaritiā aut libidine dominandi, *quæ vna & vetus cauſſa bellandi eſt*; neque irā aut odio, ſed iure belli, & cauſsâ ſemper iuſtâ, quæ

Salluſt.

Proper.

Frangit, & attollit vires in milite, Iubetq; ſuperos ſperare ſecundos; impulſus Princeps arma mouit mouenda, nimirum Bythim iure dominii & patronatûs feudalis repetitam prius ex formulâ veteri, & denegatam armis recepit, (quid eſt enim quod contra vim ſine vi fieri poſſit?) quid dico recepit? imò receptam à legitimis hæredibus iuſto precio emit. Iametum autem obſidione inuaſit, acceptam iniuriam ſuæ terræ depopulatæ, & vaſtatæ vindicandi ergò, ſiquidem iuſtitiæ primum hoc munus eſt, *vt ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuriâ.* Pari iure inuaſionis Marſalam, aliaſq; vrbes vt ſuas armis iuit recuperatū; poſtea ſemper arma cœpit, atq; etiā intulit in vicinos religione prorſus ab eo abhorrentes, animo potius coercendi, atque malum reprimendi, aut certé iure defenſionis, & vt vi vim illatam defēderet, quod eſt non modo iuſtum, ſed etiam neceſſarium *(hoc enim & ratio doctus & neceſſitas barbaris & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcribit, vt omnem ſemper vim quacunq; ope poſſent à corpore, à capite, à vitâ ſuâ propulſarent,)* defenſionis, inquam, ſuæ & ſuorum, ſed maximé amantiſſimi filii illuſtriſſimi Card. & Epiſcopi Argentoratenſis ex conſilio ſcilicet Philoſophi, δεῖ τοὺς ἀδικουμένους ὑπὲρ ἑαυτῶν πολεμεῖν, ἢ ὑπὲρ συγγενῶν, ἢ ὑπὲρ εὐεργετῶν, ἢ συμμάχοις ἀδικουμένοις βοηθεῖν. *Oportet iniuriam paſſos pro ſe ipſis arma capere, ſiue pro cognatis & beneficis, itemq; ſociis iniuria affectis auxiliari.* Iam verò ad gerendum bellum cum tria deſiderentur apparatus ſcilicet rerum neceſſariarum, viri, atq; conſilia, de copiis inprimis expenſiſque non mediocriter ſollicitus fuit, antequam inchoaret. Nam & ad ærarii militaris opulētiam fidem adiunxit, con ſeruauitq; in foris nummoſis ſpectatiſſimam; armamentarium telis, armiſq; & machinis bellicis, ac ceteris rebus ad bellum neceſſariis inſtructum ſemper habuit, atq; cōmeatus, & annonæ, quæ in neceſſitate non habet remedium, niſi ante condita, prouidus ita fuit, & in

Ariſt. Rhet. ad Alex.

caſtris

caſtris & in præſidiis,vt nunquā vinci potuerit ſine ferro, nunquam ad deſperationem ſuos mendicitas vocarit,nunquā diſciplinam violarit ieiuuus exercitus. Quod verò ad viros, à quibus omne bellicis conſiliis robur, & ſine quibus quāuis egregia inualida ſunt, duceſque inprimis attinet, ſine quibus militaris turba eſt corpus ſine ſpiritu, & tanti ſunt milites, quanti remiges ſine gubernatore, ipſe ipſe fortiſſimus princeps, quoties quidem ſtatus imperii, aut ſalus regionis in diſcrimine verteretur, ſe ſe ſiſtere, in campū Martiū deſcendere, ſuiſq; auſpiciis & ductu rem gerere, ac ſua præſentia vires, animoſq; militi afflare nunquā dubitauit, aut aliquem ex generoſiſſimis filiis ſummæ rerum præficere, non ignarus illius præcepti Amphytrionii apud Poetam, *Vbi ſummus imperator non adeſt ad exercitum,* Plaut.

Citius quod non facto eſt vſus, fit quàm quod facto eſt opus.

Quoties autem ſtatus rerum iubebat, vt dubiis præliorum exēptus ſummæ rerum, & imperii ſeipſum cum chariſſimis filiis reſeruaret, tùm ille ſané conſtituebat legatū, & miniſtrum belloium vnum quidem virum, quia plurimū nocet & multitudo imperantium, & regimen nullum aut incertum; ſed eum talē, qui alio imperatore non ageret, hoc eſt peritum inprimis, & ſcientē, *cuius peritia in bellicâ præfectu-rā, maior aſpectus habendus*, ſi philoſophum audimus, *quam virtutis aut morum*. Arist. 5 pol. c. 9. Quis enim per Deum immortalē melius ſciebat quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendo trahendoue bello modus, quàm illuſtres viri, & Barones Africanus de Hauſonuille, & Ioannes Porceletus Maillane⁹: quis iis cautior nullo loco, niſi quantum neceſſitas cogeret, committere ſe fortunæ? quis iiſdē prudentiâ maiore, innocentiâ, fide, & in omnibus rebus temperantiâ? quis deniq; diſciplinæ militaris iis retinētior, ſuiſq; auſterior? Quod autem genus belli fuit, in quo generoſos, & fortiſſimos viros Saladinum d'Angleure, Ioannem Philippum de Sauigni, Ludouicum de Beauuau non exercuerit fortuna? illi primi in opere, in agmine, gregario militi mixti incorrupto ducis honore, illis labor in negotio, fortitudo in periculo, induſtria in agēdo, celeritas in conficiendo ſēper adfuit, & vtinā fortuna, quā præſtare à ſe ipſo nemo poteſt, ſēper adfuiſſet comes. Iam quod ad milites ſpectat, cū ſapienti imperatori peditū quidem, in quibus parandis, & nutriendis impenſa minor, ſed maius robur & multitudo, ad nutum ſemper adeſſet é ſubiectâ gente valde populoſâ, quantam oppidorum expugnationes, propugnationeſue, aut ſubita præliorum in montanis præſertim, impeditiſque locis exigerent, & ex Germaniâ bellis aſſuetâ pro iure viciniæ vetereque cum illâ neceſſitudine acceſſendi facultas: tùm equitum militares manus

ad manum, & edictum ſibi adeſſent, prouidit diligenter, quà nobilitatem ſuæ ditionis comitate, ac beneficiis prouocando, quà exteros amplâ mercede, atque magnis ſtipendiis vocando. Ac cum in omni conflictu non tàm proſit multitudo, quàm virtus, *manibusque*; vt ille dicebat, *potius ſit opus bello, quàm multis nominibus*, ſedulò curauit, vt fortes bonoſque milites pararet, aut formaret; nam non niſi é bellicoſis gentibus, atque in bello exercitatis auxilia requirebat; é domeſticis autem, qui non fortitudinem magis quàm fidem colunt, robuſtis quibuſque è ruſticanis, qui hyemis, & æſtatis iuxtà patientes humi requieſcere, eodem tempore inopiam, & laborem tolerare aſſueti, magis quàm vrbium purgamenta, robur ſuj exercitus ſupplebat, atque ordinarios quidem milites armorum exercitio, diſciplinâ caſtrorum, vſuque militiæ formatos, in pace decus, in bello præſidium habebat, eoſque præſertim in finibus imperii, ceu cuſtodes arcium, & munimentorum propugnatores tenebat: ſubſidiarios autem, qui extrà belli tempus in artes vitaſque varias diſparati res ſuas agerent, atque ingruente neceſſitate euocati poſſent militare, in quoque pago vnum & alterum, aut plures pro eius amplitudine ſcribendos, armandos, inſtruendos, & in cohortem ſub vnius prætoris ductu conueniẽdos curabat. Ad hæc quia paucos viros fortes natura procreat, bonâ inſtitutione plures reddit induſtria, iuuentutem omni arte, ſtudioque ad robur, & ad virtutem inflammabat, informabatque. non ignarus igitur in omni prælio non tàm multitudinem, quam artem & exercitium ſolere præſtare victoriam, ſocietatibus ſagittariorum, gladiatorum, & huiuſmodi immunitates, præmiaque concedere, iuuentuti nobili laniſtas, equorum domitores, campi-doctores ſtipendiis amplis alere, & generoſioribus in eâ campum in Martium deſcenſuris equos, aut arma mercari, ac reuerſos amplis gratari honoribus, ſæpiuſque quotannis ludicra certamina, & ſimulachra pugnæ bonæ, vel ipſe edere, vel certé ſuâ præſentiâ, & laude decorare; fortibus autem & emeritis militibus promotiones ad ordines altiores, ius nobilitatis, prædia, aut penſionem annuam largiri, omninoque præmijs magnis robur, & virtutem militum excitare, non indoctus ſcilicet in bello præſertim eò impendi laborem, ac periculum, vnde emolumentum ac honos ſperetur, nihilque à quoquam expeti, tentari, perficique, niſi cuius fructus ante præuiderit. Ac qualis quantuſque imperator ipſe fuerit, quantâ prudentiâ, quanto conſilio, *quo ſuperare non minus eſſe imperatoris, quàm gladio* magnus ille Cæſar haud vané dixit, qua n-

tâque

tâque ſcientiâ, quantâ deniq; diſciplinæ militaris obſeruatione bella adminiſtrarit, equidē ſi aggrediar dicere, mihi verendum profectò, ne Herculem velle laudare, videar, & magni imperatoris laudem culpâ ingenii deteram. hoc vnum tantum dicam illum ſecundarum ambiguarumque rerum ſcientiſſimum, ac expertiſſimum, & eò inter ritum, ac circumſpectum maximè fuiſſe, atque diligentem inprimis naturæ & locorum, & hoſtium exploratorem, ac iudicem: tùm oraculi illius Hippocratæi, *nihil temerè*, mirum cultorem fuiſſe,

Qui non præcipiti raperet ſimul omnia caſu,
Sed qui maturo, vel læta vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens, nec triſtibus impar,
Nec pro ſucceſſu tumidus, ſpatiumq; morandi
Vincendiq; modum mutatis noſſet habenis.

Quis autem per Deum immortalem! illo minus confidens, minuſq; hoſtem contemnens, & magnorum caſuum, qui ſæpè in bello paruis momentis intercidunt, magis conſcius, & certior prænuntius? Quis occaſionis, quæ in bello ſolet amplius iuuare, quàm virtus, & *rei omnis habet caput*,

ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως
παντὸς ἔχει κορυφὰν Pind. Py adit.

magis diligens obſeruator, qui armatus intentuſque veluti excubabat ſemper, vt neque ſuæ occaſioni, aut fortunæ ſe præbenti deeſſet, neque ſuam hoſti daret, oblataque caſu ſlecteret ad conſilium. Vel tu teſtis Marſala, quæ niſi opportunitate temporis prehenſa æternùm inexpugnabilis eras. Atque cum rem mitti in diſcrimen occaſio perſuaſiſſet, (*Stultitia enim ſit ſedendo, ac votis debellari credere poſſe*) quo animi robore, qua virtute fuit, quid attinet commemorare, quem primum omnes ſciunt ad munimenta, vimque hoſtium exploranda accurrere ſolitum, nec vllo caſu, vel ſibi aſſidentium fuiſſe à ſuſcepto vnquam deterritum? ſed de fortitudine eius militari, & heroica alias ſatis multa, vnaque de prudentiâ ſuſceptum ſermonem concludamus, hâc laude omnibus ſapientem principem ingenii dotibus, vel animi artibus, vt pariter charus ac venerandus eſſet contendiſſe plurimum, et ſi in bello ſuſcipiendo pacis, cuius cauſâ ſapientes bellum gerunt, & laborem ſpe otii ſuſtentant, ſtudium inſigne ſemper præſe tulit, vt nunquam niſi laceſſitus iniuriâ bellum ſuſciperet, id vero in eo finiendo plurimùm teſtatum ſemper eſſe voluiſſe. Enimuerò cum vim & mutabilitatē fortunæ, quâ aſpirante plurima confeciſſet, non ignoraret in ſecundis quidem rebus non modo nihil in quenquam ſuperbè,

Salluſt.

ac violenter conſuluit, præſenti credens fortunæ; nec ita aliena appetiit, vt de ſuis dimicare vellet: ſed pacem aut oblatam lubens amplexus eſt, & acceptam coluit obnixè; aut etiam vltrò dedit, nullum ornamentum faſtigio principis dignius eſſe oleaceâ Mineruæ coronâ ſecum reputans. Quæ pauca de prudentiâ ſingulari principis ceu pacatâ, ceu militari ab eo qui rerum adminiſtrationi non interfuit, ſed ex auditu ferè habuit, ſelecta tanta ſunt vt ex iis cetera longè maiora, facile etiam me tacente intelligi poſſint, & illum oſtendere elogio Homerico vere, æternùmque decorandum eſſe, & prædicandum.

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
Vtrumq; & rector bonus, & bonus induperator.

Nam quid priuatam eius prudentiam neceſſe eſt proſequi in vniuerſâ familiæ adminiſtratione ſpectatam & ſingularem? Quis enim non miratur, cum magnus princeps tàm ſplendidè & baſilicè pro ſuâ amplitudine viueret, & familiam ter centum, & amplius capitum quotidie aleret, tamen demenſum ceu victum quotidianum in ſingula capita vix ſex aſſes exceſſiſſe. ſcilicet nullam feré hebdomadam abire ſinebat frugi princeps (quod ſeduiò obſeruaui) quin ſumptuum rationes ipſe ipſe accuratè ſubduceret: pluriesque familiam ſuam luſtrare quoque anno, & ærarii fundum ſedulò cognoſcere pro more habebat. Quis ad hæc non obſtupeſcit, cum tot onera publica ſuſtineret, tot ſumptus in locandis honorificentiſſimé Liberis, & in ampliſſimâ familiâ, numeroſoque ſeruitio ſuſtentando, ditandóque faceret; nihilo minus tamen eum rem ſuam familiarem, & domanium principale amplificaſſe ſuprà fidem? fidem fecerit vel ſolus reditus ſalarius hodie auctior quàm ante, in ſingulos annos ad triginta mille nummos aureos, vigilantia præſertim, induſtriaq; viri clari Michaelis Bonucti vigilantiſſimi præfecti rationum Principalium. fidem faciunt quoque conquiſitæ terræ plures, eæque nobiles & locupletes in corpus principalis domanii relatæ, Comitatus Claromontanus, & Bythēſis, ditiones Caſtri Palatini, Vmburgi, Sancti Auoli, Baron. de Montreuille, & aliæ. Quis deniq; eximium ordinem tabularii ſeu chartophylacii principalis non admiratur, ad quem omnia monumenta, inſtrumenta, litteræ, tabulæque publicæ, ex inordinatis antè adducta ſunt, ordinatore viro claro Theoderico Alſio meritiſſimo præſide rationum Principalium, eàque ſerie digeſta, vt nullus non rerum clientelarium catalogus, nullum vectigal ſolarium, nihil quidquid eiuſmodi ad quamcunque prouinciam pertinens

fallere

fallere poſſit etiam negligentis ſcribæ archiui quæſtionem. Taceo educationem, cultumque Sereniſſimorum liberorum, & amicitiæ mutuæ fraternæ inter eos ſanctum amorem, cuius fuit parens, auctor, atque cultor aſſiduus. Mitto affinitates, quibus cum potentiſſimis totâ Europâ regibus & magnatibus ſe liberoſque ſuos deuinxit; & alia præclara ſapientis oeconomiæ exempla, quæ ſi minutatim, ſigillatimq; perſequi vellem, in immenſum profectò excreſceret opus, non ſine lectoris grauiora, magiſque regia, & magno Principe digna deſiderantis faſtidio.

CORONA
EX LOTO;
SIVE PIETATIS:

A D

SERENISSIMAM PRINCIPEM CA-

THARINAM A LOTHARINGIA.

VRANIA.

QVidquid agit rerum, quas continet am-
bitus huius
Immenſus orbis, & capedo vaſtior,
Æternùm felicem agitat vitam, ſeu pu-
rior Aura,
Seu dia mens, intelligenſué ſpiritus:
Terrenamué trahit molem, moribundaq; membra,
Natura duris quæ coercet legibus,
Acrior & ſenſus varios infuſus in artus
Cæco regit, mouetq́;, ſed certo impete:
Altior aut anima egregio ſe corpore miſcet,

O rigo cui cælum, genusq; ab æthere;
Quò magis erectos ad ſydera tollere vultus,
Virtutis & callem capeſſere arduum
Gaudet, & aſpirat ſemper cœleſtibus auſis,
Auetq; iungier beatis mentibus;
Ni terreni hebetent artus, & noxia tardent,
Seu faſcinata ſenſuum commercio
Corpora. proh pudor! ô quantum eſt in rebus inane!
Quid tot malorum, ſortis & dubiæ faber,
Abdita quid penetrans ruis, heu! mihi viſcera terræ
Sudore tanto cæca gens mortalium?
Quid tentas rabiemq; Nothi, pelagiq; procellas,
Telluris, ac maris ſinu reconditas
Et gazas & opes, aut (ſi fas dicere verum,)
Aquam gelaſcentem, elaboratum & lutum,
Eruere vt valeas, iritamenta malorum,
Vitæ flagella, funus & crudum tuæ;
Prouida cum paſſim Natura apponat abundè
Alat, tegatq; quod breue hoc corpuſculum.
Quin potius tutis animum virtutibus auges,
Quæ te beatum reddere, ac ditem queunt?
Quid mihi porrò breues bullas ſectaris honorum
Labore vano cæca gens mortalium?
Fortunæ luſus, iritamenta furoris,
Flores & hornos quæris, aut ventos leues?
Quin potius claris animum virtutibus ornas,
Quæ te perenni gloriâ mactum beent?
Scilicet ambuſtus Phaeton ſpes terret auaras.

Preſſusq; ſaxo Syſiphus terret graui.
Blanda voluptatum quid demùm gaudia captas
Ardore tanto cæca gens mortalium?
Quid dulci ſub melle venena latentia ſugis,
Quis tinctus, imprudens, deinceps languidam
Turpe trahas vitam, ſitientia mœſtus & ora,
Pudensq; fœdâ tabe confectus cadas?
Quin ſincera tuum pertentant gaudia pectus,
Effundit alma quæ Clientibus ſuis
Virtus, nectareo ſpumantia pocula ſucco
Præbens, & immortalitatis ferculum?
O, quam te memorem, Lotharæ ſpes altera Gentis,
Serena Princeps, Virginum nouum decus?
Quid prius admirer ſapientem in pectore forti
Mentemné, celſos eruditi an ſpiritus
Pectoris, ô C A T A R I N A, *alto de ſanguine creta*
Prudentis, & fortis, pijq; C A R O L I?
Attalicam pallam, longumq; in cyclade ſyrma,
Vitreamq; mutaſti togam, & multitia.
Collobio, vili ricino, pinguiq; lacernâ
Cutemq; tundente acriter cilicio.
Ceſſerunt redimicula, ſpira, calantica ſole
Fulgentiora ricula, ſeu plagulæ.
Atq; figuratis ceſſerunt oſſibus, antè
Manibuſq;, ceruiciq; candida decus
Addere quæ poterant, gemmæ, rariq; lapilli,
Telluris, & faces maris ſpumantium.
Et candens ſpeculum, & ſmegma, Cimolia terra,

Ceruſſaq;

Ceruſſaq; alba, purpuriſſum & nobile
Furfuribus ceſſere vltrò, & fluuialibus vndis,
Queis ſacra quondam moris ablui fuit,
Ædiculane, caſa dicamne Palatia ſacra
Ceßiſſe, Tempe amœna, viridaria?
Regifico luxu ceßiſſe epulaſq; paratas,
Repotiorum & feſta acri ieiunio? (:)
Altior, ô, animi Virgo, ô generoſa virago,
Tu vocis aßa, tu Lyra dulces modos,
Nocturnas choreas, mimos, & ludicra mundi,
Æui & fugacis vana ſpreſti gaudia:
Tu genus antiquum, claræ decora inclyta gentis,
Fumoſa ſpreuiſti domûſq; ſtemmata,
Fratrum etiam ſermone fugis gaudere ſuauj:
Magniq;, fortis, & ſereni Principis
Dedignata thorum, nec non dulces hymenæos,
Certamq; ſpreſti dulcium ſpem pignorum,
Plena Deo Virgo, & prudens CATARINA *virago,*
Ut vnius Chriſti quieſceres ſinu,
Atq; Cruci-fixi laceri crudeliter ora,
Manus & ambas, ſponſa dignior foves;
Unius & caſtos ſpirares ſemper amores,
Noctu diuq; vulnera adlambens ſua,
Cordis amarori, ſæuiſq; doloribus vltrò
Lubens rependens lachrymas vicarias;
Quicum & læta dies lætos, noctéſq; ſerenas
Agas, labores mutuis & adleues
Alloquijs, curaſq; graues, quas anxia charis

Pro charitate Fratribus pendis tuâ.
Vnius vt claros ſpirares ſemper honores
Cultu frequente, vitâ & æmulâ ſua.
Clauos quippè, crucis duroſq; imitata labores
Et nuditate, corporiſq; anguſtijs
Omnes inuitas tacitè iuueneſq; ſeneſq;
Tecum capeſſant arduam cœli viam.
Macta igitur pietate iſtâ generoſa virago,
Et ſanctitate macta, felix & diu:
Ac frontem patriam inſigni pietate Corona,
Frondente Loto Muſa quam legit tibi,
Cingere iam propera, charo & ſuprema Parenti,
Deo nec iniucunda redde munera.

HActenus morales omnes virtutes, quæ per vniuerſam Herois noſtri vitam ceu minuta ſidera illuxere, ſigillatim in paucis, ſed egregiis, & præclaris factis ſumus contēplati; reſtat, vt ad eius pietatem in Deū, (In Epinomi.) *quā virtute maiorē nullā in humano genere inueniri* ſcripſit Plato, cuius ſcilicet tanquam Solis benigno calore, & lumine reliquæ virtutes reguntur, & quaſi animantur, noſtra iam conuertatur oratio. (de nat. Deo.) Nam vt præclarè M. Tullius *haud ſcio an pietate erga Deum ablata fides & ſocietas humani generis, & vna excellentiſſima virtus iuſtitia tollatur.* Certè ſi vnumquemq; noſtrum erga cetera omnia rectè affectum eſſe omninò neceſſarium eſt, qui erga Deum opt. max. ſeſe conuenienter gerit, vt debet, PIETATEM profectò omnes virtutes cōtinere, omniumq; eſſe virtutum fundamentum ſtatuere oportet. Enimuerò qui de Deo quidem magnificè ſentit, & optimè exiſtimat (*quod eſt pietatis exordium*) atq; vnum eſſe Regnatorem omnium Deum, & Legislatorem

totem

torem, atq; arbitrum, & inſpectorem operum, *cui nihil clauſum eſt, qui-q; intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis interuenit*, nec non iudicem acerrimum, ac vindicem ſincerè, & conſtanter credit congruenter huic Metelli Numidici Cenſoris Rom. orationi, *Dii immortales plurimum poſſunt, ſed non plus velle debent, quàm parentes: at parentes, ſi pergant liberi errare, bonis exhæredant: quid ergò nos à Dijs immortalibus diutius expectemus, niſi malis rationibus finem facimus? iiſdem Deos propitios eſſe æquum eſt, qui ſibi aduerſarii non ſunt: Dij immortales virtutem approbare, non adhibere debent:* eundemque porro Deum vt maximum veneratur, Senec. epiſt. 84. Apud Aul. Gel. lib. 1. c. 6.

Immenſa eſt, finemq; potentia cœli
Non habet, Ouid. 8 Metam.

& iuſtiſſimum (Θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος. *Deus nuſquam, aut nunquam iniurius, ſed quantum poteſt iuſtiſſimus;*) ac deniq; vt optimum atq; benigniſſimum vnaq; opulētiſſimum, quem nulla in dando ſatietas capiat, cuiuſq; immenſam largitatem, & inexhauſtam liberalitatem nulla penuria ſequatur, amat & colit; in ſeipſum autem conuertens animum, ſeſe ne pili quidem facit, & ceteris inferiorem putat creaturis, inertemq; & impotentem; ſed Dei tamen beneficio immortalitatis, & magnæ capacē felicitatis: is profectò (ita me Deus amet) ſi ſapit, pro viribus ad virtutem atq; honeſtatem, ceu tutum felicitatis calcem, omni ſtudio nititur, Deiq; nutui & præcepto morigerum ſeſe præſtat, totumq; tradit; atque ſpes ſuas omnes in eius bonitate collocat, eundem purâ, integrâ, incorruptâ & mente, & voce venerari ſemper ſtudet, idemque ex animo, & in animo ei preces, laudes & grates (quas poteſt maximas) perpetuò concipit; denique ſummâ charitate, vt benigniſſimum parentem complectitur; quin etiam ſi quæ ipſe diuinitùs accipit infortunia, eorum in ſe culpam vltrò reiicit, aut verò coerctionem Dei cum beneuolentiâ & ſalute ſuâ coniunctam interpretatur, & æquo perfert animo. Quòd ſi Deus eſt ſummum bonum, & omnis boni fons vberrimus, à quo in humanum genus omnia bona dimanant; Plat. in Thea.

ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶσ-
αι βροτέαις ἀρεταῖς, καὶ σοφοὶ, καὶ χερσὶ βια-
ταὶ περίγλωσσοί τ' ἔφυν. Pind. Pyth. 1.
Benignis Numinibus bona
Debemus omnes omnia, ſeu manu
Victrice, ſeu linguâ valemus
Flexanimâ, æthereaue mente.

Et verò, vt admonet Philoſophus, εἰ θεοὺς εὐσεβοῦμεν τοῖς μᾶλλον αὐτοὺς Ariſt. Rhet. ad Alex.

τιμῶσι. *Dij proniores ſunt in eos, qui maximé illos colunt*; quis dubitat pij cuiuſque viri animum ad rectum, & honeſtum à Deo pro ſuâ ſummâ benignitate adiutum ſummopere, & promotum iri? Quæ ſi ita ſunt, pietatem profectò in Deum reliquarum virtutum radicem eſſe; certè abſque pietate virtutis vmbram duntaxat, non veram & ſolidam virtutem nunquam nos conſequi poſſe fateri eſt neceſſe. Atqui quoniam Principes, & Reipub. moderatores illuſtre quidem, ſed amplũ, & arduum munus ſuſtinẽt, ad quod cum laude fungendũ multis virtutibus, variâq; prudentiâ inſtructi accedant oportet, *omni autem rei Deum authorem ſuperponere par eſt* monito ſapientis Poetæ,

Pind. Pyth. od. Παντὶ μὲν θεὸν αἴτιον ὑπερτιθέμεν.

Pietas ſanè Principibus viris inprimis, & omnino neceſſaria eſt ad dignitatem ſuam cum munere tot officiorum deuinctam tuendam.

Pyth. od. 5. *Διός τοι νόος μέγας κυβερνᾷ*
Δαίμον' ἀνδρῶν φίλων
Mens alti Iouis, & cura placentium
Succeſſus hominum regit.

Quod enim per Deum immortalem ad vniuerſam quandam multitudinem inquietam, diſcordem, turbidam, leniter redigendam ſub commune quoddam obedientiæ iugum religione potentius frænũ?

Plin. 14 Histo. natur *Religione vita cõſtat; omneſq́; Religione mouẽtur, & Deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos ſibi diligenter & retinẽdos arbitrantur.* Hæc eſt

Cicer. 5 verri. 1. Tuſcul namq; hominũ mentibus inſita doctrina, *Mentem ſolutam quãdam &*

Senec. epiſt. 96. *liberam, ſegregatam ab omni concretione mortali omnia ſentientem, & mouentem, ipſamque præditam motu ſempiterno, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem*; hunc mundum quantus quantus eſt, regere & moderari, & conſiliis, mentibuſque hominum, ac geſtis præeſſe;

Plaut. *Eſt profectò Deus, qui quæ nos gerimus auditq́; & videt.*

Senec. epiſt 40 & 11 quæſt. na. *Prope eſt á te Deus, tecum eſt intus eſt. Ita dico Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumq́; noſtrorum obſeruator, & cuſtos & cuius lege immobilis rerum humanarum ordo ſeritur, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, & à quo ſunt omnes cauſſæ cauſſarum.*

Val. Flacc. 1. Argon. *Condita pergunt*
Ordine cuncta ſuo, rerumq́; á Principe curſu
Fixa manent.

Liui. Quò ſanè *nulla res ad multitudinem imperitam efficacior eſt. Deorum me-*

Ariſt. 5. polit. *tu, minus ſiquidem iniuſtum aliquid ſperant ab eo Principe pati, quem religióſum, Deorumq́; verentem exiſtimant*, vt aduertit vir Politicus. Hoc conſilio olim Numa Pompilius Ægeriam nympham, Quintus Ser-

ſorius Ceruam, Publius ſcipio Iouem in Capitolio, Caius Marius Syram quamdam fatidicam Martham, Publius Sylla Lycurgi æmulus ſigillum Apollinis conſulebant, & Carolus vii. Gallorum Rex duobus ante ſæculis virgunculæ Iohannæ Lotharingæ ductu (Camillæ enim inſtar armatâ agmini præerat) Aurelianum arctâ obſidione liberauit, & pleraque alia fortiter, feliciterq; geſſit. Iam ſi parum tuta maieſtas ſine viribus eſſe poteſt, *& cùm ſubditi, tùm exteri omnes minus inſidiantur, aut offendere, aut aduerſari minus proni ſunt principi tutores, & adiutores habenti Deos*, vt notat Philoſophus præeunte Triſmegiſto, *vnâ cuſtodia pietas, pium enim virum non malus genius, non fatum ipſum deuincit, Deus enim eum liberat, eripitq́; ex omni malo.* Μία φυλακὴ εὐσέβεια. εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς, οὔτ' εἱμαρμένη κρατεῖ. θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. Denique ſi *pietas eſt fulchrum, & crepido, cui firmiter inſiſtere debeat ſimulachrum hoc regni*, vt Syneſius ſcribit, εὐσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλήσθω κρηπὶς ἀσφαλὴς ἐφ' ἧς ἑστήξει τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον τῆς βασιλείας, atq; religione ſaluâ Reſpub. ſtat, floretque, neglecta autẽ et prolapſa trahit ſecum Rempub *Et prouidentiâ diuinâ & numine ſtant, florentq́; & nituntur regna atq́; nihil rerum mortalium tàm inſtabile ac fluxum eſt, quàm fama potentiæ non ſuâ vi nixæ*,

Dij multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſa,

efficitur profectò tum ad tutelam, tum ad ſalutem publicam, pietatem à Principe, & à ſuis ſubditis ſummâ cum curâ coli debere. Quamobrem ſapienter Diotogenes Pythagoricus *tria in legitimo Rege* requirebat, ſcilicet *vt belli dux eſſet, vt Iudex, vt Sacerdos*, *Ἀνάγκα τὸν τέλειον βασιλέα στραταγόν τ' ἀγαθὸν ἦμεν, καὶ δικαστὴν, καὶ ἱερέα.* Ex quo etiam plerique veterum hæc duo munera coniunxerunt ſacerdotium, & regnum. Numa Pompilius plurima ſacra ipſe obibat; & ea præſertim quæ poſtea ad Dialem flaminem pertinuerunt. Auguſtus ſapiens Princeps, *qui pietate; & iuſtitiâ Principes Deos fieri* affirmauerat, Pontificatum maximum ob multiplices curas à principatu antea diſtractum iterum imperio iunxit, idemque ſecuti principes, & hodie Malabarum Reges in Orientali Indiâ Sacerdotes ſiue Bramanes omnes ſunt, quos velut Deo conſecratos lex in loco ſacro cogit etiam mori. Nimirum *non dubitauerunt*, vt aduertit prudenter Valerius Maxi. *ſacris imperia ſeruire, ita ſe rerum humanarum futura regimen exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ benè, atq́; conſtanter eſſent famulata:*

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos Imperium eſt Iouis.

Arist. Ibid.
apud. Lactan. Inſtit. li. c. xvi
Orat. de regno
Tacit. 13. Ann
Horat.
Apud Stob.
Apud Senec. in Ludo.
Horat.

Age ergo quoniam *pietas*, vt definiunt ſapientes, *non ſolum in ſenſu ſeu cognitione Dei parentis viget, ſed in eius quod Dei eſt, Deo agnito retributione, quæ ſanctitas dicitur; necnon eius, quod Deo redditum eſt per aſſiduam meditationem, iunctaq́ opera cum Deo ipſo indiſſolubili relegatione ſeu Religione: Primus eſt Deorum cultus Deos credere, deinde reddere illis maieſtatem ſuam, reddere bonitatem ſine quâ nulla maieſtas eſt ſatis Deos coluit, qui illos imitatus eſt*: videamus ſi placet, quanta fuerit in magno Principe pietas, & rectus de Deo ſenſus, ſiquidem *prius eſt Deum ſcire, conſequẽs colere*. Principiò quoniam Religionis fundamentum eſt fides, quæ ex auditu, cum fidei catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ præcepta noſter Princeps adhuc puer hîc, & in Galliâ antequam hæreſis ex Orco emerſiſſet, à Reuerendo viro Hectore de Ligneuille Abbate S^ti. Saluatoris, & Præpoſito Collegiatæ S^ti. Georgii tradita vnà cum lacte nutricis imbibiſſet; reliquæ autem vitæ curriculo vniuerſo diuini verbi, quod ſummi, totoque orbe celeberrimi Præcones enunciarent, & præſertim Reuer. P. I. Commeletus prudentiæ & doctrinæ ſolidioris gloriâ excellens, auditorem toto tempore aduentus Dominici, atque Quadrageſimæ, feſtiſque omnibus annuis diebus aſſiduẽ ita ſemper ſeſe præſtitiſſet, vt nullis negotiis, quamuis ſeriis, nedum ludo potuerit vnquam reuocari, illum profectò cum Fidei Chriſtianæ dogmatis, tum præceptis religioſæ, & honeſtæ vitæ fuiſſe cumulaté inſtructum, eſt extra omnem dubitationem. Quid enim pios & ſinceros, non fictos atque humiles de Deo, deque eius prouidentiâ, & regimine in omnia frequentes in ore illius ſermones, aut verò in omni re, & negotio ſiue auſpicando, ſiue maturando, ſiue perficiendo ſolemnia illi referam verba, Cum Deo; faxit Deus; committamus nutui ſummi numinis; Deus prouiderit; ſinamus ſuum quæq; ordinem immutabili lege diuinâ percurrere; euẽtus in manu Dei eſt;

Tantumné aliquis ſibi poſſe videtur,
Fata quoq́ vt ſuperet?

Auſpice Deo hoc contigit; ſummâ Dei prouidentiâ bella cecidit; Diuinæ gratiæ factum, geſtũq; debeo, & grator; Deò monẽte & iuuante hoc tentatum, perfectumq;: an non hæc ſatis declarant pium Principem omnia Deo, tanquam ſummo & benefico largitori accepta retuliſſe; quiſquis eſſet, quidquid haberet, eidem tribuiſſe vltrò, neque quidquam expetiſſe, quod non prouidentia diuina annuiſſet, ne ſummum mundi moderatorem, & iudicem corrumpere velle videretur. neque eidem promiſſis blanditum fuiſſe, & quaſi lactaſſe, ne iniuriâ eundem afficeret, quem ſciret & non expetiſcere noſtra (ſi modo noſtra ſunt, quæ ab illo nobis conceſſa vltró ſuo iure tanquam ſua

vindicare

Senec epiſt 96

Baltan. In ſtit. lib 4. c 4.

vindicare poteſt)& à nobis non exigere quidquam, quin potius imperare ſolum, vt ab illo petamus & accipiamus gratuitò, quippe cum illum vt magnum & opulentum deceat dare, nos vt omnium indigẽtes accipere? An non illa ſatis etiam euincunt ſanctum Principem Deum tanquam principium, & fontem omnium bonorum piè accurateque coluiſſe, ſe ſuaque omnia eidem conſecraſſe, & ſe in omnibus eius nutui, & voluntati obſequentem vltrò præſtitiſſe, atque ſeipſum ceu ſurculum perennis, & fœcundiſſimæ illius arboris vitæ reputaſſe, cuius radici ſi adhæreſceret, vitæ, omniumque bonorum particeps foret; ſin auelleretur ab eâdem, breui ad tabem, & marcorem perueniret. Quid autem commemorem eximium pii Principis in auitam Religionem affectum, quem tot aditis periculis, tot certaminibus, & bellis inſtitutis, tot ſuſceptis laboribus pro defenſione eius, & hæreſium extirpatione, totque glorioſis factis, tot relictis monumentis pro eiuſdem propagatione eſt teſtificatus? qui affectus fidelis de Deo, & verâ Religione ſenſûs iuſtus profectò fuit va s, & maior omni exceptione ſponſor. Equidem ſatis mirari nequeo, nedum pro dignitate laudare zelum piiſſimi Principis ſingulari cum prudentiâ coniunctum, aut in Religione à maioribus ſuis tranſmiſsâ ab omni male ſanæ doctrinæ prauitate vindicandâ, aut eâdem magnifaciendâ, atque amplificandâ: cuius pietatis cum vberrimum fructum diuino beneficio eſt conſecutus, vt cum hæreſis inſtar hydræ dira fame extimulatæ vagaretur, & latè vaſtaret vicinas omnes Europæ Ciſalpinæ prouincias, per eius tamen vigilantiam illa errabunda pedem vſqu figere, & hærere in vna Lotharingia hactenus non potuerit, ſed in eâ vna ſemper floruerit Religio Romana, ſincera, & incorrupta. Accepi certè à fide dignis cum potenriorum precibus ſæpe ſollicitaretur Princeps pius, vt quibuſdam erronibus alioqui minimè turbidis domicilii ius in ſuo imperio gratificaretur, & libertatem indulgeret, tum rogantibus reſpondere ſolitum, quòd Pericles Athenienſis amico roganti, vt pro re, cauſsaque eius falſum deieraret, dixiſſe fertur, *δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μεχρὶ θεῶν; opus eſt me amicis opitulari ſed vſq; ad Deos.* Quæ autem religionis chriſtianæ exculiæ ab eo & exornatæ monumenta deſiderari poſſunt illuſtriora, aut hac quam habemus florentiſſimam Academiam, viuam Eccleſiæ lucernã, quæ vnà cum barbarie tenebricoſum ignorantiæ ante omnia late occupantis velum abſtulit, & ſacram veræ Religionis lucem longè diſperſit; aut verò tot ſacris ædibus Patrũ Minimorum, Capucinorũ, & aliorum ordinum, atque noſocomiorum paſſim per Lotharingiam ædificatis; aut ſummis iis beneficiis, quibus Eccleſiaſticum

ordinem obſtrinxit,quà iura eorum tuendo, & augendo,quà alimenta, aliaque neceſſaria largiendo, quà omnibus honoribus affiendo? Nec mihi verò quiſquam rara magnificentiæ eius exempla in extruendis, aut ædificandis templis obiiciat, cum & nullum ex tot & tantis, quæ à ſolo eo regnante extructa ſunt (extructa autem ſunt non pauca) reperire ſit, ad cuius ſtructuram non ipſe ſymbolum contulerit; & in antiquis ſartis tectiſque ſeruandis, vel decorandis quotidie magnam pecuniæ vim impenderit; cogitemuſque æquius illi fuiſſe leuare eiuſmodi oneribus ſubditos,quàm alieno cum damno magnificentiam ſuam oſtentare, memor quippe ſapientis illius cenſuræ grauiſſimi philoſophi, *οἱ ἀπὸ τῶν αἰσχρῶν κερδῶν εἰς τὰς καλὰς ἀναλίσκοντας λειτουργίας, ὅμοιόν τι ποιοῦσιν τοῖς ἀπὸ ἱεροσυλίας θεοσεβοῦσιν. qui ex turpibus lucris ad honeſtas functiones, & adminiſtrationes ſumptum faciunt, ſimile quid faciunt illis, qui ex ſacrilegio Deum placare volunt.* Sed age, quoniam finis pietatis, & Religionis omnis vertitur tùm in Deo, cui plenitudinem omnium bonorum à ſe, & in ſe habenti nihil præter laudem, gloriam, & honorem accedere poteſt, colendo & amore proſequendo,quod in nobis eſt, tum verò in homine (omnium quippe bonorum egente, & ex ſe ærumnoſo) bonis maximé internis, & virtutibus omnis generis cumulando; ſingularia in Principe noſtro pietatis in Deum officia, ſiue quæ ad Dei gloriam pertinerent, ſiue quæ ad ſalutem ſuam ſtrictim perſequamur; exercitiaque Chriſtiani Principis quotidiana proponamus, quæ non ab aliis fando accepimus, ſed oculis ipſis vnà cum ceteris domeſticis omnibus tot annos vidimus; Nimirum experrectum ante omnia pium Principem Deo gratari de quiete; ſuamque, & publicam ſalutem obnixè commendare, ſimulque Roſarium B. Virginis recitare; eademque veſperi antequam ſomno ſe daret repetere; tum conſilio demiſſo ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, intento, humilique adeſſe animo, & corpore ſupplici; non ſecus atque diebus feſtis, & vigiliis precibus veſpertinis, & concionibus publicis. Quæ exercitia tàm aſſiduo coluit, vt neque venatio, neque vllum graue negotium, neque tumultus bellicus, neque ætas grauior potuerit vnquam vſu alicuius eorum illi ſiue domi, ſiue peregrinanti, modò valenti interdicere. Certé memini duodecim per annos ſemel duntaxat ſacrificio Miſſæ illum ſuperſediſſe, quòd diuerſari tum contigiſſet in vrbe, in qua peſtis graſſaretur, quòd non impuné ſuam familiam turbæ curioſæ parum ſanæ conſpiciendam, & immiſcendam obiici poſſe Prudentia eius dictaret. Ac feſtos dies ita accuratè celebrabat

vt nunquam in iis, vel venationis cauſa ex vrbe egrederetur, ſed potius loca ſancta adiret, aut ſupplicationes publicas ſua præſentia decoraret, aut in templo peruigilaret cum populo, aut ſe ſe colligeret, & ſacramenta pœnitentiæ, & ſacræ Euchariſtiæ præſertim diebus ſolemnioribus coleret? Quid dicam eſuriales omnes ferias à ſancta Eccleſia indictas vſque ad extremam ſenectutem, omnia que edicta eius inuiolatè ſeruaſſe? Quæ porro oratio par eſſe poteſt amplitudini liberalitatis eius in erogandis elemoſynis egentibus cuiuſcunque ſexus, & ordinis, & præſertim eccleſiaſtici, in quibus explendis expenſas, ſumptuſque ſupra fidem maiores ob opportunitatem terræ commeatibus exterarum nationum faciebat? Quid, reliqua omnis eius vita legibus diuinis, & eccleſiaſticis mirificè conſona, animus purus, iuſti, rectique tenax, & lingua ab omni maledicentia, & petulanti dicto, nedum periurio libera, an non ſatis teſtantur pium Principem ita quidem cogitatè locutum eſſe, & egiſſe cum Deo, ac ſi omnes mortales teſtes adeſſent; cum hominibus autem ita vixiſſe, ac ſi præſentem ſemper haberet Deum, omninoque ſe ſe geſſiſſe ceu legitimum ſummi numinis myſtem, atque animam ceu templum ſanctum quoddam, & affectiones, ceu pias oblationes eidem ſemper conſecraſſe, θρήσκεια τῦ θεῦ μία ἐςὶ μὴ ἐιναι κακὸν. *vnicus Dei cultus eſt non eſſe malum*: denique (quoad in ſe fuit) *ſanctitatem* coluiſſe, *quæ eſt affectio ſancta in ſancto propoſito conſtans, ac firma, quod propoſitum duplex eſt, odium ſanctum mali, & amor ſanctus boni; ex quibus malum quidem nihil eſt niſi peccatum, & eius occaſio; bonum autem nihil eſt, niſi Deus, & eius imitatio; cuius imitationis compendium, velle quod Deus vult, nolle quod non vult.* Atque cum eius ſancti propoſiti, & pietatis tot, & tanta exempla ſuperiore vita edidiſſet, tum verò in extrema vita conſtantem retinuiſſe ſanctimoniam hæc ſunt glorioſa documenta, quòd per duos illos annos, qui climactericum exceperunt, nulla alia potior cura animum ſancti Principis ſollicitaſſe viſa eſt, quàm aut honoris diuini Numinis propagandi, aut Primatialis Eccleſiæ in Metropoli vrbe Nancæo fundandæ, & à ſolo erigendæ; aut ſacræ ædiculæ extruendæ, in qua ipſius defuncti corpus conderetur, & maiorum ſepulchra honorificè ſtatuerentur, aut verò pro ſua charitate in Liberos, concordiæ inter eos ſtabiliendæ per maturam, & omnium conſenſu firmatam hæreditatis diuiſionem. Ipſo autem morbi fatalis decurſu, quàm Deus bone! ſe pium & magnanimum geſſerit, etſi dici ſine ſummo animi mœrore non poteſt,

Lact. v. Inſt. n. Merc. Triſme. apud Lact. Helì. dus.

tamen quia mortalis natus erat, & in eo morbo tanquam extremo actu Chriſtiani, piique Principis perſonam ſummâ cum gloriâ ſuſtinuit, atq; gratâ pietatis ejus eximiæ cum ſummâ animi magnitudine coniunctæ cōmemoratione, doloris noſtri acerbitas non mediocriter leniri poteſt, certé à nobis præteriri non debet. Enimuerò cum climacterico ætatis anno ſexageſimo tertio apoplexiæ congeneris affectûs (ad quem grauior tum ætas, habituſque corporis euſarcos, & cerebri plethora propenſum eum reddebant) diſcrimen euaſiſſet vi & robore naturæ, quæ diuinâ freta gratiâ eam capitis plenitudinem in alterum brachium depoſuerat, & is ad grauem morbum corporis apparatus, prænuncia cuius indicia ſingulis propé lunis intermenſtruis medicos ſagaces fallere minimé potuerant, nullâ tamen arte emendari potuiſſet, duos poſt annos eò malignitatis excreuit, vt Principem tandem prehenderet tandiu reformidatus morbus derepente, etſi non inopinatò, & is, qui non ſubitò vitam, ſpiritumque interciperet, ſed qui inducias manifeſtas alternis daret diebus, Coma ſcilicet ſoporoſum febri coniunctum, & Lethargi confine; Deo nimirum ita volente, & diſponēte, vt qui hactenus iuſtè, pieque vixiſſet, eidem honorificé quoque de ſtatione huiuſce vitæ, & non niſi audito iuſſu Imperatoris, quem vt ſemper alias, lubens tum ſequi poſſet, diſcedere liceret. Quod ſanè opportunè cecidit, cum inſtinctu quodam diuino, & non vanis iamiā imminētis affectus indiciis moniti Medici antœcepiſſent medicamentum exhibere apparatui corporis ad vſum balnearum Plumbariarum ſibi tum præſtitutum vtibile, quod medicamentum magnam vim aquæ cum è cerebro per os extractam purgaſſet (naturam alioqui ſopore iam grauatam, & prope ſepultram nactum, ſine alio fructu excretum) vero ſimile eſt, affectum alioqui continuum futurum imminuiſſe, & intermittenti permutaſſe. quo illud medicamentum ſummâ ſané cum Medicinæ artium omnium architectonicæ, & nobiliſſimæ iuxtà, atq; certiſſimæ iniuriâ calumniam temere oblati incurrit. (*Quid enim iniuſtius & turpius*, ait M. Tullius, *quam ſapientis vitam ex inſipientium ſermone pēdere?*) ſed, vt ait Poeta,

2. de Finib. bo.

Pind. Ne. od. 8.

Ὄψον δὲ λόγοι φθονεροῖς,
Ἅπτεται δ' ἐσλῶν ἀεὶ,
χειρόνεσσι δ' οὐκ ἐρίζει.
Fætu tenero benigni
Ingeni liuor macer implet aluum,
Liuor offendens meliora, prauis
Rebus amicus.

Ergò

Ergò cum primo morbi inſultu (vt ad rem redeamus) qui feré incidit in horam exhauſti medicamenti, (ab Aquilone tum forte derepente poſt Auſtrinam conſtitutionem ſæuiente compreſſo cerebro, expreſſâque plurimâ aquâ in ventriculos cerebri) ſopor altus ſenſum, omnemq; motum eripuiſſet Principi, & non vano metu inexpugnabilis affectus cuiuſdã impulſus Reuerendus Pater Pontius Clerici Prouincialis emeritus ordinis Minorũ, & ordinarius Principis confeſſor, pietate & ſanctimoniâ vitæ egregius (aderat forte eo ipſo momẽto, quo primùm procubuit in terram attonitus vi morbi Princeps, de forma ſacelli, in quo olim is conderetur, ſummam deliberationis cum ipſo initurus) haud grauaté ab eo, etſi vix dum libero illo grauiore ſenſuum vinculo, obtinuiſſet confeſſionem peccatorum, & negligentiarum, tamen cum ſequenti die ad ſe veluti rediens, & ſopore prorſus liberatus, præteritique caſûs, cuius ipſe parum conſcius, & memor eſſe potuiſſet, ſeriò monitus eſſet à ſuis familiaribus, haud cunctanter conuerſus ad Deum, ſeque mortalem cogitans, & hominem reputans plurium culparum non expertem apud magnum Diuinæ Iuſtitiæ oculum, cui Iuſtitiæ Iuſtus etiam quiuis ſepties in die obnoxium ſe reddit, Confeſſarium vltrò accerſiri iubet, eique denuò accuratiùs & minutiùs confitetur, vitam negligenter actam deteſtatus, quippé *initium eſt ſalutis notitia peccati*, multis lachrymis veniam & pacem à Deo petens, & quod vitæ reliquum ſupereſſet, eidem ex animo dicans, ac deuouens, intereaq; obnixe Reu. Patrem obteſtatur, vti deinceps continuo de morte ſerioque apud ipſum ageret, quo ſermone nullum eſſe ſibi gratiorem ſæpius affirmauit, & reliquum interualli illius lucidi, quo ſenſibus integrioribus fuit: & ſomno illo prope ferreo liber, piis & ſalutaribus vltrò, citroque habitis ſermonibus tranſegit; pariterq; alterum, & ſequentẽ induciarum diem (tertio quippe quoq; die ſopor adoriebatur, & vigebat per quindecim circiter horas, moxq; ſenſim laxabat ſe ſe, & ægrum ſuæ ſpõtis eſſe ſinebat) Induciarum igitur dies ſequentes, quibus apud ſe ſuique iuris erat, primùm confeſſione tertio repetitâ, tum ſummâ cum reuerentiâ, & caritate aſſumpto ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento, & pluſculis piis exercitiis, quæ Chriſtianum piumque decent Principem, atque repenſis gratiis frequentibus diuinæ bonitati, quæ ſui in lectulo doloris, & in die afflictionis minimé oblita fuiſſet, ac ſanam ſibi mentem ſui recognoſcendi, & ſubditis quoque inieciſſet crebris, atque ardentibus precibus, & ſupplicationibus, ac lachrymis pro eius ſalute ſuam maieſtatem diu noctuque compellandi agitauit; & tandem memorabili clauſit benedictione: vt enim ante mortem nihil

Sen ep.28.

otioſum apud eum fiebat, qui nullis annis vacationem dederat,& quod ait ille vir diſertiſſimus, canitiem galeâ preſſerat, ita decebat neque ipſam mortem otioſam eſſe, clauſit, inquam, memorabili illâ, & ſalutari benedictione Sereniſſimis ſuis liberis impertitâ pro more inſtitutoque vetere ſanctorum veteris teſtamenti Patriarcharum; cuius benedictionis ſummam hanc fuiſſe memini, vt quoniam ſibi natura finem vitæ faceret, & plenus fiduciæ in beneuolentiâ diuinâ ad cœlum iamiam maturaret, hanc, quantulacunque ſibi reſtaret, vitalem auram lubens in eorum quoque, quos tanquam gnatos ſibi chariſſimos ſuperiore vita vnicé dilexerat, gratiam Deo ſupremo conſecraret, ab eoque ſi quid vnquam antea humili intentoque animo, & precibus omnibus oraret, obteſtareturque, vt quâ benedictione illos extremùm ſalutaret, eam fortunare beareque pro ſuâ immensâ benignitate dignaretur: vouere autem illis vniuerſis (ſubſidebant enim ſupplices, & venerabundi Sereniſſimi liberi mœrore, & ſquallore confecti, & propè exanimes propter lectum, quo tenebatur iam jam moriturus Senex) vouere, inquam, pacis cum Deo, beneuolentiæque, & neceſſitudinis cum vicinis, affinibuſque Regibus,& Principibus arctæ & inuiolatæ,ceterorumq; fortunæ,& corporjs bonorũ,quæ vniuerſa illis ſuo labore adiuuante Deo parta relinqueret, ſed animi præſertim perpetuitatem, & conſtantiam; tum verò firmam inter ſe concordiam mutuam, amicitiamque ſanctam, ſtabilem, & ſempiternam (*quoniam arduum ſit eodem loci potentiam, & concordiam eſſe,*) quam pro paterno iure maximopere illis, ceu imperii fulchrum commendaret, quippe *quâ concordiâ res parua creſcunt, diſcordiâque maxima dilabuntur:* Ceterum monere ſeriò, & ſimul obſecrare; iuſtitiam illi vt colerent, ſubditoſque diligerent, ac modeſtè, & æquiter tractarent; ſed & domeſticos, quorum fide,& operâ tot annos is vſus eſſet, eorum fidei atque benignitati à ſe creditos nuſquàm deſererent, æſque alienum, ſi quo ipſe obſtrictus eſſet, ad denarium, & cum fide exoluerent; poſtremò quàm Filiam ſibi chariſſimam, atque piiſſimam ſolam, innuptamque relinqueret, ei ceu ſorori honoratiſſimæ illi deinceps accuratè, ac benigniſſimé prouiderent. Quæ ſanè diuini ſenis oratio eum euentum habuit, quem optare, & à diuinâ benignitate ſperare poterat; nam & omnes Principes, ſiue affinitatis, ſiue amicitiæ neceſſitudine coniuncti, eo defuncto ſtatim optimorum Principum optimo parente orbatorum dolorem ſummum, & mœrorem non ſolum honorificâ adlocutione ſolandum & leniendum, ſed vererem amicitiam arctiore neceſſitate firmandam

Tacit. 4. Ann.

Sal. in Iugurt.

mandam eſſe voluerunt; & ipſi generoſi filii, rarum par fratrum tā ſtabili & Pyladeâ amicitiâ, atq; animorū conſenſione denuò ſponteq; ſe ſe deuinxerunt, vt Caſtorem & Pollucem alternis regnantes diceres; ipſa deniq; honoratiſſima filia alto quodam, & heroico animo, Deoq; plena, nuncio remiſſo mundi illecebris, atq; pōpis ſe ſe intimè vni Chriſto Dño & Deo ſpopondit, atque deuouit optimam partem, quæ nuſquam ab eâ auferri poteſt, ſponte & generoſé eligens. Hâc igitur oratione habitâ, cum pietate inſignis Princeps (agebat autem annum ætatis ſexageſimum ſextum, & Regni principem in climactericis annis, hoc eſt ſaxageſimum tertium, ingrediebaturque ſeptimum diem morbi) totum ad Deum conuerſus nihil niſi cœlum iam aſpiraret, identidemque in illud oculos conuerteret, multùm deflens anteactæ vitæ ſocordiam, & delicta, multùm diuinam obteſtans miſericordiam, multùm auxilium clementiſſimæ, & sereniſſimæ Cœlorum Reginæ rogitans, multùm de ſacroſanctâ Domini Ieſu Chriſti paſſione cogitans, tandem obtutu in eum Crucifixum fixo, manibus Roſario ſacro, & benedictâ B. Virginis imagine à Pontifice Clemente ſibi miſſis olim humiliter deuinctis, & auguſtiſſimo nomine Ieſu in ore extremùm hærente, ac ſacro extremæ vnctionis oleo toto corpore delibuto, animâque diuinâ munitâ gratiâ, tandem plenus ſpei in diuinâ bonitate, & caritate alacer, lubenſque Deo ſpiritum tradidit, & ex hâc vitâ ingenti prouinciæ, & circumiacentium populorum luctu migrauit ad æternam illam, & incomprehenſibilem beatitudinem, quæ in fruitione ſummi, & ſempiterni boni poſita, pios iuſtoſque homines poſt hanc mortalem vitam manet. Næ mihi hîc quiſquam clamet, ô duram hominum ſortem! *Pind. Ne od. 7.*

ἀφνέος τε πενιχρός τε θανάτου
παρὰ σᾶμα νέονται.
Diues, inopsq. ſimul tenebroſa ad buſta feruntur.

ô breuem humanæ vitæ florem? *Pyth od 8.*

ἐπάμεροι, τί δέ τις; τί δ' οὔτις;
Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι.
Vmbrarum leuium ſomnia inania,
Vixq; vno ſtabiles ſole volubili
Mortales miſeri, dicite, quis grege
In veſtro eſt aliquid, qui ſue hominum nihil?

O diuine Poeta tua ſunt omnia, & dicta & cogitata præclaré! quàm in magno & incomparabili Principe verum eſſe illud tuum carmen, & magno cum noſtro malo experimur!

Nem. od. 11.

Εἰ δέ τις ὄλβον ἔχων
Μορφᾷ παραμεύσεται ἄλλων
Ἔν τ' ἀέθλοισιν ἀρι-
στεύων ἐπέδειξεν βίαν,
θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη
καὶ τελευτὰν ἁπάντων γᾶν ἐπιεσσόμενος.
Porro ſi quis & aureis
Gazis, & ſpecie corporis eminet,
Vireſq; inſuperabiles
Oſtendit ſtadio ſæpe ſuperbiens
Ne plus quam ſatis eſt ei
Attollat tumidum gloria verticem,
Mortales reputet ſibi
Artus impoſitos, quos humus vltima
Aſſis faucibus hauriat,
Exæquans homines vnica diſpares.

Quin potius clamare liceat, ô felicem hominum ſortem, quibus poſt tot labores quies tandem dulcis venit?

Nem. od 7.

ἀλλὰ γὰρ ἀνάπαυσις
ἐν παντὶ γλυκεῖα ἔργῳ.
Atq; venit duros requies poſt grata labores.

O beatos nos mortales, quos æterna poſt præclara facta gloria ſortitur?

Pytha od. v.

μακάριος, ὃς ἔχεις
καὶ μετὰ μέγαν κάματον
λόγων φερτάτων.
Μναμήϊον.
Te felicem igitur mille pericula
Poſt vitata rotis membraq; motibus
Concuſſa horriferis, laudibus euehunt
Iuſtis Aonides Deæ.

Imò vita ſempiterna beatarum mentium gaudio ſatietatis experte, & immarceſſibili comitata gloria.

Pytha od 8.

Ἀλλ' ὅταν αἴγλα
διόσδοτος ἔλθῃ
λαμπρὸν ἔπεστι, φέγγος ἀνδρῶν
καὶ μείλιχος αἰών.
atris nebulis terrigenæ obſiti
Immiſſo rutilant lumine cælitum.

Salluſt.

Enimuero cum *mihi pro vero conſtet omnium mortalium vitam diuina*

numine

numine inuiſi, neq, bonum, neque malum facinus cuiuſquam pro nihilo haberi, ſed ex naturâ diuerſa præmia bonos, maloſque ſequi, & porrò magni Principis retrò-actam cum honeſtè iuſtéque, tùm generoſè, & præclarè vitam repetenti, & in eius terminum glorioſum intuenti magna certè de beatitudine eius inceſſit animo fiducia. Nec enim pietatis ſolum eximiæ memorabili jllo vitæ termino, ſed reliquarum omnium omnino virtutum nobilia præbuit exempla. Quanti enim per Deum immortalem animi fuit mortem inſtantem, & præuiſam ſecuro, atque intrepido animo expectare? Quanti roboris ſine vllâ querelâ ferrum, & ignes perferre, quæ gangrænam à clunibus, & imis lumbis ex decubitu, & vnius diei ſtatu eodem (decebat enim ſtantem Imperatorem mori, qui nunquam per deſidiam ſediſſet, niſi in conuiuio, aut in conſilio, in quo anima ſedens ſapientior) decubitu, inquam, corporis grandioris, effœtique, & quaſi plumbei per veternoſum dormiendi imminentem vano tentamento prohiberent? Quantæ temperantiæ fuit ſitim arentem, vrentemque per ſex dies tuliſſe, & ab ingratis duntaxat medicamentis remedium eius quæſiuiſſe? Quantæ liberalitatis Liberos benedictione ſalutari mactaſſe? Quantæ autem iuſtitiæ creditoribus feciſſe ſatis, & domeſticorum ſeruitiorum, ſed maximè Filiæ orbatæ ſummam curam habuiſſe, & prouidentiam? Quantæ denique Prudentiæ Liberis, & concordiam inter ſe mutuam imperaſſe, & beneuolētiam ſubditorum ſummoperè commendaſſe? An igitur ſummum illum Cœli Regnatorem eum Principem deſeruiſſe, aut cœlo excluſum voluiſſe putamus, quem obſequentem ſuo imperio, quoad vixit, ſemper habuiſſet, quemque tot labores generoſè, fortiterque ſuſcepiſſe pro tuendâ & amplificandâ Religione, & ſui nominis cultu vidiſſet? *Dij fortioribus adſunt; omnia proſpera eueniunt colentibus Deos.* An non ſummum illum hominum iudicem, & arbitrum pro ſuâ clementiâ, & miſericordiâ ſummâ Principis eius ad ſuum tribunal ſiſtentis miſertum eſſe, nec ſummo cum eo iure egiſſe ſperamus, quem ſemper-lenem, ſemper-clementē, ſemper-benignum in ſubditos cognouiſſet? Tacit 4 Hiſt. Liui.l.5.

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis. Ouid 13. Me-

An non munificentiſſimum Dominum dominantium, & Regum Regem ampliſſimis eum Principem beneficiis, & honoribus afficere confidimus, quem ſuæ cauſæ patronum, ſuæ gloriæ vindicem his in terris toties expertus eſſet? *Iure ille à Dijs proximus habetur, per quem Deorum maieſtas vindicatur.* Quòd ſi *vt quis beatus cenſeatur, expectandum tempus vltimum ætatis Craſo ſcribit Herodotus præceptum à Solone,* Iuſt l.8 Cicer. de finia.

Τὸν εὐτυχεῖν δοκοῦντα μὴ ζηλοῦτε, πρὶν
θανόντ' ἴδῃ τις, ὡς ἐφήμεροι τύχαι.
Tanquam beatus nemo laudetur. prius
Quàm luce careat, ſors enim eſt mutabilis;

Et verò beatitudo, quanta mortalibus in his terris contingere poteſt, maximè in virtute viget, vt eſt plenius à nobis ante demonſtratum, omnis autem ſuperior vita Herois noſtri omni genere virtutum exornatiſſima longè latèque refulſit, ſed extrema eiuſdem clauſula admirabilem conſtantiam retinuit, quid dubitamus eum beatum prædicare, & ſempiterno æuo cum beatis mentibus fruenti iam, ac gaudenti ex animo gratari, atque ſummas pro tanto in Parentem patriæ beneficio Deo opt. max. beatitudinis omnis fonti vberrimo maximas agere gratias? Quid moramur piis boni Principis Manibus vota nuncupare, & tanquam Deum Indigetem ſalutare, æternâque gloriâ, & honore decorare?

CORONA
E MALO PVNICA,

ſiue amicitiæ;

AD

SERENISSIMAM PRINCIPEM DOROTHEAM A LOTHARINGIA DVCEM à Brunſchwig.

TERPSICHORE.

HOMO quid errores, quid ærũnas graues,
Curas edaces quid doles,
Natura finxit quando te ſociabilem,
Ceruice nec durâ ferum?
Cur non amicum vel paras certum tibi,
Qui monſtret erranti viam,
Et cui labores diuidas vltrò tuos,
Curasq; diuidas tuas?
Cur non amicum comparas verum tibi,

Quicum libenter ſæpius
Menſamq́;,ſermoneſq́; comiter tuos,
Res & tuas impertias:
Et magna fuerit lapſa quando pars die,
Domi,foroq́;,& curiâ
Audacter eloquare quicum res tuas
Magnasq́;,paruasq́;,& iocos,
Ac euomas,ſi quid voles,tuto & loces
Infauſta dictu,ceu bona.
Quocum voluptas,clam palamq́; gaudia:
Boni modò ſit ingeni,
Idemq́; fraudis,acer & vindex mali;
Doctus,fidelis,eloquens,
Scitusq́;, candidus, breuiloquus, commodus,
Lepidusq́;,prudens,& catus.
Felicitatis quippe pars non vltima,
Verax AMICVS,*& bonus,*
Leuamen afflictis nec incertum,neq́;
Fallax malis ſolatium
Quòd ſi peracres Principes curæ manent,
Maioraq́; vrgent munera,
Iis amici maximo ſunt vſui:
Non agmen æquè fortium
Regnum tuetur,& phalangeſ militum;
Nec ſceptra regnum temperant
Iuxtà,atq́; amicorum bonorum copia,
Quæ Principis ſtipet latus.
O ter beatum,terq́; magnum CAROLVM

Talem

Talem parare copiam
Doctum benignitate, comitateq́,
Et demereri ſingulos?
Quò nullus illo ſæculis prioribus,
Quotquot fuere Principes,
Amore plebis, aut fauore ciuium,
Vel optimatum dignior,
Scribiq́ patriæ Parens, & vrbium
Pater vocari dignior,
Lares & inter Soſpes, Indiges Deus,
Geniuſue dignior coli.
Atqui nec inquilinis gloriam conceſſerint
Amoris erga CAROLVM
Prolixioris exterûm cuncti ordines,
Munem quibus ſe præbuit
Et hoſpitalem ceu peregrinantibus,
Captis duello ceu quibus
Iterùm benignæ lucis vſurâ frui
Per liberalem Principem
Licuit redemptis, caſtra denuò ſequi, &
Subire Martis aleam:
Aut qui vel extorres paternis ſedibus
Senſere perfugium vnicum,
Suisq́ tandèm redditi penatibus,
Fauore certo Principis.
Tu teſtis adſis, ô Serena CAROLI,
Chara & Soror DOROTHEA,
Tu ſingularis teſtis obſeruantiæ, &

Amoris in fratrem exterùm,
Dùm te morantem detinent negotia
Italis in oris ſeria,
Germanicisq́, Belgicis, Ibericis:
Et à Dynaſtis mutuam
In fratris Euergetis optimi vicem
Tunc experiris gratiam
Hòc proniorem, quò magis fratris decus
Oris, venuſtas, gratia,
Vigorq́, mentis acer, & ſapientia,
Prolixa nec non comitas
In te micabant, atq́, magnificentia.
Quò certa me iam ſpes tenet
O Celſa Princeps, ô potens DOROTHEA,
Gratum futurum textile
Quod Punicâ è malo recens ſertum tibi
Legit, leporum amantior
Innexuitq́, Muſa, ſupplex & rogat,
Fraterna veles tempora.

HOC vnum ſcilicet ex ijs, quæ fortunæ munere bona mortalibus poſſunt obtingere, quod honorem, atq; gloriam vnà cum amicitiâ complectitur, fortaſſe quis deſiderat ad perfectam Herois noſtri CAROLI beatitudinem? Atqui cum hæc hominis parū certè conſcii humanæ conditionis oratio ſit, ſi verum eſt (vt eſt veriſſimum) quod ſcribit Poeta,

τυχεῖν δ' ἐν ἀδυνάτον *Pind. Ne. od. 7.*
ἐυδαιμονίαν ἁπά-
σαν ἀνελόμενον. οὐχ ἔχω
εἰπεῖν τινι τοῦτο μοῖρα τέλος ἔμπεδον
ὤρεξε.
Nullus opes omnes, atq; omnia commoda vitæ
Simul beatus diuite includit ſinu,
Aut ſi ſors alicui felix, mutabilis illa eſt
Labentis æui ſummam aduſq; lineam.

O quanta dementia eſt ſpes longas inchoantium! omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt, nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere; id quoque quod tenetur per manus exit, & ipſam quàm premimus horam, incidit: Tum vero in procliui eſt nobis oſtendere eam quoque partem beatitudinis minimè beato Principi defuiſſe, ſed conſultò à nobis hunc in locum illam dilatam, quòd cum virtutis honos ſit præmium, *& amicitia*, vt ait M. Tullius, *ſine virtute eſſe non poſſit*, huic de vtrâque ſermoni neceſſariò præuertere debuit de virtutum magni Principis præſtantiâ oratio, quòd ab eâ honores ei debiti ſuam dignitatem ſint accepturi. Atque cum de amicitiâ, atque beneuolētiâ, quam ſingularem tùm apud exteros, tùm apud ſuos maximè ſibi ſuis virtutibus peperit, obiter antè à nobis ſæpè aliquid ſit dictũ, operæpretiũ eſt tamen & hanc partē ſeorſim breuiterq; repetere. Enimuerò AMICITIA cum iucunda in omni genere vitæ ſit, imò *æquè neceſſaria, atq; ipſa elementa*; & vitæ ſit condimentum, atque optima, & pulcherrima eiuſdem ſupellex, naturæque vinculum, ac ſenectutis ſolatium; Principibus certè viris maximè neceſſaria eſt, tanquam iuſtitiæ conſors, & humanæ ſocietatis parens, atque tutiſſimum ciuitatum præſidiũ. *nullum maius magni imperii inſtrumētum quàm boni amici; atq; præcipuum Principis opus eſt amicos parare.*

Seneс ep. 101. · *lib. de amicit.* · *Cicer.* · *Plin paneg.*

εἰ δὲ δύναται *Plin Ne. od. 7*
ἀνδρὸς ἀνὴρ ἐὼν φαῖμεν κε γείτονι ἔμμεν
νόῳ φιλήσαντ' ἀτενεῖ
γείτονι χάρμα πάντων ἐπάξιον.
Quod ſi homo ſæpe homini prodeſt ſemotus, & abſens,
Quantum virum vir adiuuat propinquior?
Atq; idem ſtudijs animoq; intentus amicus:
Quàm ſacra Diuûm eſt vtilis vicinia?

Atqui quoniam quibus ex cauſis amici parantur, eas in CAROLO III. amicè conſpiraſſe vniuerſas, facultatem ſcilicet benefaciendi, pulchritudinem, atque virtutes omnes,

& ex virtutibus maximè benignitatem, lenitatem, atq; humanitatem vnuſquiſq; ex ſuperiori oratione iuxtà mecum meminiſſe poteſt, illū profectò cariſſimum omnibus fuiſſe quoad vixit, facile intelligere Senec. eſt. *Quis huic audeat ſtruere aliquod periculum? Quis ab hoc non, ſi poſſet, fortunam quoq; auertere velit, ſub quo iuſtitia pax prudentia, ſecuritas, dignitas florent, ſub quo opulenta ciuitas, copia bonorum omnium abundat? Nec alio animo Rectorem ſuum intuetur, quàm ſi Dii immortales poteſtatem viſendi ſui faciant.* Quid enim refricem tot & tam amplas ſeu veteres, ſeu nouas affinitates illuſtriſſimarū toto orbe familiarū cum ſuâ nobil.ma familiâ contractas? Quid neceſſitudines & fœdera ad eas adiuncta, & innumeris officiis vltrò citroque redditis confirmata repetam? aut itinera ab eo ſuſcepta per tot annorum decadas, ſiue in Galliam, ſiue in Belgium, ſiue in Germaniam non tàm ſuâ cauſsâ quàm pacis, & concordiæ inter Magnates ſtabiliendæ ergô, vel inſigni aliquo alio beneficio eoſdem deuinciendi, & in primis nouiſſimum illud, quòd extremâ ætate obiit, grauiſſimâ de cauſsâ, & interim primarios Germaniæ Dynaſtas vidit, exoſculatuſque ſummâ cum eorum omnium alacritate, & animorum gratitudine veterem amicitiā renouauit? Quid referam tot vltrò citroque commeatus Principū, Magnatum, & Antiſtitum exterorum per hāc terram, quorū amicitiam omni genere humanitatis, & officiorum comparauit? Quid dicam innumerabiles viros generoſos & fortes, quibus tuto domi manere ob fortunæ iniuriam non licuit, perfugium, & præſidium ſalutis in clementiâ & benignitate optimi Principis tanquàm in aſylo quodā habuiſſe, quos ille liberaliſſimè fouit, aluitque, aut quorum reditum, atque pacem ab iis quos offenderant, impetrauit? Quid denique recenſeā eorum nomina, quibus bello à ſuis captis gratiam cum feciſſet, aut quorum in poteſtate alienâ conſtitutorum fortunas, & capita ſua liberalitate, vel gratiâ redemiſſet, ſempiterno ſibi obſtrinxit beneficio, atque amicitia ſociauit non vulgari? Suſtineamus enim tantiſper dum Legati à Chriſtianiſſimis Regibus, & Principibus Europæ miſſi regias funeris exequias proſecuturi citabuntur, & dominorū nomine condolebunt Sereniſſimis Principibus, & Liberis propter orbitatē ſuam, ſanctamque, & veterem cum beato Parente amicitiā olim contractā, & iure hæreditatis tranſmiſſam confirmari denuò ſupplices poſtulabūt, & teſtes interea adhibeamus viros claros Claudium, & Franciſ. Bardinos, Georg. de Chaſtenoy, Nicolaum de Gleiſſenoue, Ioann. Voillot, & Franc. Piſonem, quorū fideli operâ prudenteq; facundiâ in fouendâ mutuâ illâ cū Principibus exteris neceſſitudine, & coniunctione vſus eſt plurimùm magnus Princeps, dum

Iam verô ſi beneficiorum, quibus melius imperium cuſtoditur, quàm armis, à magnificentiſſimo Principe publicè, & priuatim in ſuos collatorum ratio aliqua habenda eſt, vt haberi debet maxima, tum lenitatis, & humanitatis eius incomparabilis immemores non ſumus, quo animo fuiſſe putamus omnes ſui imperii ordines in magnificentiſſimum, clementiſſimum, & benigniſſimum Dominum? Nam ſi ſuperiora tempora, in quibus pax alma latè regnabat, & ſerenitas alta atq; affluens, & ius ſupra omnem iniuriam poſitum, nec dum Erinnys bello, & tumultu Europam compleuerat, incredibile eſt dictu & quanta cum animorum alacritate Principem ex vrbe peregré proficiſcentem ſiue luſtrandæ Prouinciæ cauſſâ, ſiue viſendi alicuius è vicinis Magnatibus, ſiue quocunq; nomine, Nobilitas pleraq; comitaretur, & quibuscum votis plebes ſeu vrbana proſequeretur, ſeu ruſticana in commeatu exciperet. videre erat paſſim vndiq; ex agris, & montibus paganos ad Principem accurrere, gratulari ſupplices, benignè ſalutare, papauera, violas, cyanum, roſasq; ſparſim in florē delibatum populi iacere; muliebrem autem ſexū liba, & placentas ingerere, choreas ducere, omniaq; ſigna lætitiæ exhibere. Quod ſi tam propenſa ſuorum beneuolentia etiam poſt belli tempeſtates diſſipatas refrixiſſe cuiquam videatur, malignitatem is temporum accuſet potius, quàm mutatos Principis mores, aut alienatam ſuorum voluntatem per imperium parum æquum, vel tributa grauiora, quorum vtrumq; ſine calumniâ dici non poteſt. Quis neſcit autem obſequium omnium ſuorum ad quæuis eius mandata, iuſſáue, ſiue pace, ſiue bello procliue, & plenum; atque promptam & fidelem in omnibus parentiam obſeruantiæ erga eum, & cultus ſpecimen ſingulare? Quis eximiam domeſticorum charitatem non magni facit gratuito illi ſeruire, quàm magna ſtipendia, commodaq; apud alium quemquam Principem merere malentium? certè non ſemel audiui eam egregiam animi erga optimum Principem propenſionem virum integritate vitæ, & variâ eruditione clarum Ioannem Leurechonium medicum cubicularium non vanis, nec fictis verbis palàm profitentem. de me autem hoc ingenuè prædicabo ſingulari clementiſſimi Domini erga me benignitate ita delinitum, eoq; fuiſſe animo ſēper affectum, vt non ſolum oēs meos labores, atq; lucubrationes quantulaſcunq; ad ſui nominis gloriam, & voluntatis nutum conferendas; ſed ipſam quoque vitam cum ſanguine eiuſdem immortalitati conſecrandam ſemper ſtatuerim. Verum hîc prætermittere non poſſum, nec debeo aut publica vota, ſupplicationeſque ſolemnes ſemper antea, & maximè in extremo illo morbo pro ſalute

Parentis patriæ decretas;aut verò grauiſſimum illum, & publicum ex principis deceſſu luctum. Præter morem ante edictum ſumpto iuſtitio,tota eâ luctuosâ extremi eius morbi hebdomadâ deſerebantur fora,claudebantur domus,vniuerſi curſabant per vrbē,moliebātur templorum fores,aut in ipſis diu noctuq; excubabant; paſſim ſilentia,& gemitus,omnes mœror ingens occupabat,puerorū & mulierū eiulatibus,virorum non ſimulachris,neq; inuitamētis, ſed luctu,atq; lamentis veris & ſpirantibus,aberat quippe adulatio,priuata, publicaq; oīa opplebantur, & circumſonabant:plena vrbis ad celeberrimum fanum Diui Nicolai itinera, tēplumq; ipſum complebatur mœrentium, & vota fundentium turbâ;idem omnium gemitus neq; diſcerneres inquilinorum,alienigenarum,virorū,fœminarumue planctus,niſi quod ciues longo mœrore feſſos aduenæ,& recentes in dolore anteibāt;concidiſſe Rempub. nihil ſpei reliquum clamabant; dies per ſilentium vaſtus,nox ploratibus inquies, & collucentes per vrbē faces;cuncta ad triſtitiam cōpoſita. quin etiā oppida vicina,immò & prouinciæ lacrymis, & conclamationibus dolorē teſtabantur; & ſi qui tùm publico abſtinebant,in iis verò victus luctu animus magnitudinem mali perferre viſu non tolerabat. Quanta viciſſim publica lætitia,quæ gratulationes ,cum remittente paroxyſmo ſpes aliqua melioris effulgebat valetudinis?dici profectò non poteſt, quā vt lætitiæ,ita mœroris immodicus vniuerſus populus per eos dies egit. Quæ ſane publica omnium vota quò per Deum immortalē ! tendebant,niſi ad cœlum,vt diuinâ ſummi Numinis gratiâ is Princeps ſeruaretur,& reſtitueretur,in cuius ſalute vniuerſi populi ſalus eſſet ſita. Quid autem lacrymæ illæ publicæ aliud ſignificabant niſi publicum malum,& funus Reipub.cum funere,& orbitate eius Principis coniunctum,quem vniuerſi ceu delicium vnicè amarent, colerentq;, & quem ex animo ſaluum, & incolumem oēs cuperēt? An porrò taceā multorum iram dolori mixtam licet paulò iniquiorem, qui ſcilicet non penſitantes naturæ humanæ conditionē,toto eo funeſtoq; tempore non deſierunt fremere,atq; obſtrepere Medicis,quaſi in eorum manu vita eius poſita eſſet,quem ſibi diuinitus ſuoq; otio datū,atq; immortalē ſpe vanâ præſumebant?Quæ indignatio eo etiam exarſit vt iuuentus nobilis violenta luctu,& neſcia tolerandi de præcipitādo ex hypæthro,ceu xyſto palatino in pauimentum eo ex Archiatris,quē falſa credebat authorē medicamenti alioqui ſaluberrimi, & opportunè exhibiti, cuius antè mentio facta, cogitarit , eumq; coegerit clanculum ex vrbe diſcedere. Quæ certe præceps licet, & veſana indignatio à me taceri non debuit,vt pote quâ nullū acerrimi morſus

doloris ex orbitate amantiſſimi Principis animis eorum altè inuſti argumentum poteſt reperiri clarius.

χρηςοῖσι δούλοις ξυμφορὰ τὰ δεσποτῶν
κακῶς πιτνοῦντα, καὶ φρενῶν ἀνθάπτεται
Seruis probatis res herorum haud proſpera
Animos moleſtâ tangere ærumna ſolent.

Quid autem repetere, & renouare luctum illum publicum neceſſe eſt quem ſiue per eos dies, quibus corpus glorioſi Principis honore ſepulchri adhuc carebat, & falsâ quâdam ſpecie præſentiæ iucundæ optimi Principis videbatur dolorem communem quodā modo lenire; ſiue eo tēpore, quo more regio iuſta magnifica facta ſunt; ſiue per reliquum annum currentem vidimus haud ſiccis oculis, ſed animo magis perturbato; qui certe luctus tantus fuit, vt ſilentio melius, aut Timāthis velo, quàm cuiuſquā oratione exprimi vnquam poſſit. Equidem quid alijs vſu venerit, etſi dubitare non poſſum, ita certe, ita animo commotum, & affectum eo tempore me ſenſi, vt tùm maxime optare ex animo non ſemel contigerit mihi foret integrum animam hāc pro eius ſalute deuouere, atq; eius vitā meo ipſius capite redimere; tantumq; in animo æſtū dolor ex eius orbitate cōmouit, vt cum in aliis rebus fere ſtoiciſſare ſoleā, tamen tùm animum nequaquam cōponere, ſed eo deiectus, & propemodum liquefactus à veris & profuſis lacrymis mihi tēperare nuſquam potuerim. Facerem tibi equidem iniuriā generoſe & magnanime vir Io. Philippe de Freſné, ſi quē egregium animum in optimum & beneficentiſſimum dominum extremo illo vitæ tempore oſtendiſti, & ad eximiam fidem in eius ſalute peruigili cuſtodiâ, fidoq; præſidio ſemper antea tuendâ tum adiūxiſti, ſilentio diſſimularem. Somnum enim illum ferreum, & indomabilem, quo Princeps æger tum tenebatur, indefeſſa tua vigilantia accubuus ſpondæ lecti funeſti cuſtodiebas; laborioſam vigilantiā ſuauitudine alloquii aſſiduus recreabas; languenti & labaſcenti victū, vireſq; tuæ ipſius vitæ oblitus ſubminiſtrabas; ſitim ac dolores dulci ſolamine ipſe ærumnarum, & laboris plenus lenjebas; properātem ad fatum multa melioris vitæ ſpe, huiuſce lucis ipſe pertæſus, firmabas; & iam concedentem votis, lacrymiſquè alacer comitabaris, omni denique officiorum genere cumulate teſtabaris fidelem, prolixumque tuum erga illum animum, & cultum.

Amicus certus in re incerta cernitur.

CORONA EX CVPRESSO,

ſeu honoris, & iuſtorum funebrium;

AD

SEREN.mum PRINCIPEM HENRICVM à Lotharingiâ Marquionem Hadoncaſtell.

QVIS deſiderio ſit pudor, aut modus
Tam chari capitis, præcipe Lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam pater
Vocem flexanimâ cum cytharâ dedit.
Ergò magnanimum dura neceſſitas
Fatorum potuit tollere CAROLVM?
Ereptum & Lotharis perpetuus ſopor
Vrget, cui pudor, & iuſtitiæ ſoror,
Jncorrupta fides, nudaque veritas
Et clementia, magna ac ſapientia
Vllos quando pares inuenient Duces?
MELPO. *Multis ille quidē flebilis occidit*
Princeps, orbis amor; flebilior tamen
Nulli quàm tibi Dux CAROLVS *occidit*
Semper-chara parens, ô Lotharingia.

ſed

Sed fruſtrà reuocas heu? pia creditum
Cœlo, ſideribus ſidus & additum.
Quin tu purpureis candida cum roſis,
Plenis vel manibus lilia ſpargere
Pergis; perpetuis quin & honoribus,
Ac donis animam magnanimi Ducis
Felicem accumulas. ſcilicet inclyta
Virtus laude nouâ creſcit, honoribus
Aſſurgit meritis ſemper in ardua:
Qualis vere nouo Palma Fauonio,
Fœcundoq; tepens rore vireſcere, &
Gaudet tollere ſe. Sic placitum Ioui.
Qualis nam Medici ſedula dextera,
Aſperſà ſpecie mellis, amartiem
Hærentem liquidis fallere poculis
Non indocta, animam reſtituit, ſua
Quam iam fata premunt: ſic pater omniũ
Fibris dulcia perfundere triſtibus
Virtutis rigidæ ſeſama, & acribus
Succis gloriolæ veſca papauera
Non ignarus, eum ritè vetat mori,
Cœlis atque beat, cui tremere inſcijs
Labris ſponte calyx hauſtus amarior.
Atqui ſi puero cruſtula porrigit
Doctor, quo monitis præbeat aſperis
Aures perfaciles, prima elementaq;
Diſcat cum ſtudio: cur ego Principum
Gemmans ô Lothari floſcule ſanguinis,

Non HENRICE *tibi gratus, honoribus,*
Virtus quos meruit maxima CAROLI,
Ornatum varijs defero ſertulum?
Vt ſpectata tibi, notaque maximi
Vernans gloria Aui, famaq; ſplendida,
Attentè meditata & decora inclyta,
(Per quæ ſpiritus, & vita redit Duci
Poſt mortem egregio; nec taciturnitas
Obſtabit meritis inuida CAROLI)
Inflamment animos, & ſtudium æmulum.
Queis mox inſitus in te patrius vigor
Sublimem rapiat templa ſupra edita
Virtutis, te adytis ſiſtat & in ſacris,
Per quæ ſola homini panditur altior
Ædes, quâ colitur numen, HONOS, *tuum;*
Qui vitas hominum, votaq; temperas,
Curas atq; graues ire per aſpera
Virtutis iuga, per celſa, per ardua
Nitentum recreas gloriolæ leuis,
Curſum & das facilem, flamine proſpero.

AGE enim quam extremam ſummæ felicitatis partem in honore, præclarâq; nominis fama ſapientum cōſenſus poſuit, & Princeps Lyricorum magno Orcheſtræ applauſu approbauit,

ὁ δ᾽ ὄλβιος ὃν
φᾶμαι καλέχοντ᾽ ἀγαθαί. *Pind. olymp. od. 7.*
Nemo beatior
Illo, quem populi rumor ad æthera
Iuſtis tollit honoribus.
Τὸ δὲ παθεῖν εὖ πρῶτον ἀέθλων. *Id. Pyth. od. 1*
εὖ δ᾽ ἀκούειν δευτέρα μοῖ-
ρ᾽ ἀμφοτέροισι δ᾽ ἀνὴρ
ὃς ἂν ἐγκύρσῃ, καὶ ἕλῃ
ςέφανον ὕψιςον δέδεκται.
Sors prima vitæ vincere, & altera
Hymnis merentem grandiloquis cani.
Vtrumq; nactus tempora ingens
Siderea religat coronâ:

(quæ felicitatis pars inſigne eſt propenſæ ſuorum, & totius orbis in felicem Principem CAROLVM III. voluntatis teſtimonium) eam inquam contēplemur, ſi placet, atq; vniuerſo ſermoni finē extremum,

(Quæ magè principio grata coronis erit,)

tandem imponamus. Hic magnus profectò ad dicendum campus nobis aperitur, in quo liberiùs poſſit oratio noſtra excurrere. Enimuerò quæ ad gloriam, & honorem, omnium externorum bonorum maximum, iudicio Sapientum pertinere poſſunt, ea mihi ſe ſe in eo ampliſſimo, quem glorioſus Princeps eſt cumulatè conſecutus cùm in hâc vitâ, tùm poſt deceſſum ex eadem honorem, obiiciunt vniuerſa. ſiue enim in eas res quarum honos & ſignum eſt, & vnicum præmium, intuemur, virtutum certè chorus omnis ſe ſe offert, qui honorum omnium apicem ſuo ſibi iure depoſcit; ſiue finem vſumque in quem honos referri debet, conſideramus, is eſt ſummâ cum honeſtate, & ſalute publicâ coniunctus, vt ei ampliſſima debeantur decora, & ſupremi honores; ſiue Iudicum, arbitrio quorū de honoris qualitate eſt ſtandum, æſtimatio facienda eſt, ſummâ authoritate, & integritate Iudices honores, quos magnus Heros obtinuit, maturè decreuerunt; ſiue temporis quoq; ratio eſt habenda aliqua, eo tempore iuſti honores ſunt exhibiti, quo nulla adulationis, fictæue laudis ſuſpicio vigere potuit; ſiue ipſam denique honorum materiem penſitamus, nullum eſt honoris legitimi, aut ex ſe magni genus ab æquis Iudicibus prætermiſſum. Principio igitur conſtans eſt omnium rectè ſentientium opinio, quam ipſa natura animis noſtris videtur quodammodo inſeuiſſe, quod *rectè factorū quidem verus fructus eſt feciſſe, nec vllum virtutum pretium dignum illis extra ipſas eſt*, tamen *Senec. 1 declc*

ſi

ſi aliquod aliud ab ipsâ, virtuti par conſtitui poteſt, vnum honorẽ eſſe. Heraclitus ſcitè *viam ad gloriam maximè compendiariam* dicebat eſſe, *ſi quis bonus eſſe ſtuderet*; immò *neminem bonæ exiſtimationis ſtudioſum poſſe eſſe malum* Plutarchus aſſeuerabat.

Pind Oly od. 8

Ἀΐδα τοι λάθεται,
ἄρμενα πράξαις ἀνήρ.
Qui pulchra patrat, neſcit atra
Mortis iter, trepidumq́; funus.

Olymp od 6

πολλοὶ δὲ μέ-
μνανται καλὸν εἴ τι πονᾳθῇ;
Longa ſed pulchros hominum labores
Fama per terras memorat.

Quod certè Romani ſatis intellexiſſe videntur cum virtutis templum iuxta ædem Honori dicatam non alio conſilio poſuerunt, niſi vt indicarent ad honoris culmen niti nos nequaquam poſſe, quàm per virtutis gradus. Nimirùm cum virtus ipſa ex ſe ſe ardua eſſet, & difficilis; honoris gloriæque ſeu mercedis, ſeu illecebræ virtutis deſiderium quoddam, infamiæque metus optimo cuique à naturâ ſunt indita, quibus tanquàm ſtimulis, & calcaribus ſopiti animorum noſtrorum affectus, qui vitæ noſtræ currum equorum inſtar moderantur, vti cenſuit Plato, pungerentur, & à veterno veluti expergefacti ad virtutem capeſſendam excitarentur, inflammarenturque ad res præclarè fortiterque gerendas, & à rebus turpibus dimouerentur. *Honor*, inquit Plato, *& dedecus ſunt inſtar potionis, quæ ciues reddit contra vitia timidos*;

Hortatrix animoſi gloria lethi:

Cicer.

Honos etiam alit artes, & optimus quiſq́; ad ſtudia incenditur gloriâ. Quòd ſi ex conſenſu philoſophorum honor *præmium* definitur *virtutis iudicio ſtudioq́; ciuium delatum ad aliquem, tum maximè virtutis eius quæ in benefaciendo, & in de Repub. merendo præcipuè eluceſcit, intelligi debet eſſe præmium ſignumq́; opinionis* εὐεργετικῆς, ex decreto Ariſtotelis, *vt illi ſũmo honore digni habeantur, qui in Rempub magna conferunt beneficia, & vltrò ij, qui acceperunt, iiſdem ſummos deferant honores, & rependant beneficium, iuſtitiâ ita poſcente.* Quæ ſi ita ſunt, & memoriâ repetimus tot & tàm illuſtres virtutes, quæ in Heroe noſtro emicuerunt, atque ſuperiori oratione diffusè ſunt à nobis expoſitæ; & tàm præclara, atque magnifica, ſiue publica, ſiue priuata eius beneficia grato recolimus animo, iuſtè prudenterque, ac leniter adminiſtratam per ſexaginta annos Rempub. acerrimam Religionis auitæ defenſionem, & amplificationem; pacis publicæ, & priuatæ in Nobilium præſertim ordine

cuſtodiam

cuſtodiam,artium omnium,& diſciplinarum, morumq; cultum,tùm munificentiæ & benignitatis inexhauſtæ perpetuam veluti quamdā effuſionem,atque vitam omnem piè,fortiterque,& honeſtè anteactam;& porrò ad ea adiungimus dignitatē perſonæ magni Principis cum boni publici vſu coniunctam,quantam in animis omnium exiſtimationem,quantam approbationem aſſenſu bonorum omnium confirmatam,quam præclaram ſui opinionem, quoad vixit illuſtris Heros,obtinuiſſe eum apud oēs putamus; quam egregiā famam meruiſſe,atque claritatem cenſemus apud eos,qui nec in magnitudine tantorum beneficiorum aut comprehendenda, aut in referendâ gratiâ non tardi,& ignaui eſſent. Ac ſanè tantæ huius gloriæ, quātam iuſtis nominibus. ſuiſque meritis conſecutus eſt glorioſus Princeps maximam,cum illum ſibi conſcium fuiſſe,tum maxime ad poſteros eam peruenire ad Reipub.ſalutem bonumque publicum pertinuit. nimirùm,vt ille dum viueret magis magiſque ab eâ gloriâ inflammatus maiore in dies excolendæ virtutis ſtudio teneretur, nec vnquam à benefaciendo,deque Repub.demerendo deſiſteret; & poſteri eius æmuli in hâc breui vitâ ſempiterni gloriæ curſus deſiderio laudabili accenſi ad virtutem omnem pari cum animi ardore niterentur, nullumq; pro ſalute patriæ laborem ,*qui verus gloriæ pater eſt*, refugerent. *Ceteræ enim vt* prudenter monet ſapiens hiſtoricus, *Principibus ſtatim adſunt, vnum inſatiabiliter parandum proſperam ſui memoriam, nam contemptu famæ contemni virtutes*, ſine quibus ſcilicet ſtare Reſpub. non poteſt. Enimuerò cum inclytus Princeps omnibus honorum gradibus,ſummaque veneratione & cultu ab optimo quoque decoratus viuens adhuc claruiſſet,tum poſt mortem maxime nullo non genere laudis,& gloriæ eſt ab iis cumulatus,penes quos & ius eſt de honorū gradibus ritè decernendi,& copia facultaſque earum omniū rerum, è quibus ornamenta peti poſſunt. nam & ſereniſſimus Dux HENRICVS.II. conſenſu Dynaſtarum totius principatus iuſta more regio fieri optimo & ſemper-colendo Parenti curauit;& non pauci Principes tùm affines,tùm exteri ſuprema erga memoriam eius munera functi ſunt egregie,& optimus quiſque,atque authoritate & virtute clarus, vt quiſq; amore in illum,aut ingenio validus,honorum omnia decora etſi ſummis eius meritis imparia immortalitati nominis defuncti Principis contulerunt,& conſecrarunt;eo ſcilicet tempore quo iuſtæ laudi locus eſſe poterat. Defunctis nimirùm honorem deberi monente Philoſopho teſtantur, approbantque ii honores, qui & in liberis ciuitatibus,& apud Reges illis, qui in bello ceciderunt decernūtur;*quibus* ſcilicet *vita pro ſalute patriæ deuota rependi non poteſt*

Tacit.

Ariſt. Eth.

aliter, quàm ſi, vt Marcus Tullius loquitur, *in memoria virorum ponatur.*

Eurip. Andro.

> οὔτοι λείψανα τῶν ἀγαθῶν
> ἀνδρῶν ἀφαιρεῖται χρόνος,
> ἁ δ' ἀρετὰ καὶ θανοῦσι λάμπει.
> *Nuſquam virorum aufert reliquias fortium*
> *Vel tempus edax, ſed lucet demortuis*
> *Poſt fata virtus.*

Pind. oly. od. 8.

> ἔστι δὲ καί τι θανόντεσσιν μέρος
> κὰν νόμον ἐρδόμενον.
> κατακρύπτει δ' οὐ κόνις
> συγγόνων κεδνὰν χάριν
> *Laudem ſepulti legitimam petunt,*
> *Et grata cognatas ad vmbras*
> *Fama ſui generis refertur.*

Spartian. in Nig.

Summum autem honorē Principi non ante habendum, quàm agere inter homines deſierit, docuit Peſſennius Niger Imperator vir grauis & ſerius, cum ei Poeta quidā Panegyricum carmen recitare vellet, dixit ei, *Scribe laudes Marij, vel Annibalis, vel alterius ducis optimi vitâ functi, & dic quid fecerit, vt nos eum imitemur. nam viuentes laudare irriſio eſt, maximè Imperatores, à quibus ſperatur, qui timentur, qui præſtare multa poſſunt & necare, & proſcribere.* Age verò cum honoris ſpecies ſint innumerabiles, & in primis, authore Ariſtotele, dignitates, immolationes, munumenta vel carmine, vel ſolutâ oratione conſcripta, præmia certa, luci, ſuperiores in ſedendo loci, ſepulchra, imagines, & publica cibaria, eiuſque generis alia; eorum certè nullum genus immortalitate dignus Princeps ſeu quoad vixit, ſeu poſtquam fatis conceſſit, non obtinuit cumulatiſſimè. nam & viuus dignitate ducali decoratus, meroque imperio complurium prouinciarum ſoli vbertate, incolarumque ingenio & fortitudine nobilitatarum potitus eſt, vixitq; ita, vt honores non vſurpaſſe ſed (quæ fuit iudicio philoſophi magna dignitas) illis exiſtimaretur dignus, eoque ſummâ in veneratione & cultu apud oēs habitus toto ſuo regno, quod duodecim luſtra ſuperauit, decora omnia virtutis tenuit: poſtquam autem exceſſit ex hâc vitâ, cunctà à maioribus reperta decora, aut quæ poſteri inuenerunt, in eū ſūt cumulata. Sinite enim me præterire honora & magnifica, quæ in mortuum facta, atratam vniuerſam aulam, & plebem, incompta ſigna, verſos faſces, tubaſque, cineres humeris comitum portatos, effigiem præpoſitam thoro, imagines & inſignia circumfuſa lecto,

Ariſtot.

epulum

epulũ regifico luxu paratum. Sinite præterire me vota publica, immolationes, & ſacrificia ad Macariſmum eius collata; aliaq; funerum ſolemnia, & iuſta regia, quæ vir clarus Claudius de la Ruelle qui iis præfuit tanquàm arbiter & deſignator, ſigillatim, graphiceq; deſcripſit, & iconibus illuſtrauit; quo labore nos leuauit. Ex quibus certè conſtare poteſt multos illuſtrium virorum obiiſſe, neminẽ huc vſque tàm flagrãti deſiderio celebratum. Neq; enim vt ſtatuas equeſtres, columnas, arcus triumphales, ſepulchra, aliaq; id genus ornamenta in meritis honoribus Principi Euergeti exhibitis deſiderare poſſim permittit eximia HENRICI II. erga ſemper-colendum parentem pietas. Iam enim ad ſe me vocant monumenta ingeniorum, aliiq; ſtudiorum honores beatitati Principis conſecrati, quos certè ſilentio prætermittere non poſſum ſine ſummâ præclarorũ ingeniorum iniuriâ. Enimuerò cum ex honoris generib⁹ quædam ſint cum vtilitate cõiuncta, vt tripodes, pateræ, coronæ, annuli ex auro ſolido, arma, & eiuſmodi munera; alia ſplendorem conferant, vt imagines; alia memoriam conſtantiorẽ relinquant, vt ſepulcra, arcus triumphales, inciſa notis marmora publicis; Elogia profectò, & monumenta honoris carmine, vel oratione ſoluta, litteriſq; exarata omne tuliſſe punctum videtur. Nam cum omnium hominum conſenſu officij, æquiq; ratio poſtulat Virtuti meritum tribuere honorem,

ἔςι δέ τις λόγος ἀνθρώ- Pind. Nem. od. 9.
πων, τετελεσμένον ἐσλὸν
μὴ χαμαὶ σιγᾷ λύψαι.
θεσπεσία δ' ἐπέων
καύχας ἀοιδὰ πρόσφορ⊙.
Rectè vox hominum publica nos vetat
Conſummata virûm robora fortium
Telluris tenebris contegere, & nigro
Obſcurare ſilentio.
Nec quidquam numeris dulcibus aptius,
Quam verſus Lyrici grata ſuperbia.

tum maxime vtile eſt & ei qui rectè facit laudari ſuã virtutem, quia laudata virtus creſcit;

ἄυξεται δ' ἀρετά, χλω- Nemeis od. 8.
ραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρον ἀΐσ-
σει, σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δι-
καίοις
τε πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.

Planta vti verno ſatiata rore
Creſcit aſſurgens tenues in auras;
Sic virum virtus decorata cœlo
Tollitur ingens;
Cantu & augentur ſpecioſa facta.

& alijs, cum alienæ gloriæ æmulatio maximum ad virtutem ſit incitamentum, & ratio iubeat *vt quorum laudem magni æſtimas, illorũ etiam virtutes æmuleris*, vt Iſocrates monet. Quid autem per Deum immortalem! iucundius, gratiusque accidere poteſt, cum multum diuque bene, congruenterque naturæ, ceu legi diuinæ vixeris, & labores plurimos ad virtutis ſtudium cultumque contuleris, quàm encomium tuis laboribus par, & gloriam conſequi?

Nem. od. 4

Ἄριστος εὐφροσύνα
πόνων κεκριμένων
ἰατρός. αἱ δὲ σοφαὶ
Μοισᾶν θυγατέρες ἀοιδαὶ
θέλξαν νιν ἁπτόμεναι
οὐ θερμὸν ὕδωρ τόσον
γε μαλθακὰ τεύχει
γυῖα, τόσσον εὐλογία
φόρμιγγι συνάορος.

Carmen ærumnis grauibus medetur,
Ac modi Musâ genitrice nati
Vulnera, & ſanos hominum dolores
Leniter vngunt.
Non aquæ ſic vis liquidæ, & tepeſcens
Balneum Athletæ recreat lacertos
Ictibus feſſos, vti vox loquuta
Cum fide dulci,
Lausq; perdurans memores in annos.

Iſthm. od. 2.

οὐ γὰρ πάγος, οὐδὲ προσάντης
ἁ κέλευθος γίνεται,
εἴ τις εὐδόξων ἐς ἀν-
δρῶν ἄγοι τιμὰς Ελικονιάδων.

Nec virum ſi quis faciles Camœnas
Ducit in claros procerum Penates
Fortium, huic ſemper via celſa, monſue
Arduus inſtat.

Quid porrò cum per virtutem multa & præclara patraueris, ſplendidius poteſt contingere gloriâ, quam tibi docta Muſa conciliet?

ὁ χρυσὸς ἑψόμενος *Olym. od. 1.*
αὐγὰς ἔδειξεν ἅπασαν·
ὕμνος δὲ τῶν ἀγαθῶν
ἐργμάτων βασιλεῦσιν ἰ-
σοδαίμονα τεύχει
φῶτα.
Ignis excocto rutilum decorem
Adiicit auro.
Hymnus exornans animoſa facta, &
Fortis Athletæ iuuenile robur,
Illius clarum genium ſupremis
Regibus æquat.

Athenienſium, vt narrat grauis author, *res geſtæ ſatis amplæ magnificæque fuerunt: verum aliquantùm minores tamen, quàm fama feruntur; ſed quia prouenere ibi magna ſcriptorum ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur: Ita eorum qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuerunt attollere præclara ingenia.* Quid deniq; ad æternitatem famæ elogijs Muſarum aptius, & potentius? *Salluſt. Catil.*

γινωσκομένα *Pind. Pyt. od. 5.*
δ' ἀρετὰ κλειναῖς ἀοιδαῖς
χρονία τελέθει.
παύροις δὲ πράξασθ' εὐμαρές
At virtus numeris, & verſu nota decoro
Longæua edaci neſcit abſumi die.
ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιώ- *Nem. od. 4.*
τερον βιοτεύει,
ὅτι κε σὺν χαρίτων τύχᾳ
γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας
Dicta nam viuunt animata factis
Longius, ſi quæ ſacra lingua ab alto
Pectore duxit.
Vixere fortes ante Agamemnona *Horat. l. 4. od. 9.*
Multi: ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte; carent quia vate ſacro.
Paullùm ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Aul. Gell. l. x. 18. His ſanè cauſſis Reginarū inclytiſſima Artemiſia impulſa, *cum quod ingenti impetu operis conſeruandæ mariti memoriæ cauſsâ ſepulchrum memoratiſſimum, dignatumq́ numerari inter ſeptem omnium terrarum ſpectacula, Diis Manibus ſacris Mauſoli dicaret, Agona, id eſt, certamen laudibus eius dicendis fecit, poſuitque præmia pecuniæ, aliarumque rerum bonarum ampliſſima. Ad eas laudes decertandas veniſſe dicuntur viri nobiles ingenio, atque lingua præſtabili Theopompus, Theodectes, Naucrites. Sunt etiam qui Iſocratem ipſum cum iis certauiſſe memoriæ mandauerunt: ſed eo certamine viciſſe Theopompum iudicatum eſt. is fuit Iſocratis diſcipulus.* Græcia certé de virtute promouendâ per laudationes virorum illuſtrium adeò ſollicita fuit, vt legibus etiam orationes funebres inſtitueret; & in eo ſtudio maximè Lyrici, & Dithyrambici Poetæ claruerunt, & inter eos Pindarus

Quint. *Laurea donandus Apollinari,*

qui ſpiritus magnificentiâ, ſententiis, figuris rerum, ac verborum copiâ, ac veluti quodam flumine eloquentiæ perfecit, ne quis eum vnum ex omnibus Poetis Græcis, & Latinis ſequi hactenus, aut imitari auderet. Romanos autem ab eodem ſtudio non abhorruiſſe tandem (tametſi *Salluſt. Catil.* *optimus quiſque facere quàm dicere, ſua ab aliis benefacta laudari, quàm ipſe aliorum narrare malebat)* teſtantur laudationes virorum fortium pro cōcione, & in exercitu haberi ſolitæ, & laudationes funebres tēpore Catonis iamtum familiares, quæ poſtea ita ſolēniter vſurpatæ ſunt, vt ſæpe ipſi Imperatores Romani, gentium omnium, terrarumque Domini, minimé auguſto illo maieſtatis ſuæ faſtigio indignum eſſe duxerint, quibus in imperio ſucceſſerant, eorum vitam, reſq; preclarè, & felicirer geſtas principali facundiâ exornare. Atqui huius quoque partis beatitatis minimè expertem fuiſſe glorioſum Principem, vt taceam elogia ſummis eius adhuc viuentis meritis toties carmine decantata, teſtes ſunt laudationes duæ funebres celeberrimo totius prouinciæ conſeſſu in exequiis Principis à R. P. Leonardo magnâ eloquentiæ Latinæ, & Gallicæ laude celebri habitæ: teſtes Panegyrici virorum clarorum, & Academiæ Procerum Petri Carpenterii meritiſſ. Armor. Sen. Præſidis, & Iuris rum. ſapientiſſimi & litteratiſſimi, & Nicol. Guineti eruditi I.C. Teſtes threni Simonidei à Iuuentute Academicâ funus eius lacrymis proſequente editi. Teſtes Herôum viri clari P. Remigii emeriti Procuratoris Generalis Lotharingiæ, & politi Poetæ, plures elegiæ, & alia meditata ad memoriam virtutis carmina ab ingenioſis viris profecta. Beatus igitur, & ter beatus CAROLVS, cuius felicitati ſupremus cumulus acceſſit laudatorum eloquentiſſimorum copia.

Μάκαριος, ὃς ἔχεις
καὶ μετὰ μέγαν κάματον, Pind. pyth. od. v.
λόγων φερτάτων,
μναμήϊον.

Tibi ſors proſpera, nec Diis
Immortalibus inuidens,
Quem poſt curriculi mille pericula
Euitata rotis, membraq́; motibus
Concuſſa horriferis laudibus euehunt
Iuſtis Aonides Deæ.

Quòd ſi & reliquarum rerum, ex quibus ſumma feliciſſimi Principis beatitas fuit completa, de quibus ſigillatim, diffuséque à nobis antè dictum, meminiſſe placet, cur non Principis Romani conſilio morem gerentes referimus animum ad firmitudinem, quoniam & *Beatus ipſe* CAROLVS, *& ſucceſſu Principes mortales; rempub. æternam eſſe:* Apud Tacit. atq; ei debitam tandē Apotheoſim, ceu extremum munus canimus.

ΜΑΚΑΡΙΣΜΟΣ
CAROLI III.

Ex ſequẽtibus Epitaphium concinnari præmiſſo ſequẽti verſu p̄t. Cõditus anguſto magnus iacet hocce ſepulcro CAROLVS auſpiciis &c.

CAndidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusq́, videt nubes, & ſidera Princeps
CAROLVS, *auſpicijs tenuit felicibus arua*
Qui Lothara, imperio atque æquo dum vita manebat.
Illius in terras ſummo demiſſus Olympo
Spiritus, igniculis virtutum plurimus ardens,
(Diuinæ quippe haud ingloria particula auræ)
Miſcuit egregio ſe corpore, prouida finxit
E meliore luto hoc Natura, habilique vegere
Membrorum compage dedit, ceruice toroſa
Arduum, & integro permuniit vndique ſenſu:
Et decus egregium formæ, venerumque lepores,
Dulcis & eloquij miros adſlauit honores
Certatim Charitum chorus, & diuina Suada:
Nec rerum domina inuidit Fortuna potentes
Diuitias, excelſarum adiumenta decora
Virtutum, & regni tutum munimen, amicos;
Magnanimam & prolem regali ſanguine cretam
Valleſio, (dulcis namque illi Claudia coniux
Henrici Regis Francorum Filia dia)
Talibus ingenij, tantis & corporis auctus
Dotibus ingreditur callem virtutis, honeſti
Ingenti magnam mentem perculſus amore,
Concuſſuſque metu vitij, tactuſque pudore

Ingenuo,ſtudioque æterni incenſus honoris:
Atque gubernaclo longè latèque patentis
Imperii ſubit haud infelici alite Princeps
Magnanimus,tantæ nec moli viribus impar.
Mens excelſa illi,dubiiſque exercita rebus,
Nullius aut ignara pericli,ignara laboris
Nullius,aut vacuis diſcerpi neſcia curis,
Quæ lauros ſerpunt circum,& diademata circum;
Nec duri metuens fati,metuenſque malorum,
Plurima quæ cælo veniunt mortalibus ægris:
Atque eadem lenis,clemens,& bilis amaræ,
Irarumque expers,faciliſque ignoſcere noxas,
Sanguinis humani,humanæ parciſsima vitæ. (teſtas,
Atqui quamquam illi decora, & ſuprema po-
Imperium latèque patens,& Principi abundè
Omnia,quæ voueat nutricula dulcis alumno;
Is tamen haud altum pronus ſapere,atque ſuperbè
Se ſe efferre,typhóue tumeſcere pronus,acerbus,
Fronte ſupercilioque grauis,caperatus,& aſper;
Sed blandus,faciliſque,animique modeſtior,& qui
Contraheret vento turgentia vela ſecundo,
Viueret & gratus ſummis,æqualis & imis.
Quin & temperie rectâ libare peritus
Delicias,& quæ regalis plurima luxus
Gaudia fert,atras miré ſopientia curas,
Sceptra quibus gemmata acuunt mortalia corda.
Præterea expoſiti cenſus,& docta fruendi
Temperies illi,communes pendere in vſus

Doctaque, ſiue domûs decora, aut in templa Mineruæ,
Iuſtitiæ, aut pacis cultum, populiue ſalutem.
Hoc exſtructa ſolo tot tecta ſuperba loquuntur,
Fuſaque Nancæi latam pomœria in vrbem,
Imperii fines producti, ſed mage fama
Inclyta per varias & belli, pacis & artes;
Arces tot cœlo æquatæ, tot ſeptaque ſaxo
Oppida, & aggeribus munita, & milite forti;
Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena
Pontis in vrbe ſita & Muſis, & Apolline digna;
Nec non & Themidi intemeratæ curia ſacra;
Tot delubra Deûm, fulgentia tot monimenta,
Poſtera quæ deinceps ſtupeat, miretur & ætas.
Iuſtitiâ quippe ille pari, tum legibus æquis
Officij fines intrà, rectique tenebat
Seque ſuosque, bonis munis, larguſque bonorum;
Atque idem ſcelerum vindex acerrimus, æquus
Arbiter & populi; proprijs obnoxius vltrò
Legibus, & ſtricti iuris non futilis author.
Quidlibet audendi data cum ſibi ſumma poteſtas,
Non tamen hâc vnquam per vim, aut laſciuiã abuti,
Nec ſtrictim tondere pecus, deglubere nedum,
Viſus: nec ſibi vel moroſus, acerbus, iniquus,
Ardua ſed mulcens curarumque aſpera tanti
Imperij grata vice non ignobilis oti:
Nec varijs animi morbis palleſcere ſuetus;
Sed poſito ille metu, ſpeque ablactatus inani,
Liber, ſecuruſque animi viuebat fronte ſerenus,

Quale mare, expoſitis Alcedo cum incubat ouis,
Stat placidum ventis, aut ſtat quale arduus æther
Perpetuum nullâ temeratus nube ſerenum.
Atque idem fideiq; tenax, & fallere dextram
Horreſcens, ac candidus, & quo blandior alter
Non fuit, & mores, vultumque benignior alter.
Quin etiam rerum prudẽs, quæ Principe digna;
Temporibus dubijs rectus, cautuſq; ſecundis;
Conſilioq; bonus licet, expertuſque regendi,
At parere tamen facilis ſapientibus ipſe:
Ingenium doctus varium, moreſq; ſuorum,
Et quæ firmando ſatagebat plurima regno,
Et quæ vertendo fugiebat plurima regno.
Atqui nec tantis Pietas virtutibus alma
Defuit; ille Dei non enarrabile numen
Certus (ſed tremulus) credebat cuncta mouere,
Temperie & iuſta moderarier ardua cœli,
Et mare ventoſum, terras, & triſtia regna;
Aſpicere atq; oculis Superos mortalia iuſtis:
Puro quos animo ille frequens, & voce colebat,
Sedulus & patrias leges, rituſque tenere,
Ac populum antiqua ſub relligione tueri.
In terras ergo felicibus æthere miſſum
Ominibus, meritiſq; hîc CAROLVM *honoribus auctũ*
Rurſus in æthereas ſedes, ſua regna recepit
Regnator, cœlum & terras qui numine torquet.

Errata corrigenda

PAſſim a pro á in ablat. caſibus. é pro è in aduerb. virgulæ omiſſa, aut ſuperuacaneæ.

ſpeciatim lege pag. 3. l. 31. temp. p. 4 l. 2. ceu p. 4. l. 5. verò
p. 8. l. 2. externâ; p 16 l. 8. liberalitate, quan.
p. 17. l. 14. vero l. 15. quanta quan. l. 25. ſeu. l 31. cete.
p. 18. l. 16 ὁμέιω. l. 18. perfecta. l. 31. ἄριςον. l. 34. Φρώνημ. l 40. ceter.
p. 20. l. 22. laudes. l. 25. προσδιομ. 33. cet. p. 21. l. 1. ὥσπ. l. 21. contrahant.
p. 22. l. 30. pati. l. 36. ἀχορήγητον.
p. 23. l. 4. ignobilis, aut ſolitarius, l. 19. oportere? l. 21. appetunt? l. 22. ἔχει l. 39. cet. l. 40. naturâ.
p. 24. l. 8. χρώμενοι. l. 39. mortalium p. 31. l 21. charact.
p. 33. l. 16. Aethiops. p. 37. l. 2. habuit. p. 40. l. 40. Galliarum Regis
p. 41. l. 7. Eutych. p. 43. l. 8. imitantem viderit
p. 49. l. 11. lazuli. l 38. ſcripſerunt. l. 11. cet l. 13. amœn.
p. 50. l. 3. annorum. 14. plures claro. l. 16. anguſt. l. 27. ξυνῶσι δ' ἀμφ' l. 37. potentiæ. l. 40 poſſe obtendit.
p. 51. l. 5. cui & l. 6. fort. l. 7. propitia. Nam inq. l. 34. fort.
p. 52. l. 7 ſurrexit. l 11. & 12. Clim. p. 55. l. 33. iuuentas l. 37. inſolitos, l. 39. mox
p. 56. l. 16. proteruitas abſq. puncto ſeq.
p. 60. l. 1. noſtra. Etenim l. 8. aſpir. p. 61. l. 34. transfret. p. 62. l. 11. cœtu.
p. 63. l. 19. ceu. l 31. inſolenti temperatam lætitia l. 34. neceſſario
p. 64. l. 40. nec domi nos p. 65. 6. iudicia l compreh.
p. 71. l. 4. illud p. 81. l. 31. clarâ p. 85. l. 40. capeſſ. p. 87. l. 32 multum
p. 88. l. 9. Ligneus p. 90. l. 6. præſertim l. 17. ἀπέχει.
p. 96 l. 9. dementata l. 19. Ἀνδρεί. l. 38. lacry. l. 40. δε. μὴ Ib. ψυχῇ.
p. 97. l. 20 fratres p 104. l. 14. Metrod. p. 105. l. 10 vita
p. 107. 9. ſympt. p. 198. l. 39. Φάρμ. p. 110. l 20 bonâ ſpe
p. 116. l. 13: θεᾶσθ p. 117. l. 29. neminem
p. 119. l. 16. Thrac. l. 24. vultuoſus. l. 26. Mezent. l. 30. dele perinde
p. 120. l. 28. Φρό. l. 36. philotimia p. 122. l. 15. ἀκράντοις. l. 23. Siſyphi
p. 124. l. 3: ſunt, poſſe l. 29. Pittacus. p. 127. l. 7. ἡνίκα
p. 128. l 2. repone, Sapiens vir omnis ira cùm deferbuit
p. 135. l. 4. βούλεται. l. 39. δουλεύειν. p. 136. l. 26. & 29. ψυχ.
p. 136. l. 7. capeſſ. l. 26. Siren. l. 35. Iamblichus. l. 36. Crateta
p. 139. l. 8. temperantiâ. l. 26. mensâ.
p. 140. l. 5. viæ. l. 8. Σωφρω. l. 40. capeſſ. p. 141. l. 6. Calig.
p. 146. l. 4. biantes in mag. p. 147. l. 40. quanti eſt

p. 151. l. 16

p 149. l. 8. refert *p. 150 l. 20, ἀποβάλλουσιν*
p 151. l. 16. adminiſtrant. *l. 28. Charond.*
p. 152. l. 40. capeſſ. *p. 153. l. 5.* Hebraic. *p. 155. l. 40. luxuriamq;*
p. 176 l 8 Erynnis *p. 177 l. 16 iuſtitiam agitare*
p. 189. l. 37. ψυχῆς l. 8 oculus *p. 191. l. 2. ὠφέλησιν*
p. 192. l. 15. Iamblichus *p. 194. l. 31. munitum*
p. 250 l. 2. iamiam *p. 211. l. 18. egeret*
p. 232. l. 1. Scip.
p. 226 l. 2. afficiendo
p. 227. l. 8. elee. *l. 22. in marg. Helinandus*
p. 228. l. 25. antecæp. *p. 230. l. 12. oraret. l. 26 diſcordiáq;*
p. 231. l. 2 ſponte *p. 242. l. 12. diſcern.* *p. 244. 6 Hattone.*

APPROBATIO.

EGo Ioannes Mamburgus Soc. IESV Theologus hunc librum elegantem & varia eruditiône refertum, cui titulus SERENISSIMI CAROLI III. LOTHARINGIÆ DVCIS &c. ΜΑΚΑΡΙΣΜΟΣ, vidi, legi, nihilq; in eo fidei, aut bonis moribus contrarium reperi; quod nominis mei ſubſcriptione teſtor.

Ioannes Mamburgus
vt ſup.

PONTE AD MONTICVLVM
APVD IACOBVM GARNICH
TYPOGRAPHVM SERENISSIMI
LOTHAR. DVCIS ANNO 1609.